Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
1
40 - F
1

C: 2-76

Digitized by Google

Q. MARII CORRADI
VRITANI
DE LINGVA LATINA,
AD MARCELLVM FRATREM,
LIBRI XIII.

Nunc vt prior editio, impreſſorumq́; induſtria Auctori placita non eſt, emendati, illuſtrati, triente pleniores facti, atq; his epiſtolæ adiunctæ, quibus Auctor latini ſermonis cauſam tuetur.

CVM PRIVILEGIO PONT.



BONONIAE,
Apud Societatem Typographiæ Bononien.
MDLXXV.
Curiæ Epiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. *Dum nobis*
excellens Ciuitatis noſtræ BONONIAE *conditio,*
eiusq́; ciuium, & incolarum in omni uirtutum genere,
& præcipuè in liberaliũ diſciplinarum cognitione præ-
ſtantia, cuius nos ipſi certiſsimi teſtes ſumus, ante ocu-
los obuerſatur, ac meritò eo nomine eam urbem, uel
apud exteros claram, & illuſtrem eſſe animaduertimus, facilè adducimur,
illis non mediocriter fauere, qui ſtudioſorum vſui, dictæq́; ciuitatis orna-
mento imprimendi artem magnis laboribus, & expenſis in ea inſtituere
quærunt, eaq́; in re perficienda neruos ſuos omnes intendunt. Cum itaq;, ſi-
cut accepimus, dilecti filij Quadraginta uiri Reformatores ſtatus libertatis
ciuitatis eiuſdem nonnullis Ciuibus, & Mercatoribus, qui ſe ad id confi-
ciendum eorundem Quadraginta uirorum precibus, & ſuaſionibus indu-
cti paratos exhibuerint curam in dicta ciuitate artem impreſſoriam intro-
ducendi, ad quoduis etiam inſignium librorum genus egregijs typis deman-
dandum idoneam impoſuerint: illi uerò omnes labores, & expenſas, alia-
que ad eam rem perficiendam neceſſaria in ſe receperint. Nos intelligen-
tes quantum laboris dicti Ciues, & Mercatores in ea re ſuſcipiant, ac pro-
pterea illis conſulere, & Quadraginta uiris præfatis rem gratam facere
cupientes, eorundemq́; omnium, ac ciuitatis uniuerſæ commodo, & uti-
litati ſtudentes, ac uolentes, quoad fieri poſsit, officinam ad imprimen-
dum primo quoque tempore inſtruendam feliciter, ac diligenter exerceri;
& cum ciues, & Mercatores præfati non paruam ad eam rem perficien-
dam pecuniæ vim conferant, neminem fructu laborum ſuorum fraudari,
& eoſdem indemnes conſeruari uehementer optantes, eiſdem Ciuibus, &
Mercatoribus, & pro eis Agentibus, ut opera omnia, & quaſcunque
alias res nouas hactenus non impreſſa in vulgus in poſterum ſucceſsiuis tē-
poribus edenda, & per ipſos Mercatores, & Ciues, aut alios ab eis de-
putandos; illis tamen ab Inquiſitoribus dictæ ciuitatis, aut alijs, ad quos
ſpectat, prius examinatis prima uice imprimenda, per decem annos poſt
eorundem operum, uel cuiuſlibet ipſorum impreſsionem, ne ab alijs qui-
buſcunque ſub indicis de nouo adiecti, additionum, apoſtillarum, apen-
dicum, aut commentariorum nomine, uel alios quouis prætextu, ſine ip-
ſorum Ciuium, & Mercatorum præfatorum expreſſa licentia in ſcriptis
ab eiſdem Ciuibus, & Mercatoribus obtenta imprimi, aut per ipſos, uel
de eorum mandato per alios impreſſa uendi, ſeu in eorum officinis, uel aliàs
in apothecis operum præfatorum libri uenales proponi, præterquã ab eiſ-

dem Ciuibus, & Mercatoribus, aut de eorum mandato, uel pro eis Agentibus poſſint, aut valeant motu proprio, & ex certa ſcientia concedimus, & indulgemus. Omnibus uerò & ſingulis Chriſtifidelibus in quacunque terrarum orbis parte exiſtentibus, præſertim Impreſſoribus, Typographis, & Bibliopolis in uirtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis maioris, eo ipſo incurrenda pęna, à qua non niſi per Rom. Pontifices pro tempore, præterquàm in mortis articulo abſolui poſſint. In terris uerò, & locis nobis, & Romanæ Eccleſiæ mediatè, uel immediatè ſubiectis, ſub eadem excommunicationis ſententia, necnon mille ducatorum aurei, partim cameræ noſtræ Apoſtolicæ, partim ipſis ciuibus, & Mercatoribus & his qui præſentibus noſtris literis contrauentum fuiſſe ad notitiam deduxerint, applicandis, præter librorum omnium amiſsionem toties ipſo facto, & abſque aliqua declaratione, quoties contra id, quod per præſentes diſponitur, actum fuerit, incurrendis pęnis, ne intra dictos decem annos ab impreſsione dictorum nouorum operum, & cuiuſlibet eorum, aut aliarum rerum nouarum computandos, dicta opera eatenus non impreſſa, aut aliàs res nouas ſine eorundem Ciuium & Mercatorum licentia, ut ſuperius narratur, obtinenda imprimere, ſeu ab ipſis Ciuibus, & Mercatoribus, & pro eis Agentibus impreſſa, uel imprimenda venalia habere, uel proponere audeant, uel præſumant, præſenti edicto prohibemus. Mandantes in uirtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis Prouinciarum, Regnorum, ciuitatum, terrarum, & locorum Inquiſitoribus, cæteriſq;, ad quos cura concedendi licentiam imprimendi ſpectat, ne in quibuſuis orbis terrarum partibus opera in dicta ciuitate impreſſa de nouo imprimi contra harum literarum noſtrarum ſeriem, & formam, aut non elapſo tempore in noſtra hac prohibitione appoſito, permittant, aut patiantur, aut imprimendi licentiam quoquo modo concedant. Vniuerſis uerò uenerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumq; in ſpiritualibus Vicarijs, ſeu Officialibus generalibus. In dominijs uerò nobis mediatè, uel immediatè ſubiectis, etiam Legatis, Vicelegatis, Gubertoribus, & alijs Officialibus, ut quoties pro parte dictorum Ciuium, & Mercatorum, uel pro eis Agentium, aut ab eis ius, & cauſam habentium fuerint requiſiti, eiſdem in præmiſsis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes faciant præmiſſa omnia, & ſingula contra inobedientes, et rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, illas etiam ſæpius aggrauando, & alia iuris, & facti remedia opportuna exequi: inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoque quauis auctoritate ſcienter, uel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus

Apoſto-

Apoſtolicis, necnon etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis perſonis, & locis in genere, uel in ſpecie ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis, etiam pari motu, & aliàs quomodolibet in contrarium conceſsis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quæuis alia expreſsio habenda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de uerbo ad uerbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſsis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac uice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Quia uerò difficilè admodum eſſet præſentes litteras ad ſingula quæque loca deferri, uolumus, & præſentium auctoritate decernimus, earum tranſumptis, uel exemplis etiam in ſingulis operibus impreſsis, eandem prorſus fidem tam in iudicio, quàm extra adhiberi, quæ præſentibus adhiberetur, ſi oſtenderentur, uel exhiberentur. Vt autem in omnium, ad quos ſpectat, eadem literæ notitiam perferantur, mandamus eaſdem in albo Prætoris, & alijs locis, in quibus publica edicta Ciuitatis Bonon. publicantur, de more affigi, & affixas ſic uniuerſos, & ſingulos declaramus afſigere, ac ſi eiſdem perſonaliter intimatæ eſſent. Datum Romæ apud S. Petrum ſub anulo Piſcatoris die XII. Nouemb. MDLXXII. Pontificatus Anno Primo.

DONATVS CASTILIO MARCELLO CORRADO S. P. D.

MAGNA quædam, & præclarà ſemper quum habita ſit res, à doctiſsimis, cognitio linguarum, nunc ex cœteris, illam perfectè cognoſcere pulcherrimum eſſe ducitur, quam ſolam rebus humanis ac diuinis omnibus maiores noſtri dignam putauerunt. Hæc præſtitit, ne ſola Græcia, ſermonis præſtantia gloriari, neue, quemadmodum cœteras partes orbis terrarum, ita Europam quoque & Italiam inſolentiſsimo ac turpiſsimo barbariæ nomine appellare, damnareq; poſsit. Hoc enim recepto ſermonis latini ſplendore, iam tum ab illis temporibus quum in prouincias, imperiũ quoque populi Romani reciperetur, non modo illam deleuimus, quæ infecta nobis erat barbariæ maculam, ſed immortale decus, & maiorem Græcis gloriam, apud quã plurimas nationes exteras conſequuti ſumus. Nam lingua hæc amiſſa quondam ex Aphrica, vnde religio etiam amiſſa eſt, memoria noſtra vſq; ad noui orbis, & vltimos Oceani Atlantici fines, & extimos Auroræ terminos cum religione penetrauit. Nunquam Athenienſes, ac ne maiores quidem noſtri, tantum imperio

efficere potuiſſent, quantum ſola religio efficit, vt extremas etiam in partes orbis terræ latina lingua mitteretur. Nec dubium eſt, ſi populorum omnium infinita quædam acceſsio religioni fiat, communem eam fortunam illi cum dilatatione latinitatis fore, & ſimul cum omni mundo hanc linguam eſſe duraturam. Quã propter viſus eſt mihi Q. Marius Corradus frater tuus vnam ex rebus humanis omnibus maximam, pulcherrimam, & generi humano maximè neceſſariam his in libris tractare, docere, illuſtrareq́; voluiſſe. Si quid enim ab illo, ſi quid à Lazaro Bonamico accepi literarum, ſi quid à philoſophis, ſapientibusq́; viris ad cognitionem, vel ad ſtudia naturæ ſummisq́; de rebus iudicandum ſum adiutus, neq; aliquid habent res humanæ latina lingua præſtabilius, neque adhuc extitit aliquis ex ijs quorum ſcripta legimus, à quo plenius, accuratius, magiſue luculenter quam ipſo à fratre tuo ſciamus hanc tractatam fuiſſe. Non detraho equidem aliquid antiquitati Romanorum, ſed miror tamen quid P. Nigidius, quid M. Varro, quid cæteri quondam homines doctiſsimi potuerint excellentius, vtilius, aut ſplendore orationis maiore ſcribere, quorum ſi induſtria maior, aut ingenium fuit (id quod ego neutram in partem puto mihi eſſe iudicandum) profecto illos homines neceſse eſt, non multo infra diuinitatem aliquid vidiſſe. Sed quorum doctiſsimorum hominum libri, aut omnino, aut magnam partem interiere certiſsimum de ijs iudicium facere non poſſumus;

mus;

mus; illud verò quis inuidè affirmet atq; imprudenter, libros nunc de Latina lingua in manibus hominum verſari quos pulcherrimis cum fratris tui monimentis ingenij conferre aliquã ex parte poſsimus? In ijs, duo mihi propoſui quæ aut rudibus adhuc aperirem, aut inuidis probarem. Illi enim argumenta librorum non ſatis peruidebant, hi reprehendere etiam nunc ordinem conantur. Illis ad principia librorum ſatisfacere ſum conatus, & in pauca redactam ex vno quoque ſententiam, breuiter pauloque dilucidius expoſui. Antiquitatis enim ſcribendi morem, quem ille ſequitur ex vtriuſque linguæ doctiſsimorum libris obſeruatum, non dubium erat ſubobſcurum iunioribus viſum iri, ego verò qui pleniores etiam huius ipſius operis commentarios, ad me Patauium à fratre tuo miſſos legeram, deque familiaribus illius, quotidianisq; ſermonibus, librorum ſententias, conſiliaq; auctoris omnia cognita habebam, nullo negotio admonere potui quibus de rebus in quoque diſputetur. Inuidis autem atq; ignaris hominibus qui tantum ſordes, & fœdam ex grammaticorum ſentina barbariem amare poſſunt, nihil reſponſum ipſis volo, ſed qui bene ſunt animati ad literas, nec alieni à ſcriptis doctorum hominum, ſciant nihil hoc ordine fieri potuiſſe elegantius, nihil ad naturam magis accommodatum. Etenim ſciunt omnes qui in philoſophorum libris verſati ſunt non vnam eſſe in tradendis diſciplinis viam. Eſt enim illa quæ ſcientiam definitione primum explicat

cat,quidq; ea ſit oſtendit: tum ea quæ ſunt in definitione,tribuit in partes, & ſingula diſtincte breuiterq; numerando proponit totamq; ſcientiam diuidendo partiendoq; abſoluit .Hunc morem docendi quem vocant μέθοδον διαιρετικὴν , videtur M. Tullius in partitionibus oratorijs propoſitum habuiſſe. Altera via eſt non prorſus huic diſsimilis quoties rem de qua diſputare inſtituimus, vniuerſam ante oculos poſitam, quaſi corpus aliquod ſuis ex partibus conflatum in partes ipſas reſoluimus, ad primaq; illa, atq; fontes, vnde orta res eſt, modo quodam reuertimur. Hanc ἀνάλυσιν Peripatetici omnes dixerunt, hoc, à ſuperiore differentem, quod illa ſemper diuidendo, quam plurimas, hæc verò pauciſsimas in partes rem ſequitur diſtributam . His tertiam adiunxerunt viam qua rem, vel ſcientiam, ordine quo nata eſt exponere aggredimur, à minimis illius elementis, ſimpliciſsimisq; partibus ijs, quæ alias in partes diſtrahi non poſsint, quam doctiſsimi veterum σύστασιν dixerunt. Ex his, alia, alijs explicandis rebus ac ſcientijs pro natura cuiuſque, magis minuſue accommodata eſt grammaticis quidem, poſtrema hæc magis idonea eſt quam priores duæ, ut artem à primis literarum elementis auſpicentur. Poſt literas, natura, ſyllabæ ſequuntur, poſt ſyllabas dictio, poſt dictionem oratio. Nemo hactenus hunc ordinem auſus eſt reprehendere, niſi ſi quis contra naturam inſaniat: qui ordo ſi rectus eſt illud profectò eſt rectiſsimum, ut partes orationis, & quæ dictioni, ſyllabæ,

labæ, ac literis adiuncta, affixaq; ſunt à natura, ijſdem in locis tractari conueniat ubi explicari literas, ſyllabas, dictionem, atque orationem oportebit. Quamobrem ſi non alio loco adiuncta quædam & res quibus adiuncta ſunt exponi debent, profectò aſpirationem cum literis, ſyllabarum tempora cum ſyllabis, accentus cum temporibus tractandos fuiſſe confitendum erit. Etymologia etiam, analogiæ, & orthographiæ rationes cum dictione: & quæ patronimica vocant, & comparationum gradus, inter nomina: & locorum aduerbia inter cætera poni aduerbiorum genera debuerunt. Hæc ſunt enim & his non diſsimilia, quæ iſta grammaticorum ſentina aduerſus hunc ſeruatum à fratre tuo homine doctiſsimo, ſummoque diſſerendi artifice, ordinem diſputant. Verum ego & iſtos flocci non faciendos puto, & in principijs librorum non nulla attigi præterea quibus recte animatos admonerem. Hunc verò tu Marcelle, donec erunt latinæ literæ, quas neceſſe eſt eſſe ſempiternas, munus pulcherrimum habebis à fratre, & monumentum ingenij, eloquentiæ, & amoris in te ſummi: ſtudioſi autem latinitatis, maxima hæc adiumenta, & elegantiſsima, quibus ad literas ingenuasq; artes capeſſendas vti poſsint. Ego præterea gratulor virtuti amiciſsimi hominis propinqui mei, perfectoriſq; ſtudiorum vtriuſq; noſtrum: gratulor bonis literis, & patriæ noſtræ, quæ vt his annis octoginta acerbiore fortunarum omnium iniuria quam antea afflicta ſit, deque vetuſtiſsimis ornamen-

tis a c

tis ac dignitate ſemper vſq; ad hodiernum diem in diſcrimen vocata, adhuc tamen præter quotidie reuiuiſcentes fortunas huius etiam in viri optimi ac doctiſsimi ſplendore & gloria conquieſcet. Vale Vriæ Prid. Kal. Sept. MDLXIX.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. I.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

HOC primo libro, primum Latinitatis partes tuetur: de literis, literarumq́; natura, ac diuiſioubus, diphthongis, & aſpiratione diſputat. Hinc ex natura ordinis, & Flauij Cariſij ueterumq́; doctiſsimorum hominum uſu & auctoritate ad ſyllabarum explicationes, ſubtilesq́; breuium, longarum, & communium rationes accedit. Quod ſi eorum intelligentia hoc non ferat, qui noui ad literas latinitatemq́; diſcendam ueniunt, auctori tamen homini doctiſsimo, habenda fuit ratio ordinis illius, qui maximè eſt à natura, ut quæ adiuncta ſunt literis, aut ſyllabis, eodem loco ſibi neceſſario tractanda putaret, ubi de literis, ac ſyllabis, uti diceretur ſtatim, natura ipſa locum obtuliſſet. Neque nouum tamen credatur, aut inuſitatum in tradendis diſciplinis, ea naturaliter eſſe prima quæ ſunt omnium difficillima ad intelligendum. In dialecticis enim Ariſtoteles, decem illa ſumma regum genera, primum cognoſcere nos uoluit, quæ ſi intelligere planè uelimus, non modo omnem dialecticam, ſed philoſophiæ quoque rationem totius tenere ante debeamus. Quamobrem ut à reliqua philoſophorum diſciplina ad generum quæ dixi ſcientiam reuertimur, ſic à cæteris grammaticæ, latinique ſermonis partibus, multo magis quam in philoſophia, cogente hic natura ad exquiſitam de literis, de ſyllabis, accentibusq́; rationem ſtudioſi reuertentur. Atq; (ut à dialecticorum doctrina adhuc non diſcedam) una apud illos præceptio eſt inueniendi argumenta, quam τοπικὴν, altera tractandi, quam κριτικὴν uocant. Si naturam ſpectes, & M. Tullio tradenti credere uelimus, prior eſt inueniendi, quæ tamen ſi tractandi, iudicandiq́; partes ignorentur, cognoſci facilè non poſsit. Sæpe igitur aliud eſt natura prius, aliud captu diſcentium, ut in hac etiam ratione, quum rudes adhuc, alium ordinem requirant, natura (uti iam dixi) conſuetudoque doctiſsimorum, ordinem hunc ab auctore ſeruatum poſtulabat.

LATINAE linguæ opem afferre aliquam & ſtudia iuuentutis quo ad poſſem adiuuare cupiens, Marcelle frater, poſtquã à uobis Vria diſceſsi, ea tempora ſum expertus, quæ utinam (id quod mihi tũ erat maximum) hos tantum libros tuo rogatu à me iampridem inſtitutos retardare potuiſſent. Nam lugere iſta, quibus noſtri ciues gloriantur, & alia quotidie mala, ex alijs, noſtra ipſorum culpa atque ſcelere naſcentia, quum uidere amplius non poſſem, & inuenti eſſent qui me à deſperatis iam rebus omnibus, ad ſpem ſummã otij uocarent, eo loco atque auctoritate homines quibus parum ſapienter quis non euertendum ſeſe credidiſſet, ad ea loca ſum profectus ubi cum ueteribus patriæ fortunis, mearum quoque nouas acerbitates rerum inexpiabiles dolerem. Hæc tamen Deus aliquando reſpexerit, ut mea ſtudia, fluctuantesque res omnes, conſiſtere aliquo in ſtatu uelit, & mentem noſtris ciuibus immittat eam, qua ſe ipſos denique circumſpiciant, & mea auguria, measque prædictiones, ex illa oratione quam ante ſex annos poſt obitum Aleandri ad illos miſi recordentur. Niſi enim plurima & grauiſsima eo tempore ante prouidiſſem quæ partim euenere, partim imminent peſtilentiora, nunquam ſic ſtultus fuiſſem ut bonis ac fortunis, uitaq; omnium & meo ſanguine ea redimenda eſſe prædicarem. Sed nobis res eſt illis cum hominibus frater, qui intenti auaritiæ ac rapinis, omnia depeculantes, neque ſe patriæ, ſed ſibi patriam uolentes eſſe natam, conſilia noſtra differunt ad ea tempora, quum ſibi & cupiditati ſuæ de ærario ſuperſint, quæ tanquam de ſuo ciuitati donare uideantur. Non deſpero tamen fore hæc aliquando meliora, ſi, uel nouis legibus corrigentur, uel ſuperior ſi poteſtas reſpexerit: uel quùm longa ſaltem in poſteritate aliqua, (ut ſpero & opto) extabũt, qui nos, ignauiam, auaritiamque noſtram & inanitates ingeniorum diris execrationibusq; deteſtentur, & hanc urbẽ quæ ſemper à duobus millibus annorum amplius, ad paulo ſuperiorem ætatem rebus omnibus floruit, non prorſus ante mundi interitum ipſius, interire patiantur. Nos uerò frater, ſi priuatas per fortunæ iniurias liceat, & noſtris à rebus turbulentiſsimis reſpirare detur, his in literis uerſemur, quibus & ſi frui propter aduerſa & acerba multa non poſſumus, à cura ſaltẽ ac ſollicitudine abducere animum ſæpius, & nos ip

ſos

ſos harũ tractatione crebra fallere poterimus. Nũc mihi his in libris illud uolo eſſe primum, ut ſi ad omnes diſciplinas, integri, & ſola cum uoluntate diſcendi, in partemque nullam perſuaſi, debemus accedere, multo id magis ad hæc ſtudia neceſſarium putemus, quæ iudicio potiſsimum conſtant, magno, ſubtili, & uario, ut qui opinione fallatur uel ſua uel præceptorum, ei nulla ſatis futura ſit ætas ad ueram formam latinitatis conſequendam. Quumque toto de genere quæ à peruerſitate ſunt uel iudicij uel naturæ mihi uideam alio loco pluribus eſſe diſputandum, nunc rationem exigi ab ijs qui docentur paulo accuratiorem uolo, religionis & pietatis, non quam ſibi quiſque perſuaſit, uel à parum ſanctis hominibus accepit, ſed quam diuino ſpiritu inſtinctam, Romanæ ſedis, & huius quæ nunc eſt imperij maieſtas auguſtiſsima terminauit. Hoc erat in primis admonendum, ut mentis uſquequaque rectiſsimæ hominibus hęc ſcribi uiderentur, de quibus mihi (ut rogaueras) cogitanti, alia ratio non eſt uiſa commodior neque uberior latiuſque patens, quam ſi certa ratione ac uia grammaticæ ipſius partes omnes à principio tractarem. Nam quod multi fecerunt, ut obſcuros media ex antiquitate locos & uerba ſingula, maximis ex auctoribus quædam notarent, ſentio equidem prodeſſe bonis literis multum, nec minima, olim quoque, adiumenta latini ſermonis ea fuiſſe à doctiſsimis exiſtimata, ſed non minus obſcura ſunt, & certe uſu quotidiano, maxime omnium uſurpata, quæ in hac diſciplina proponuntur nobis ad explicandum. In illa enim ἀφορισμένα caſu accidit ut ſæpius etiã incurramus, in his μεθοδικοῖς fieri non poteſt, ne ſemper, ut in cancellis quibuſdam incluſi uerſemur: ad illa ſæpe accedimus, ab his egredi nunquam poſſumus. Qui uitari igitur, aut latere ſaltem poſſunt uitia rerum quæ magnas innumerabileſque difficultates habent & explicatione ac iudicio carent ueterum, & ſingulos penè ad motus linguæ ipſe patefacias neceſſe eſt? Nam ſi fontes quidam ſunt ea quæ in grammatica docentur, locorum etiam, quos alij (uti iam dixi) perſequuti ſunt, & omnium quæ in ſermone uerſantur, cæteraq; omnia, his primis ex fontibus deriuata ſunt, illud profectò uerè dicimus, hæc ſi planiſsimè ſunt rectiſsimeq; retractata, diligentiam hanc & lumen, ad reliqua ferè omnia permanere. Vtinam ergo aut monumenta ueterum quæ pulcherrima quondam & plurima fuerunt, his de rebus extarent, aut iampridem noſtros homines doctiſsimos, præſtantiſsimæ artis, tanta cum bonarum iactura literarum, pudere non cępiſſet. Ego uerò tantum mihi non ſumo ut ſcripta à

pta à ſapientiſsimis, quæ amiſſa ſunt me confidam reſtituere, nec tamen ſi ut illi doctrinis, & ingenio abundarem, tanta ſuperbia eſſem, ut ea me pudeat mandare literis, quæ Cæſio Baſſo, Cornelio Frontoni, Terentio Scauro, Valerio Probo æquales plurimi, tractare pulcherrimum ſibi eſſe putauerunt. An maiore exiſtimatione ſumus quam P. Nigidius, M. Meſſalla, M. Varro, C. Cæſar, C. Plinius, ac de Græcis Apollonius, Herodianus, Ariſtarchus, Magnus Baſilius & Plato clariſsimisq; olim ſcientijs omnibus, eloquentia, amplitudine rerum geſtarum, imperiisque & religione ſumma uiri; qui ſcriptis luculentiſsimis honorem ab hoc ſtudio petiuere? Errant enim uehementer, qui nimis magna opinione uel ſcientiæ ſuæ uel dignitatis, nec adduci ullo pacto ipſi poſſent ut huiuſmodi de rebus cogitarent & nos qui hoc ſtudio tenemur, neque multum doctos uideri, neque præ ſe homines eſſe arbitrantur. Contra enim quam arrogantes & ignari homines putant, non quemadmodũ philoſophia à philoſophis, mathematica à mathematicis, aut artes pulcherrimæ, à cęteris, ita hæ res tractari à grammaticis debent, quarum præcepta negligi ſine interitu literarum omnium, aut colligi & explicari utiliter niſi à doctiſsimis, & eloquentiæ artiumque plurimarum, & latini græcique ſermonis ſtudio, & ſcriptorum omnium in genere directeque uerſatis minime poſſunt. Quumque hæc ſententia ſemper fuerit ſummorum hominum, & eorum qui ſcriptis etiam excellentiſsimis (ut iam dixi) hanc diſciplinam adiuuerunt, me non ſcientia mea, ſed aliorum potius magnum ac diuturnum in hoc genere ſilentium, & cupiditas excitandi præſtantiora ingenia, ad ſcribendum induxit. Spero enim & opto, ſiquibus fortaſſe antiquitatis rationem, & literas docendi non ſatis uidebor eſſe conſequutus, fore ut inuenire ipſi ſtudeant, quæ uideantur eſſe meliora. Illud ego poſſum affirmare, ut his libris, quoad licuit, quantunq; uiſum fuit, me noſtri & græci ſermonis uias omnes & ueterum oratorum loquendi morem, & maximè probatam perfectiſsimæ conſuetudinem Romanæ linguæ, omniaque diligenter, quæ ad rem pertinere ſunt uiſa, perſecutum eſſe. Nec illud quis reprehendat, quod alios ad latine loquendum inſtituens oratione ſim uſus mundiore quam in ſcholis fieri conſueuit. Verba autem quæ in ueterum ſunt grammaticorum libris non erat cur omnia pertimeſcerem. Non modo enim qui inclinante iam Romano Imperio, ſatis latinè ſcripſerunt homines docti & eruditi, ſed M. etiam Varro ex ijs plurima, grãmaticæ arti propria nobis conſeruauit. Noſtris uerò in diſputationibus

A quibus tractari grammatica debeat.

nibus

nibus de copia latini ſermonis, unde ſpero ſtudioſos noſtræ linguę, maiorem quam ex his libris fructum eſſe capturos, multa collegi quę ut parum latina etiam à doctis hominibus uitantur. Deniq; tamen ut ueniam ad ea quæ inſtitui, grammaticam eſſe definiunt recte loquendi, recteque ſcribendi ſcientiam. Hæc duas in partes diſtributa eſt. Vnam, quæ nominum ac uerborum, cæterarumq; partium declinatione, totaque analogia ſpectatur; uel naturalibus, quales numerorum ſunt, generum, temporum, ac perſonarum. Altera pars eſt, quæ in poetarum, auctorumq; aliorum, explicatione ponitur. Quare hanc ἐξηγητικὴν illam autem ὀριστικὴν, & recte loquendi ſcientiam noſtri dixerunt. Huius, quatuor ſunt partes, litera, ſyllaba, dictio, oratio, literam definiunt ueteres, minimam partem uocis humanæ indiuiduam. Diuidi enim oratio in uerba, hæc in ſyllabas, hæ denique in literas poſſunt, ad quas à cęteris partibus ubi peruentum eſt non relinquitur aliud quod partiare. Recte igitur adhibitam eſſe definitionem putauerunt, nec aliquid eſſe, quiſquam cenſuit, quod uocalem productam duo partiri in tẽpora debeamus. Primum enim hoc non modo uocalium dumtaxat eſt, non conſonantium, ſed ne uocalium quidem. Etenim, tamen ſi noſtro in ſermone forent illæ, quæ ſunt apud græcos, duæ, per naturam ſemper longæ, hoc ineſt in ijs tamen, & ineſſet in latinis etiam, quia ſyllabas faciant natura ſemper longas, non quia extra ſermonem poſitæ longæ ſint uel breues. Sed nihil homines indocti non calumniantur. Nobis uerò quam ſimpliciſsimè fieri poteſt ſemper his in uerbis agẽdum erit. Literæ, ſunt, aut uocales, A, E, I, O, V, & græca Y, aut conſonantes, ut reliquæ omnes, quarum aliæ ſemiuocales dicuntur, L, M, N, R, S, X, Z, aliæ mutæ B, C. D, F, G, P, Q, T. Ex uocalibus diphthongi fiunt AE, AV, EI, EV; OE, & in græcis quibuſdã apud nos YI, ut Muſæ, Laus, Vrbeis, Eurus, Cœlum, Arpyia. Præterea I, & V. ſæpe conſonantium loco ſunt in noſtra lingua, uel ſecum iunctæ, ut Iuno, Via, uel cæteris uocalibus præpoſitæ, ut Ianus, Venus. Fiunt etiam conſonantes quùm ipſe ſibi antecedunt, ut;

Litera definitio.

Diſijce compoſitam pacem:

& huiuſmodi in uerbis, vultus, ſeruus, clauus, V, litera in multis apud nos, nec uocalis, nec conſonans habetur, idque ſemper Q. ſępe etiam S, antecedente, ut quæro, quatio, ſuadeo conſueſco. Sed I, inter duas uocales, duarum inſtar eſt conſonantium, ut maius, peius Aiax. De ſemiuocalibus liquidæ ſunt L, M, N, R, in uerſu tamen S, quoque ueteres poetæ ſæpiſsimè ui conſonantis priuabant,

id quod interdum ſunt poſteriores etiam imitati, ut;

Inter ſe coijſſe uiros, & decernere ferro.

Semper X, & Z duplicium præditæ ſunt conſonantium poteſtate. H, aſpirationis quidem nota eſt, ſed conſonantem aliquando faciũt poetæ, ut;

Ille latus niueum, & molli fultus hyacinto.

Quando autem, in ſuo genere, ſatis hæc diuiſa ſunt, placet mihi ſubtilius, à principio, ſingulis de literis, & plenius diſputare. In his enim ſunt plura, quæ maiorem adhuc diligentiã requirunt, & profectò ars ipſa, honorem his debet, unde etiam nomen accepit. Itaque litera eſt minima pars dictionis. Oratio enim in uerba, dictionesue, reſoluitur, uerba in ſyllabas, hæ demum in literas. Literæ autem, elementi etiam nomen dederunt, quæ duo uerba hoc inter ſe diſtãt, quod elementa minimæ ſunt partes uerbi, quùm pronuntiantur: literæ autem elementorum notæ quæ ſcribuntur, quemadmodũ hæc duo apud græcos γράμμα καὶ στοιχεῖον Ammanius diſcreuit.

Inter literã, & elementũ

Literam à lituris nomen accepiſſe, non placet eruditis. Non enim ex eo nominari debuit, unde litera eſſe deſinit. Itaque dictam potius à legendo maluerunt. Hoc tamen ego ſcrupuloſius non quæram. Elementum uero dictum ſine dubio eſt à ſimilitudine quatuor mundi elementorum. Vt enim illa initia ſunt rerum omnium, ita hæc, recte permiſta ſimul, in ſyllabas, in uerba, & in quaſi corpus coaugmentatur orationis. Quod ſi, & literis pro elementis, & hæc pro illis dicta ſunt, puerilis tamen eſt ſcientiæ diſcernere. Vt enim plura ne dicantur, quum literas alias, alijs iungi negamus, tum non ipſis de literis, quæ arbitratu cuiuſque, pingendo tranſponi queunt, ſed elementorum de pronuntiatione agimus. quorum ea natura eſt, ut (quod exempli uim habere uolo) ſecunda ſemiuocalis quartã ferre ſequentem non poſsit. Literæ igitur, aut literarum notæ ſunt, quas ante iam diximus, uoces autem, ſeu pronuntiationes earundẽ, (ut obſeruauerunt ueterum doctiſsimi) tot omnino, quot modis, accentu acuto, uel graui, correpta uocalis, aſpirata uel tenuis mutatur, ut hábeo, habêmus, àdeo, àdîmus. Quatuor modis hic prima uocalis pronunciatur: eadem, tribus alijs adhuc, ſi erit longa, & acuta, uel grauis, uel circũflexa aſpirationeq; habebit, ut hámos hámôrum, hâmus: totidem, ſi abſit aſpiratio, ut damas, damarum, dáma. Idem cæteris quoque de uocalibus dici poſſet, denis uidelicet ſonis, aut pluribus etiam ſingulas pronuntiari. Sex igitur ex uocalibus, hanc rationem ſequuti, ſonos uocalium ſexaginta ueteres fecerunt.

Soni uocaliũ ſexaginta.

cerunt.

cerunt. Propriè uocales nominãtur, quòd aliter ac cæteræ quas cõſonantes dicimus, uocem per ſe plenam efficiunt, nec ſine his eſſe uox humana poteſt ulla. Hinc ſemiuocales etiam, quod, nominis quanquam indiuidui, principium tamen à uocalibus, finem, à ſe ipſis habere uideantur, ut L, M, N, R, X. His, mutæ, contrario more proferuntur, ut ab ipſis cœptum nomen, in uocales finiant. Nunc ergo, ipſis de uocalibus dicere aggrediar ſingulatim: quarum propria uox eſt, unde & proprium nomen his datum. Non enim, ut conſonantes, externæ egent opis ad formandam uocem. Contra uerò, ſine his, eſſe uox ulla non poteſt. Quamobrem, has uocales dixerunt, quomodo Horatius;

Cur uocales dictæ ſint. *Cur ſemiuocales.* *Proponit.*

Vnde uocalem temere inſequutæ
Orphea ſyluæ

Hinc ordine ſingulis de uocalibus quum dixero, ſingulas etiam ad conſonantes accedam. Prima uocalium, ſeu longa, ſeu breuis, in alteram ſi uerti debeat, in ſecundam ſemper uertitur longam, ut frango, capio, ago, facio, unde ſunt, fregi, cepi, egi, feci. Nam, cecidi, peperi, tetigi, & ſimilia, non ex uerbi litera, ſed ex ratione augmenti, primas corripiunt ſyllabas, ut memordi, tetondi, ſpepondi, & alia quæ hodie pronunciantur, momordi, totondi, ſpopondi, ut à fallo etiam fefelli. In huiuſmodi geminatur ipſo etiam ex uerbo ſyllaba, ut curro, cucurri. Alia uerba, in tertiam vocalem breuem, hanc mutant, ut facio, unde afficio, deficio, & huius formæ plurima. Hæc maximum habet ſonum, ſonantioraque uerba reddit, quibus reſperſa crebro membra orationis, pleniora fiunt. Maiore enim hiatu oris effertur, quam ulla de cæteris alia, ut;

Prima uocalis.

Arma uirumque cano.

Quanto pleniore uoce eſt, quam illud?

Dic mihi muſa uirum.

Ita denique exprimitur, ut undique ſuſpenſa lingua, dentes, ne inferiores quidem ualde attingat. Commune hoc habet cum reliquis quatuor uocalibus, ut pro uerborum natura, nunc longa, nunc breuis ponatur. Vt autem prima in ſecundam, ita hæc in tertiam uertitur, ut queo, quiui. Alia uerba hanc mutant in quintã, ut moneo, monui, doleo, dolui, doceo, docui. Pronuntiatur ora linguæ tota molaribus circum, primiſq; dentibus appulſa, & mandibula ſuperiore, magis depreſſa, quam in prima. Tertia quoque, ſimiliter ac ſecunda, niſi quod lingua in alueum curuata quendam, palatoque

Secunda uocalis. *Tertia uocalis.*

leniter apta, tenuiorem ſonum reddit, quare, apud Platonem Socrates locum ad omnia tenuia, ac penetrantia, huic eſſe credidit, ideoque uerbis ἰέναι & ἵεσθαι olim à uerborum ſapientiſsimis auctoribus eſſe datam. Quum breuis eſt, ultimamque antecedit, ſonum habet ſimilem quintæ. Non enim (ut Quintilianus ait) ſic ſonat optimum, ut opimum. Hinc factum, ut optumè, & maxumè, & carnufex, & lacruma, & ſexcenta id genus olim dixerint. Poteſt etiam hoc accidere, quum tertia eſt ab ultima, aut maiore etiam in numero ſyllabarum, in ijs præſertim uerbis, quæ uel compoſita ſunt, uel declinando fiunt productiora, ut;

Tertia uocalis dupliciter ſonat.

-Interim collacrumabat.

Eadem fit cõſonãs duplex

Inter duas poſita uocales, Duarum habet uim (ut iam dixi) conſonantium, aio, Maia, Troia, ſed in uerborum principiis unam dumtaxat in conſonante n tranſit, ut ianua, iecur, iocus, iucundum, nec dubitandum eſt, quin ſibi etiam præpoſita, conſonantis loco habenda ſit, ut in illo;

-Diſiice corpora ponto.

Vocalis tamen eſt in huiuſmodi, Valerii, Latii, Capitolii, audii, uenii, ut;

Audiit omnipotens.

Huic ſi aſpirari debeat, aliud quam uocalis eſſe ipſa non poterit, ut hiare, & hiulcus, quæ uerba cum ſimilibus, præpoſitæ aſpirationis cauſa, neceſſario ternis conſtant ſyllabis. Solita eſt huius loco haberi quondam ſuperior uocalis, ut uea, uella, pro uia villa. Quemadmodum pro ſuperiore quarta uſurpata eſt: item ſequens, ut verto, vorto, vertex, vortex. Meminerimus tamen conuenire hoc latinis tantum uerbis, aut latinè ſaltem inclinatis. Ita conuerſa, mutataque, aſpirationem ferre antecedentem non poteſt, ut nec alia conſonantium ulla cæterarum. Quum ſimplex eſt conſonans interdum à prima ſyllaba ad medias tranſit, ut coniuro, & iniuſtitia, coniuncta uerba à ſimplicibus iuro, & iuſtitia. Huius cum ſuperiore ſimilitudinem, declarat quod illa, quibuſdam in verbis, huius loco poni conſueuerit, unde here apud Plautum, & ueteres pro heri dictum eſt. Quocirca Menerua etiam, & leber, & magiſter dixerunt. Quarum ſimilitudinem inter ſe vocis, ut probaret Scaurus, argumento eſt uſus diphthongi eius, quæ nũc prima uocali & ſecunda, olim uerò prima & tertia ſcribi ſueuit, ut;

Pictai ueſtis & auri.

Quarta uocalis.

Quarta multo aliter, multoq; ſonat robuſtius longa atq; breuis, ut ſentire

ſentire cæteris etiam de uocalibus neceſſe eſt. Poſita eſt olim hæc locis aliquot, pro ſuperiore, ita ut in duodecim tabulis, ollos & ollas, & olla etiam legamus, cui antiquitati, honorem habens Vergilius, illum imitatur ſcribendi morem;

Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo.

Sed hoc potiſsimum loco admonendum fuit, quod alia figura breuem, alia longam græci eſſe uoluerunt. Qua de re, ſic Philoſophi etiã diſſerebant, ut eſt in cratylo Platonis, τὸ δ᾽ αὖυ, τῷ μεγάλῳ ἀπέδωκε, καὶ τῷ μύκει, τὸ η, ὅτι μεγάλα γςάμματα, εἰς τὸ ςρογγύλον τοῦ οὐδεόμενος σημείου, τοῦτο πλεῖςον αὐτῷ εἰς τὸ ὄνομα ἐνεκέρασε, καὶ τ᾽ ἄλλα οὕτω φαίνεται προσβιάζειν, καὶ κατὰ γράμματα, καὶ κατὰ συλλαβὰς ἑκάςῳ τῶν ὄντων σημεῖόν τε καὶ ὄνομα ποιῶν ὁ ὀνομαθέτης. ἐκ δὲ τούτων, τὰ λοιπὰ ἤδη αὐτοῖς τούτοις συντιθέναι ἀπομιμούμενος. Idem doctiſsimi homines, minore litera, maioris loco antiquitatem eſſe uſam dixerunt, ut etiam ἴσςος pro ἴςως antea fuerit. Tertiam habent ijdem, è ſeptem uocalibus natura ſemper longam, pro ſecunda noſtra quum producta eſt. M. Tullius de oratore, à quibuſdam reprehendit etiam pro noſtra tertia pronuntiari. Quare Cotta (inquit) noſter cuius tu illa Sulpiti nonnunquam imitaris, ut iota literam tollas & E pleniſsimum dicas, non mihi oratores antiquos, ſed meſſores uideris imitari. Noſtri etiam ſingulas uocales utriq; tempori dederunt. Ita enim exiſtimaſſe uidentur, aut ſingulas binis figuris eſſe oportere quibus longę, breueſque ſyllabæ notarentur, aut ne illas quidem quas (iam dixi) addendas prioribus fuiſſe. Terentianus quidem duobus ſotadeis ita rem iudicauit.

Compendia noſtri meliora crediderunt,
Vocalibus ut non niſi quinque fungeremur.

Nec dubium, quin ſecunda apud nos & quarta, quum producuntur eundem habeant ſonum, quem tertia, & poſtrema græcorum, duploque maiorem productioremque vocem omnes longæ uocales habeant quam breues, quod ut ſignificarent ueteres, aliquandiu uſque ad Actii ſæculum ſyllabas quæ producendæ eſſent binis uocalibus notarunt. Quinta vocalis eſt, ut Ianus, Remus, & conſonans ut uorax, uinum, & quemadmodum tertia de uocali dictum eſt, ipſi præponitur ſibi, ut vultur, ſeruus. ignauus. Valere hic eam tantum, quãtum Aeolicum digãma docti homines dixerunt. Diuerſam ac propriam ex antiquitate æolica, Cæſarem aiunt figuram huic ſono uoluiſſe reſtituere, ſed conſuetudinem tamen uincere nequiuiſſe. Pro duabus eſſe cõſonãtibus quidam arbitrãtur in locis huiuſmodi *Quinta uocalis.*

di uerborum, audiui, laudaui, laudaueram, laudauiſſem. Aiunt etiam hanc pro aſpiratione habuiſſe quondam Aeoles, ut nunc etiã & Heſperus, & Veſper, & alia quædam, ubi græcæ aſpirationis loco hanc literam ſuſtituimus. Noſtri poetæ unius diſſolutione ſyllabæ in duas, hanc iterum ex ijs uerbis, ubi conſonans eſt, faciunt uocalem, quod Oratio, Catullo, & Tibullo conſuetum eſt, ut;

Hunc cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina non ulli diſſoluenda Deo.

Huius uicé quum uocalis eſſet, quarta olim, quibuſdam in uerbis, ac uerborum locis utebantur, ut Quom, Seruos, Dauos, coruos. Altera enim alterius loco interdum ponebatur, ut Ecuba, notrix: Pulyxena, Chulcides, & eorundem nominum, alij caſus aliam literam depoſcunt, ut robur, fœmur, corpus, tempus, & innumera huiuſmodi, quorum tamen ad quartam uocalem cæteri caſus reuertuntur. A uolo, fiebat olim volt, unde, tum voltus, nunc vultus. Quam plurimis in uerbis noſtræ linguæ, neque uocalis, neque conſonantis numero habetur, ut qualis, quæro, querela, Quirinus, Quirites, quocunque, iniquus, ſuadeo, conſuetus. Fit enim hoc, ſi uel quinta ſemiuocalis antecedat, uel una ex duabus mutis, ſeptima uidelicet ut eſt in uerbo quærendi ac ſimilibus, uel quinta ut in his, lingua, pinguis, unguo. Illam tamen quam dixi ſemiuocalem, integra uocalis hæc ſequitur in quorundam principijs uerborum, ut inſuendi uerbo, & in ſuus. Hæc uocalis ultima, erat: olim pro ſuperiore, ut hoc, iſtoc, pro huc, & iſtuc. Carent græci hac litera, proque ea, uel ſuam ponunt. Sextam, uel antepoſitam ſextę quintam. Vocalis denique ita pronuntiatur, ut quemadmodum in prima & quarta, paulum ſublata lingua, nullam attingat oris partem, & maxime reſtrictis labris, dilatatiſque faucibus interiore ex arteria uox ducatur. Quum uerò conſonans eſt, eam habet uocem, ut ſuauiſsimè una pars inferioris labri, ſuperioribus admota primis dentibus, multo exiliorem, quam F, ſonum reddat. Quibuſdam in uerbis, geminatur uocalis, ut ambiguus, arduus, conſpicuus, occiduus. Sexta, græcarum eſt uocum, & ſimili quidem, ſed tenuiore eſt ſono, quam ſuperior. Pronunciandam aiunt, ut ſi ex noſtris quintam velis dicere, ad inferiores dentes paulum admota lingua, ſono propemodũ, quo noſtram Lygures, Tranſalpinique Galli poſtremã dicunt uocalẽ. Quare alterã pro altera, quibuſdã in uerbis aliqñ poſitã inuenimus, ut Sulla pro Sylla: &, q̃ à græco trãſtulimus, uñ (ut Verrius ait Flaccus) κύμινον, κυπάρισσον, κυβερνήτην, nos cumi num

Digãma Aeolicum.

num,cupreſſum,gubernatoremq; dicimus.qua ratione ὑρίαν quoq;, & μανδυρίαν ut mille alia, Vriã fecimus,& Manduriã.Mutauerũt hãc rarò in quartã noſtri ſermonis uocalẽ,unde ſcriptas in lapidibus aliquot antiquis Romæ lacrimas adhuc,latina litera uidemus. Nec mirum tñ, (ut ante iã dixi) quintã correptã uocalẽ in ſyllabis quæ ante cedunt ultimas, in tertiam eſſe mutatã, & cõtra quã ſupra iam dictũ eſt,ex lacrumis factas eſſe lacrimas,quum uix diſcernere in his differentiã ſoni poſsimus. Hodie tamen quaſi ὑπὸ δακρύων græca hic litera potius utuntur. De noſtra dicã Ciceronis potiſsimum uerbis; Purrhũ (inquit) ſemper Ennius, nũquã Pyrrhũ. Vi patefecerũt Phruges,non Phryges,ipſius antiqui declarant libri.Nec enim græcã literã adhibebant:nunc aũt,etiã duas,& quum Phrygũ,& quũ Phrygibus dicendum eſſet:abſurdũ erat,aut tantum barbaris caſibus græcã literã adhibere,aut recto caſu ſolum græce loqui,tñ & Phryges,& Pyrrhum,auriũ cauſſa dicimus. Verũ tranſeo iam ad ſemiuocales,quarũ in numero,qñ liquidæ cõtinentur,etiã de his dici ſimul intelligatur. Hæ ſunt enim primæ quatuor ſemiuocaliũ L,M,N,R,quarũ de natura,tũ uidebimus,quũ de ſyllabis tractandũ erit. Nũc uero dicendũ illud eſt primũ, ex his,lingua palato ſuauiter,& nullo cũ labore admota, conſonãtiũ oĩum,iucũdiſsimè in aures labi. Hoc uidẽs Plato idẽ, ſcripſit in Cratylo ὀλισθάνει μάλιστα, ἐν τῷ λ ἡ γλῶττα. Quare ijs uerbis vult eſſe datã,q̃ aliquã labẽdi,fluẽdiq; notionẽ habeat,ut λεῖα καὶ αὐτὸ τὸ ὀλισθάνειν, καὶ τὸ λιπαρὸν, καὶ κολλῶδες, καὶ τ' ἄλλα πάντα τὰ τοιαῦτα apud nos etiã lene,lenitas,labi,liquidũ,lubricũ, lumen,& ferè huiuſmodi.Secũda clauſo ex ore,in mugitus quandã ſimilitudinẽ erumpit.Illud nõ ferunt multi,quod uerbis in hanc literã ſæpe cadẽtibus, uocẽ pene in his ferinã cogimur imitari.Hæc,præter cæteras, cauſſa Quintiliano fuit, cur ſermonis græci ſuauitatẽ noſtro anteponendã exiſtimarit: quod negare,ſeu nõ poſsim,ſeu nolim,recte mihi tñ cupere uideor,mentẽ homini doctiſsimo eã eſſe q̃ M.Tull.fuit, ut alijs ẽt in locis patriũ ſermonẽ pluris faceret.In carmine,ſi cõſequẽs uerbũ ĩcipiat à uocali,auferũt latini poetæ hãc,& antecedẽtẽ uocalẽ,ut;

Semiuocales

Liquida.

Prima liquida.

Secũda liquida.

Littora multum ille

Vertitur in ſemiuocalẽ tertiã,quũ duo uerba cõiungimus,aliqua mutarũ ſequente,præterquã ſi P,ſequatur,vel B,ut quicunq;,tanquam, nunquis,nũcubi,circunquaq;,eorundẽ,tantũ,tantundẽ. Manet ergo ſi P,ſuccedat,uel B,ut ampliare,ambigere,ambire,amplecti,amputare. Hãc rationẽ ſequitur IN præpoſitio ,aut una ex his duabus, aut aliqua cæterarũ conſonantiũ adiuncta,ut imbuere,imperare, quibus

tamē ſi quarta ſemiuocaliū ſequatur in eam tertia cōuertitur,ut irro
Tertia liquida. rare,irruere,irretire.Tertia ſonū habet multo ſuauiorem quā prima.
Illa enim, tota ferme lingua in cauum curuata ad alteramq; tantam
palati partem accommodata, ſpiritus effertur leniſsimus, hac uero
ſimiliter, atque illa prorſus, niſi quod extrema lingua, extremoque
palato diutius aliquanto, iucundiſsimeque etiam per nares tinnien-
tem literæ uocem ſeruamus. Tinnit enim, ut æs, argentum, orical-
cum, cæteraque metalla, ita ut nemini dubium ſit, quæ ad tinniendū
pertinent uerba, ijs hanc literam ſonum uocis dediſſe, ut tinnire, tin
tinnare, tinnitus, tinnulus, tintinnabulum. Dulciter enim aures tin
nitu ſuo feriunt, quæ ſunt eiuſmodi.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Hoc, Demetrius etiā Phalereus cognouit,qui in libro περὶ ἑρμηνείας
de ſui præceptoris Theophraſti ſententia, hanc, & quam paulo ante
De tertia ſemiuocali Demetrius Phalerius. ſecundam poſui de ſemiuocalibus ἠχώδης τι & auditu iucundum ha-
bere dixit. Doctiſsimi quondam homines aliam eſſe hanc literam
putabant ſi conſonans altera ſuccedat ut quæ ſuperiore in uerſu fue
runt, Tantæ, Condere, Gentem. Non enim ita hic, ut vocali ſequen
te, extremam palati partem lingua attingit. Præpoſita hæc vocali-
bus, G, litera interdum à ueteribus modo quodam mitigata eſt, ut
gnatū potius, & gnarū dicerent,quā uel natum,uel narū,vt poſtulat
natura.Immo etiā propter nonnullam ſoni ſimilitudinem,quæ eſt in
ter ſecundam, & tertiam ſemiuocalem κακόφατα dixerunt illa.

-Numerum cum nauibus æquet.

Sine conſonantibus uerò uel vno in verbo, vel pluribus faſtidiū
longe maius parit, ut in illo accidit.

O fortunatam natam me conſule Romam.

Quod ſi fortunatè natam dixiſſet, ſaltem coniunctionis faſtidium
uitaſſet.Tametſi enim eadē litera quæcunq; ea ſit,in principio ſequē
tis uerbi,& in ſine antecedētis uocem ubiq; faciat auribus moleſtā,
hæc tñ cum aliis quibuſdā ſonat moleſtius,vt,velim quæras (Cicero
inquit) fundus nunquis in Nolano venalis ſit.Auctores enim ſeu la-
tini,ſeu græci,ſuperuacuæ putāt eſſe diligentiæ, ſemper in ijs moro-
ſum eſſe,quæ ne vitari quidē ſemper queūt.Vno quidē in verbo,me-
dijsq; in ſyllabis, modo geminatā eſſe patimur hanc literam, vt inno
cuus,& innocens modo ꝓpoſita G, voce ſuauiore mollimus, ut igno
bilitas,ignoti,ignaui,ignari,quibus in locis dubitandum nō eſt,quin
tertia ſemiuocalis meliore ſono, quam extra Italiam, pronunciari
debeat. Ipſius enim literæ naturalem ſi vocem hic ſequamur, con-
tra

tra conſilium quod ſequuti ſunt veteres aſperrime ſonabit. Itaque non ſumma lingua, vt veritas poſtulat, ſed tota prorſus, totũ ad palatum apta coniunctaque, proferenda eſt. Huius loco poſitam inuenio G, à ſcriptoribus antiquis, ritu græcorum, vt agcoram, & aggulos, & agguilla, & iggerere, multaque id genus ita ſcriberent. Quarta pronunciatur quomodo tertia, extrema lingua ad palatum paulo cis dentes admota, ſed concitata ac tremente, ſonumque terribilẽ, inſtar canum ringentium edente. Itaque litera canina à ueteribus quibuſdam nominata eſt. Solet orationem in ijs adiuuare, quæ terribilia ſunt, & maiore quodam ſonitu vocis indigent, vt;

Quarta liquida.

-Centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis fremet horridus ore cruento

Et in ſexto idem Virgilius.

Irruat & fruſtra ferro diuerberet umbras.

Quo de genere ſunt etiam

αλλότριον σπάρτας εἴπῃ γίνος, ἔῤῥε πρὸς ἄδαν
Ἔῤῥ' ἐπὶ ψεύσω πατρίδα καὶ γενίταν

Quinta ex ijs vna eſt quæ maiore ſpiritu pronunciantur, ideſt quæ à Platone γράμματα καλεῖτος πνευματώδη ζ, σ, ξ, ψ, Tenuem hęc ſibilũ facit, lingua modice extremis vtriſque dentibus admota. Vocis eſt iniucundæ ſæpius repetita, vt;

Quinta ſemiuocalis.

Iſtis tui fœdis factis facis.

Quare ſi Dionyſio credimus, veterum nonnulli odas etiam totas fecerunt, in quibus hęc litera vitata prorſus fuerit. Ludum tamen illum arbitror fuiſſe poetarum. Nam recte adhibita non expers eſt ſuauitatis, nec linguarum eſſet omnium ſi ea carere vox humana potuiſſet. Inter duas vocales poſita mutat ſibili tenuitatem, & ſonum quendam efficit pleniorem. Neque ita hæc litera ſonat in his ſator, & ſatis, & faſtus, vt in muſa, viſus, & auſus. Itaque ex Valeſijs, Fuſijs, Papiſijs, Auſelijs, milleque huiuſmodi, Valerij, Furij, Papirij, & Aurelij facti ſunt. Germanitas enim eſt nonnulla quartæ, & quintæ ſemiuocalium, & ſimilitudo vocis quædam, & alterius in alteram tranſitus, ut poſtremis etiam in ſyllabis, clamos, lepos, vapos, tepoſque olim fuerit, vbi nunc tepor, vapor, lepor, & clamor dicitur. Cauebatur in huiuſmodi hæc litera, vbi creare ambiguitatẽ poſſet, nec eodem loco dolor eſſe poterat, uel dolos, ſudor, vel ſudos. Nunc etiam vulgo tum honor, tum honos dicitur ab omnibus. Alia ſunt quæ ſolam in rectis quintam norunt ſemiuocalem, ut flos, ros, mos, vnde ſunt floris, roris, moris. Attici quoq; μάρτυς pro μάρτυρ.

Quinta ſemiuocalis alter ſonus.

Quarta, & quinta ſemiuocalis affinitas.

Quam

Quam plurima ſunt huiuſmodi noſtro in ſermone, ubi quinta ſemi uocalium, in quartæ ſonum, ac natura conuerſa eſt. Nã & oſnamenta pro ornamentis, & oſcines, quaſi oricines, & fœdeſum pro fœderũ, & pluſima, & aſena, & ianitos, & melios, & laſes, quæ ſunt hodie plurima, arena, ianitor, & melior, & lares, dicta olim ex Varrone cognouimus. Quid? non ne illa ſunt etiam, quæ puerili, quotidianoq; uſu trita ne miratur quidem aliquis? nõ modo enim à quæſo factum eſt quæro, ſed hinc, pro quæriui, & quæritũ, quæſiui diximus, & quæſitum. Iam quid ita uulgare eſt, ut corpus, munus, pignus, uellus, holus, & mus, & mas, & lygus, idq; genus infinita, quæ in obliquis omnibus, quemadmodum in rectis quintã ſemiuocalem habere debuiſſent? at contra non corpoſa, decoſa, muneſa, pignoſa, uelleſa, holeſa, muſes, & maſes, & lyguſes, ut ratio poſtulabat, ſed corpora, munera, hiſq; ſimilia oĩa per quartam de ſemiuocalibus, latinitas, & publica loquendi conſuetudo ſeruauit. Hinc ſunt illa quæ M. Varro idem, è carmine ſaliorum nobis recitat; Coſauli, doloſi, eſo, pro quod nobis Corauli, dolori, ero, quarta ſemiuocali nunc dicendũ eſſet. Olim detrahebatur ſæpe hęc litera, quum breuis ultima, uel media, uel poſtrema occurrebat, ut;

Sati uehemens cauſa ad obiurgandum. & Catullus
Contra nos, te'a iſta tua euitamus amictu,
Affixus noſtris tu dabis ſupplicium.

Pleni ſunt Lucretij, Terentij, Plauti, & ueterum libri ſimilibus exemplis. Fiebat hoc, ſed rarius, quũ accidebat longa, ut ſupra dictum eſt;

Inter ſe coiiſſe uiros, & decernere ferro.

Hac de re ſic M. Tullius in Bruto ſcripſit; qüin etiã quod iã ſubruſticũ uidetur, olim aũt politius, eorũ uerborũ, quorũ eædẽ erãt poſtremæ duę literę q̃ ſunt in optimus, poſtremã literã detrahebant, niſi uocalis inſequebatur. Ita nõ erat ea offenſio in uerſibus, quã nũc fugiũt noui poetę. Ita.n. loquebantur, qui eſt oĩbu Princep, non oĩbus Princeps, & uita illa dignu locoq;, nõ dignus. Quod ſi indocta cõſuetudo, tã eſt artifex ſuauitatis, q̃d ab ipſa tandẽ arte, & doctrina poſtulari putamus? pro hac, mutarũ poſtrema quibuſdã in uerbis, ex Atticorũ cõſuetudine ueteres utebãtur, ut mertare, & pultare, quorũ loco ſunt hodie merſare, & pulſare. Sæpius ẽt duæ ſi ſint iidẽ in duas conuertũt, ut ubi θάλασσα eſt, & γλῶσσα, θάλατταν eſſe malint, & γλῶτταν. Nec ſcio equidẽ, an mihi p̃cipienda hæc putarẽ, ſi uno, aut altero, aut paucis deniq; in uerbis obſeruata eſſent. Ac uide.n. quid eſt, cur multa in hãc literã exeũtia, nõ eandẽ ſeruare in obliquis debeãt.

Nam

Nam cos,in genitiuo coſis nō facit,neq;,ut flos, floris, ros, roris,ex
germanitate illa quā huic eſſe diximus cū ſuperiore coris,cori,corē
obliquos de ſe creare potuit,ſed cotis,coti,cotē, unde cautes ēt fue
runt.Eadē rōne,mars,ſors,ars,mors,nō ex poſtremæ cōſonantis na-
tura,martis,ſortis,artis,mortis,genitiuos,& hinc alios obliquos oēs
fecerunt.Ex rectis p̃terea ſingularibus,Camers,Tuders,Tyburs,im-
pos,& cōpos,& teres,& prępes,numero multitudinis fuerūt,Camer
tes,Tudertes,Tyburtes,impotes, cōpotes, teretes, milleq; id genus
talia. Contra uerò ſunt, q̃ à muta poſtrema ad quintā redeūt ſemiuo
calē,ut uerto,cuius in præterito,eſt uerti,facit in ſupino uerſum,un
de fuit uerſare,uerſus,& peruerſus:quæ muta in ſermone gręco ſi ge
mina occurrat,in duplicē ſe cōſonantē uertit, ut *αἰνίττομαι,αἰνίξομαι*
& *αἰνιξάμενος*. Ex noſtris,& poſſum,cuius aliæ pſonæ duæ,poſſes de-
buerāt eſſe,& poſſeſt,ſed libertate hic etiā ſumus uſi neceſſaria, alte
rius literæ in alterā cōuertēdę.Mutāt eandē gręci p̃terea in ſextā,ut;
σφῶϊ ξυνίηκε μάχεσθαι
Sexta porro,& numero eſt(uti iam diximus)duplicium.Anteceden- *Sexta ſemiuocalis.*
tis.n.uocalis producendæ uim habet,ut axis, exul,uxor,quippe,quæ
duas in ſe cōſonantes literas habeat,ſecundam ex mutis,quintę ſemi
uocalium præpoſitam. Suauitatis gratia,hanc ſequuntur Attici,quę
tamen apud nos , quibuſdā in uerbis,uaſtior Ciceroni uiſa eſt. Is.n.
ita ſcribit in Oratore,Axilla,Ala factus eſt,fuga literæ uaſtioris,quā
literā è maxillis,& taxilis,& uexillo,& paxillo,cōſuetudo elegās la-
tini ſermonis euellit . In hac litera quintā ineſſe de ſemiuocalibus ,
& ſecundam,uel quintam ex mutis declarat,quod à pax,pacis, à fœ-
lix,fœlicis,à rapax,rapacis,à pertinax, pertinacis; & à lex,legis, & à
Rex fiat Regis, quæ non exigua multitudo eſt uerborū. Itaq; uaſtior
ut(iam dixi)quùm Ciceroni ſit uiſa ſonumq; duorum ex noſtris ha-
beat , Maximus Victorinus auctor eſt à Publio Nigidio huius uſum
literæ omnino uitatum fuiſſe.Septima quoq; duplex eſt,ut ſuperior,
& gręca oīno,græciſq; tantum uerbis cōmoda,ut Zacynthus, Troe-
zene. Crediderim non recte hanc pronunciari à quibuſdam,nimis te
nui ſpiritu,ſiniſtrorſum lingua,à primis dentibus expreſſo.Quando
enim hac pro quinta ſemiuocaliū,tertiaq; mutarum utimur , non du
biū,quin pro earū literarū natura, ſumma lingua, ad ſuperiores pri-
mos alliſa dentes,ea dici cōueniat.Quare ēt,Dores hanc rōnē ſequu
ti,nō ualde mutato ſono *σδαμάσδειν* cęteraq; multa hmōi ſcribūt pro
δαμάζειν, & Mario Victorino Afro uiſū eſt ſi Mezētius nō litera pe-
regrina ſcribere maluiſſemus, Meſdētius nr̃is literis ſcribēdū fuiſſe.
Sed

Sed profecto eundem in modum, & hac ipſa in litera, & in ſuperiore, & in ſecunda mutarum, & in poſtrema aliquid à nationibus quibuſdam peccatur. Verrius tamen Flaccus has duas poſtremas duplices inter mutas cenſuit poni debere. Atque ipſis iam de mutis
Prima muta. dicendum uidetur. Prima igitur cum cæteris præter ſeptimam in fine uocis, ſecundam uocalem repræſentat, quam ſi diſsimules, dici nullo modo hæ poſsint. Mutæ autem rectiſsimè dicuntur nomine apud Platonem quoque uſitato, qui hæc ἄφωνα γράμματα uocauit non quod nullam omnino, ſed quod præ aliis conſonantibus, quam minimum habet uocis. Ac de prima tamen prius ut abſoluam, puto hanc paulo lenius dicendam eſſe, quam eſt in uſu Italiæ uulgato, nimium ſonante, & uelut inflatis ambobus labris, ui quadam erumpente ſpiritu. Id ex eo palam eſt, quod erat olim in uſu, & ſeruatum uidemus quibuſdam in antiquis operibus urbis Romæ, ut pro ea, quinta uocalis ſcriberetur, eſſetque pro Danubio, Danuuius, & Fabio, Fauius. Immo etiam altera, loco alterius ponebatur, ut Balerius quoque, & balere, & baletudo, multaque id genus dicerent. Ne illud quidem ignorat aliquis, traditum à doctiſſimis, hanc literam, poni aliquando pro aſpiratione ſolitam, ut Belena, pro Helena ſcriberetur. Hęc, niſi uocum ſimili udine aliqua, fieri non quieuiſſent: quæ ſi uera ſunt, apparet id quod Hiſpani ſeruant, hanc literam uoce minus inflata dici oportere. Hæc tamen ipſa à conſonantibus quibuſdam, ſed à quinta de ſemiuocalibus præſertim, uel poſtrema de mutis, eodem in uerbo, excepta, ſ. num habet ſextæ mutæ ſimilem, ut in his obſes, obſequium, obtinere, obtuſus: immo etiam aliquo in tempore, hæc pro illa, à maioribus accepta eſt, ut Byrrhus, & Bruges, pro Pyrrhus, Pruges, Phrugesue ſcriberent utimur hac, & tertia mutarum hiulcas uocales iungendi, & modo quodam denſandi gratia, ut in redimo, comburo, & ſimilibus, quæ niſi harum quas dixi literarum ope fultæ eſſent, uaſtius
Secunda muta. didicerentur. Secundam non dubium eſt pro K, eſſe à maioribus quæſitam. Quare lingua non ſumma ad ſiniſtram (ut iam dixi) dentium partem, tenui ſibilo ſtridente, uel paulo pleniore, (ut nūc fit) uoce, ſed tota prorſus, totumque ad palatum apta pronun-
Tertia muta. cianda eſſet. Tertia uerò nihil habet in quo multum peccetur, niſi quod noſtri homines, præterquam tota in Apulia, Brutiis, & Eutruria, & Gallia Ciſalpina, eam, tertia ſemiuocalium antecedente, molliore uoce pronunciant, ut in Campania, Pelignis, Marſis, & Latio, nihil interſit, utrum pandum, an pannum, pendas, an pennas dicant.

cant. id uitium ex eo natum exiſtimo, quod muta etiam poſtrema, cum tertia ſemiuocalis antecederet, ita quodam tempore pronunciata eſt, ut ſimiliter, atque hæc tertia audiretur. Quare, & Alexanter, & Caſſantra memoriæ proditum eſt noſtros homines pro Alexander & Caſſandra ſcripſiſſe. Sequebantur enim græcæ literæ ſonum, quod uiderent nihil, aut profectò minimum pronunciando differre, utrum ἐνδελέχεια, an ἐντελέχεια ſcriberetur. Aelius tamen Donatus in Terentij Phormionem ſcribit hanc tertiam de mutis pro tertia de liquidis antecedente, ab antiquis pronunciatam fuiſſe. Hæc, & prima de ſemiuocalibus altera ſæpe in alteram tranſit: quocirca & à ſedendo ſella, & ab olendo odor, quaſi olor, & talia quædam in alia huiuſmodi mutantur. Quarta, nullam dubitationem habet, niſi quod, mutàne haberi, an ſemiuocalis debeat, curioſe meo quidem iudicio nonnulli diſputarunt. Multis in utranque partem argumentis pugnatum eſt: ſed acuti homines, illud non uiderunt, una re tantum fieri ut mutarum hæc, aut ſemiuocalium numero eſſe uideatur: nam ſi uerum eſt hanc, apud nos eum locum tenere, quem φ apud græcos teneat, non dubium, quin quum illa mutarum loco ſit, hanc etiam apud nos mutam eſſe oportere. Sed quando negare audent, illam eſſe natura eiuſmodi, hoc non à grammaticis, & argumentorum captioſo genere quodam, ſed ex antiquiſsimorum, doctiſsimorumq; hominum ſententia, & ipſius ui literæ cognoſcendum erat. Quæ eſt autem literæ uis? Nempe, ſi (ut ipſi loquuntur) πρὸ τῶν ἀμεταβόλων κειμένη communem ſyllabam reddit, ſtultú ſit in dubio uocare, mutamne eam, an ſemiuocalem putemus. Nam ſi exempli gratia τυφλὸς, ἀφροδίτη, & ſimilia his multa primas queant ſyllabas corripere, tametſi binæ ſequantur conſonantes, profectò eam, quam dixi literam, eſſe mutam neceſſe eſt. Hoc autem fit ſæpiſsime à ſummis omnibus græcorum poetis, ut ab Heſiodo, uel ſemper, uel in Theogonia.

καὶ θέμιν αἰδοίην ἑλικοβλέφαρόν τ' ἀφροδίτην

& Ariſtophane in Pluto

Ὅστις ἀκολουθεῖ κατόπιν ἀνθρώπου τυφλοῦ

Si nihil poſſem aliud afferre, magnum tamen hoc eſſet argumentum quo inter mutas hæc litera poni deberet. Nunc uerò quùm ſint hęc per ſe magna, illud eſt multo maximum quod hæc ipſa noſtra litera ante liquidas poſita, uocalem natura breuem, poteſt communem efficere, ut Catullus;

Quarta muta an ſemiuocalis.

Per-

Perſequamur eam, & reflagitemus;
& Virgilius;
-Rurſuſque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt.

Nec ſyllabā hic poſſet eam corripere, ante liquidam ſemiuocalis, nec finis eſſet eiuſmodi exemplorum, ſi perſequi ea uellem à græcis, uel à noſtris. Quapropter conſtitutum ſit recte à ueteribus eſſe factum, prudenter à nouis, qui hanc literam inter mutas eſſe voluerūt. Cariſius tamen hac de litera nouum quiddam exiſtimauit, & ſemiuocalem eſſe, & quaſi muta ſit quùm præponitur liquidis, antecedētem ſyllabam natura breuem, efficere in uerſu communem. Diomedes autem Valerius Probus, Marius Victorinus Afer, & nobiles quondā grammatici, hanc inter ſemiuocales ponendam eſſe crediderunt. At Græci auctores maximi, & is cui ego inter nouos tribuo plurimū Theodorus, in ſua lingua habuere in numero mutarum. Nouum eſſe mihi uidebatur, quod hac de litera Flauius Cariſius putauit, magis nouum diceres quod Seruius etiam huic inter ſemiuocales, & inter mutas locum dedit. Priſcianus tamen, qui ex uetuſtioribus latinis, poſtremus omnium ſcripſit, quum ſententias inſpexiſſet omnes eorum qui ante ſe fuerunt, facile ijs quibus iam dixi rationibus eſt fortaſſe a Iductus, ut mutam eſſe crederet. Qui uerò Diomedi Probo, & Victorino aſſentiri malint, aut cum Seruio dubitare, aut cum Flauio Cariſio ſemiuocali, mutæ uim, tribuere, ijs equidem non repugno, modo nos etiam, non nulla ratione motus ad hanc ſententiam veniſſe arbitrentur. Hanc eo nomine Quintilianus, & alij quidam reprehendunt, quod ea pronuncianda, uideamur dentes mortui hominis imitari. Iis auditu iucundior grȩca aſpiratio uiſa eſt, quibus & ſi nolim repugnare equidem, doleo tamen apud rudes obeſſe latinitatis exiſtimationi, doctos homines qualicunque iudicio ſuo. Quintæ ratio breuior eſt quam ſuperioris. Illud enim habet vnum, quod ſi uerum eſt græcæ mutæ ſecundæ loco à noſtris quæſitam eſſe, dici non ſumma, ſed paulo interiore lingua, interioreque palato, ut eadem illa græcorum, debeat. Ac de huius, & ſecundȩ mutarum ſono, contra quam fiat hodie, hunc in modum nos Terentianus admonuit;

Eadem de cō ſonante litera, muta ſit an ſemiuocales, diuerſa inter ſe ueterū ſententiæ.

Quinta muta

Quinta mutarum ut prōnūciari dēat.

C preſsius urget, dehinc & dehinc remittit
Quo uocis adhærens ſonus explicetur ore
G porrò retrorſum coit & ſonum prioris,
Obtuſius, ipſi propè ſufficit palato.

Quod

Quod autem grammatici ſcripſerunt, hanc tertiæ mutarum in uerbis quibuſdā ſuccedere, ut in his Cneus, Lycurgus, Curculio, Amurca, nec multo pluribus, non mirandum erit. Mutabant enim ueteres aliquando illius uocem, huius leniore ſono. Nam ſimiles eſſe inter ſe, antiquiſsimi etiam iudicarunt, non ſolum quod à gerendo, ceruum, ut ait Varro, & Cererem ut quidam alij dictam putauere, ſed quod Aragnen, Prognen, Gnidum, Cygnum, & huiuſmodi talia, harum quas dixi commutatione literarum, latine uerterũt. Sexta nihil habet, quod in ea rectius uelim. Semiuocalem aſſumit quintam in præteritis perfectis, & futuro modi ſubiunctiui, in uerbis quibuſdam tertiæ coniungationis, ut repo, repſi, repſeram, repſiſſem. repſerim, repſero. Commune eſt hoc illi, paucis dumtaxat at uerbis, cum prima, ut ſcribo, ſcripſi, ſcripſeram, ſcripſiſſem, ſcripſerim, ſcripſero: item nubo, nupſi, nupſeram, ubi prima etiam ipſa in mutam ſextam conuerſa eſt. Sed hac de re plura dicemus libro quarto quum de uerbo diſſerendum nobis erit. Septimæ, ſtatim quinta uocalium ſemper adiungi debet, quæ nec uocalis tamen, ut ſupra dictum eſt, nec omnino conſonans habetur, ut quaſſo, queror, quia, quoties, equus, nec ratio patitur, nec mihi placet unquam minus duabus uocalibus hanc literam ſequi. Huius loco ſæpius mutarum ſecunda ponitur. Quorundam enim uerborum alij caſus, aut perſonę aliis literis ſcribuntur, ut quis, & qui, unde ſunt cuius, & cui, quum eſſent quodam tempore quoius, & quoi: item loquor, & loquimur, unde loquutus naturaliter ſeptima de mutis & ex uſu locutus & locuti ſecunda, ut melius cuique hactenus, uiſum fuit, ſcripſerunt, aliis recte ſcribendi rationem, alijs uetuſta marmora ſequentibus. Alio ſono pronuncianda eſt ac ſecunda, quam dixi conſonantium, quod niſi fieri deberet, peſsima illa foret Catulli coniunctio literarum; *Sexta muta.*

Peliaco quondam prognatæ uertice pinus.

Poſtremam vero fateor equidem ipſo à M. Tullio in ſuauiſsimam dici, qua inſuauitate, aſperitatiſque fuga factum arbitror, ut omnes literatiſsimi quoq; homines huic literæ ſonum maxime à natura alienum tribuant. Nam ſi tertia ſequatur uocalis, cui altera quælibet uocalium ſuccedat, perinde habent, quaſi nouiſsima ſemiuocalium pronuncianda eſſet, ut mitius, uitium, iuſtitia, magnificentia. Inter alios tamen Gregorium Corteſium noui Romæ admiranda doctrina hominem, qui hæc ita diceret, ut mutarum ultima, ubiq; naturali uoce ſentiretur, neque is Q. Papirij ueteris grammatici con- *Poſtrema muta.*

trariam

leniter ſcriberentur. Tempus deinde inſequutũ eſt, quo nimia aſpirationis licentia quædam inualuit. Itaq; centurionibus etiam, & coronis, & præconibus, uerbiſq; ſimilibus dabat. Qua in re Catullus Arrium hoc epigrammata reprehendit.

Chommoda dicebat, ſi quando commoda uellet
 Dicere, & hinſidias, Arrius inſidias;
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe loquutum,
 Quum quantum poterat, dixerat hinſidias.
Credo ſic mater, ſic liber, auunculus eius,
 Sic maternus auus dixerat, atq; auia,
Hoc miſſo in Syriam, requierant omnibus aures,
 Audibant eadem hæc, leniter, & leniter:
Nec ſibi poſt illa metuebant talia uerba,
 Quum ſubito affertur nuncius horribilis,
Ionios fluctus, poſtquam illic Arrius iſſet,
 Iam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

Nunc autem ſex uocalibus pro uerborum natura licet aſpirari, ut haurio, Hecuba, hiatus, homo, hubertas, Hymen. Licet idem ſecundæ mutarum, ut pulcher, ſextæ, ut philoſophus, octauæ, ut thalamus, & quartæ ſemiuocalium, ut rhetor. Singulis igitur his decem de literis dum expono, quoties aſpirari debeat, & ſi Iouianum Pontanum ſequar, breuius tamen, quam uir doctiſsimus fecit, complectar, ſiqua inſigniora, frequentiora, aut latius patentia uidebuntur. Itaq; aſpiratur primæ uocaliũ in uerbo habendi, uel in pronomine demõſtrandi, uerbiſq; uel aduerbijs quæ illorum ex origine profecta ſunt, ut hic, hæc, & hac, item habitare, cohibere, cæteraque id genus multa ex his nata: adhuc, Hadria, Haia, halo, haſta, halec, hala, hamus, Hamadriades, haſpis, hara, hariolus, haruſpex, harpæ, harmonia, & uerbum haue. Nam alicæ nomini Verrio Flacco uiſum eſt aſpirandum non eſſe. Secunda uocalis aſpirationem habet in Hebes, Hebetudo, Helluo, Hebdomada, Hebe, Hercules, Hebræus, Hecate, Hecatombe, Hector, Hædus, Hedera, Hæreo, Hegeſippus, Hegeſander, Hegeſias, Hegeſiphyle, Heu, Hei, Heiulo, Heluius, Heluetij, Helena, Helenium, Heliades, Heliadorus, Heliogabalus, Helle, Helleſpontus, Hem, Helice, Hemina, Hemicyclus, Hemus, Hæmonia, Heneti, Hendecaſyllabum, Heous, Herus, Heraclitus, Heros, Herillus, Herodotus, Herodes, Hermes, Heri, Herennius, Hernicus, Hernia, Herba, Heritius, Herinatius, Heſperus, Heſiodus, Heſione, Heta, Heus, Hexameter, Hexagonus, Hymnus. Pauca ſunt hactenus

collecta ex infinitis,quę ſic accipienda ſunt,non quaſi ad rem docendam ſatis eſſe putem, ſed quaſi ratione adhibita,ac ſtudio, quæ ſunt prætermiſſa omnia cognoſci ex paucis uelim. Hic enim illud moneo,quod eſt in magna parte grammaticæ præcipuum,ut uiderimus quæ quibus ex uerbis naſcantur,quę quibus alijs dederint principiū naſcendi. Profecto.n.cognata uerba oĩa eandem habere uel tẽporis rationem, uel aſpirationis, uel ſcripturæ totius neceſſe eſt. Itaq; ſi (quod iam dixi) Hebes, Hebetudinis uerbum creauit, altero ex his rectè cognito, ignorari alterum non poſsit. Sed pergam dicere ut inſtitui,quæ uidebuntur eſſe communiora cum cæteris. Aſpiramus ergo,his quę ſequuntur,Hio,& hinc,hiatus,hiulcus,Hiarbas,hibex, Hiero,Hieronymus,& quę ſunt in primis ſyllabis talia,& Hiempſal, hilum,hilaris,Himera,hinnire, hinnulus,Hippolitus, Hippocrates, quæq; huiuſmodi ex principio naſcuntur. Item hirſutus, hirtus,hircus,hirquus,Hirpinus,Hircius, hirundo, hiſtoria, Hiſpania, Hias, hiacynthus,Hiblas,Hidaſpis, hydra, Hidrus, cæteraq; his cognata, hyems,himber,hibernus,hiæna,Hyella,Hyginus, Hilas,Hymen,Hymenæus,Hymettus,Hymella,hyoſciamus,Hyphe,Hypſiphyle,Hypanis,Hyperbole,Hyperboreus,& quæ duas huiuſmodi primas habent ſyllabas. His adde Hircanus, Hirtacus,hyſtrix,hiſſopus, holus, holor,homo,honor,honeſtus,honorare, & multa his cognata. Præterea, hortus, Hortenſius, horreo, horreum, hora,Horatius,hortor, horizon, Horontes, hoſtis, hoſtia, hoſtimentum, hoſpitor, Hoſtilius,huber,hubera,hubertas,hudus, humidus, hui, hululo, hulcus, humus,humor,humilis, humerus. Dicam nunc quatuor de conſonantibus,quibus ante iam dixi aſpirandum eſſe. Atq; ut hinc initium ſumatur. Septem ex cauſis potiſsimum aſpiratio uerbis adiecta eſt, prima omnium quia iuncta ſunt, originemq; habent à ſimplicibus, aſpiratione præditis,ut humanus,& inhumanus: altera ipſius eſt naturæ, quoties uidelicet, cur aſpirata ſit, reddi certa ratio non poteſt,ut halo,& hebes. Tertia, hiatus uitandi cauſa, ut cohors, uehemens,prehendo, ueho, traho. Quarta differẽtiæ eſt, ut hora,& ora, habeo,& abeo. Quinta ſpiritus,uehementiæq; augendæ, ut helluo, hebes,eheu,aha. Sexta ex mutatione fit literarum,ut hircus,hœdus, & hordeum,pro quibus olim fircus,fœdus,fordeũq; dixerunt. Septima etiam conſuetudine,ut pulchrum,& ſepulchrum. Aſpiramus ergo his quæ ſequũtur hiatus uitandi cauſa,traho,ueho,& hinc natis, aducho,inueho,ſubtraho,deprehendo,cõprehendo,& omnibus fere huius modi. Hiatus.n.ut uitetur, cõſonantem ſæpe interpoſitam uidemus,

Septẽ cauſæ aſpirationũ.

uidemus,ut redimo,redintegro,redũdo; Panhormus quoq; Panhormitanusq;, aſpirationẽ habere debent. Cum aſpiratione ſcribuntur chaos,chaon,Chabrias,Chalcis,Chalybs, Chaldæus, Chamæcyſſus, Chamæleon,& quæ duas habent huiuſmodi ſyllabas primas. Græcorum tamen, à græcis petenda ratio eſt, ut chelidon, Achaia, Achilles,choraules,orchades,Athenæ,Achelous,Archelaus,Strophades, bruchus,concha,& ex noſtris bacchari,ſtomachari,mœchari,Gracchus, lutheus, Rhemus, triumphus. Siquid uerò præcipi de Græcis generaliter poſsit,obſeruare oportet ea,quæ poni in principijs nominum conſueuere, ut ὑπὲρ, ὑπὸ, χρυσὸς, ἀχαιὸς, ἵππος, φίλος, χέρσος, χαμαὶ, χεὶρ, ἀρχὸς, ἀμφὶ, κυθέρα, θεὸς, ἀγαθὸς, ἑρμῆς, ἥρα, ἱερὸς, ἕν, ἕξ, ἑπτὰ, & ſiqua ſunt alia; unde naſcũtur Hyperides,hypocriſis,chryſolytus, Archippus,Achiuus,Hippocrates,Philargyrus, Cherroneſus, chamęleon,chiragra, anphitheatrũ,Theodorus,Cytherea,Agathocles, Hermodorus, Herodes, Hierapolis, hendecaſyllabum, hexameter, hephthimemeris, ſimiliaq; his innumera. Deniq;(ut iterem ſuperiora) aſpirationem patiuntur, quatuor ſolum quas ante iam dixi conſonantes,eamq; ex græca potiſsimum ratione patiuntur. Sola.n.ſecũda mutarum,hoc habet à natura, ut ei latinis in uerbis queat aſpirari, ut iã de pulchris ac ſepulchris dedimus exẽplum. Reliquæ tres e græco id iuris noſtrum in ſermonem attulerunt, ut quæ dicta ſunt philoſophus,thalamus, rethór, quod ſi uerũ eſt mirari non oportet cur ſibi mutarum prima,tertia,& quinta,ne apud græcos quidẽ aſpirari uelint. Habent.n.hæ quendam à natura in pronunciando ſpiritum, ut medias eſſe græci auctores dixerint inter ψιλὰς καὶ δασίας, & uaſtius omnino prima,quam ſexta,tertia, quã octaua, quinta quã ſecunda ſonare uideatur. Quarta uerò ita ſpiritu non caruit, ut græcæ loco inuenta ſit illius cui plurimum aſpiretur ſeptimæ, & quia latina prorſus eſt,& quia uocis natura non patitur, ſpiritus eſſe aliquis non debuit. Semiuocalium nulli à Romanis aſpirandam fuit. Solam ex his eã quæ apud nos quarta eſt, græci aſpero ſono ſemper dixerunt quum eſt uocalibus prępoſita ut ῥᾶ, γα, ῥῖγος, ῥῆμα, ῥίο, ῥόδος, ῥῦμμα, ῥῦπος, quod nos etiam in uerbis dumtaxat illorum ſequimur. Ac de aſpiratione tamen literiſq; omnibus, arbitror ſatis à me hactenus eſſe dictum. Reliquæ nunc diphthongi ſunt, quas hoc loco breuiter percurram. Itaq; duæ uocales primæ, unam in ſyllabam coeuntes, una uoce duarum ſonos literarum faciunt, ut Muſæ, diuæ, Præſul. Inuenio tamen antiquis in monumentis quibuſdam ita ſcriptum aliquando fuiſſe, ut primę uocali, pro ſecunda tertia *Diphthõgi.* *AE AI.*

C 2 iunge-

iungeretur,ut CAISAR PRAISVL, & poſtremis in ſyllabis DIVAI COLONIAI, credo quod propter ſimilitudinem uocis, (ut ſupra dictum eſt) ſecundæ cum tertia, aliquo in tempore noſtri homines alteram pro altera locari poſſe exiſtimarent. Iam diximus enim heri,& here,liber & leber, Minerua & Menerua,magiſter & mageſter aliquando ab illis dictum eſſe. Sæpius etiam noſtri poetæ diphthongum huiuſmodi binas in ſyllabas diuiſerũt, ut;

Aulai in medio libabant.

Diphthõgus AV. Quinta uero eidem primæ uocali addita,pleniſsimæ,iucũdiſsimęq; uocis diphthongum reddit, haurio, hauſtus, aurum. Secunda tertiæ præpoſita, conflatur diphthongus ea, quæ non prorſus quidem *Diphthõgus EI.* obſoleuit,ſed rarum tamen hodie habet uſum. Vix enim accuſatiui caſus declinationis tertiæ, hanc retinent illi, quorum in multitudinis numero,genitiuus,in tertiam & quintam finitur uocalem,ut omneis,arteis,dulceis,ſuaueis. Olim uerò ut in ueteribus adhuc eſt monumentis uocali tertiæ, in ultimis præſertim ſyllabis aut penultimis, uocalis præponebatur ſecunda, ut rarei, magiſtrei, & boneis amiceis. Plautus quoq; hanc rationem ſequutus, fabulam ſcripſit, cui nomen Capteiuei eſſe uoluit. Sciunt literati homines,apud hũc poetam legi aliter non poſſe. Ac præter antiquitatis monumenta quæ ſunt in lapidibus Italiæ, M. etiam Varro in ſacris Argiuorũ ita ſcriptum fuiſſe teſtatur; OPPIVS MONS QVADRICEPSOS LVCVM ESQVILINVM VIAM DEXTERIOREM IN FIGLINEIS EST. Græca nomina quæ ſic ſcribuntur, ad nos una dumtaxat cum uocali producta uenerunt, nunc ſecunda ut αἰνείας Aeneas, nũc tertia, ut ἀλεξάνδρεια Alixandria,unde palam fit, à maioribus etiam noſtris, hæc neglecta magnam partem fuiſſe. Tertiam inuenio uocalem eſſe adiunctam quartæ, in diphthongum, quæ nunc producta quinta uocali pronunciatur, ut loidus, foimus, doirum, pro ludus, fumus, durum. Secunda quũ præponitur quintæ ſuauẽ & ipſam uocẽ diphthongi facit, ut;

ceu, ſeu, neu, &

Eurum ad ſe zephyrumq; uocat

Nos enim quæ ſunt huiuſmodi, binas diuiſas in ſyllabas dicimus ut ſunt illa materiam ſignificãtia, argenteus,aureus,aereus,aethereus, & quæ à nominum græcorum forma accepimus, Actoreus, Neſtoreus,& à nomine Romano Cæſareus ut,

Sanguine Cæſareo Romanum extinguere nomen.

Quædam ex his duas contrahunt in unam ſyllabas poſtremas, ut;

Pleno

Pleno ſe condidit alueo.

Paucisſima tamen habemus, quæ ita ſcribantur. Quartam ſecunda quum ſequitur, in diphthongi ſonum coit, ut cœlum, fœdus, fœmur. Sexta uocalis græca tertiam antecedens noſtram duos in eadem ſyllaba (græcis duntaxat in uerbis) literarum ſonos reddit, ut Arpyia, Cynomyia, Orithyia. Omnes ita pronunciari debent, ut uno & eodem in ſono literarum, utraq; uocalis ſeruetur. Nec audiendi ſunt, qui eas pronunciandi aiunt amiſſam eſſe rationem: iniquisſimi in latinam linguā homines, qui latinitatem eſſe extinctam cupientes, nunc literarum ſonos, nunc ſyllabarum tempora, nunc aſpirationum uoces, nunc uerborum accentus, nunc ſermonis doctrinam, nunc rectè ſcribendi ſcientiam, nullam eſſe hodie cauillantur. Verum ego poſt literas, literarumq; diuiſiones, ac ſonos, tranſeo de ſyllaba, ut præcipiam ea, quæ ad hunc locum pertinebunt. Syllaba igitur, ut Soſipatri Cariſij definitionem ſequar, eſt litera uocalis, aut literarum, per aliquam uocalem comprehenſa coitio. Huius attributa duo mihi propoſita ſunt ad explicandum, tempora uidelicet & accentus, quæ quum erunt abſoluta, tertiam grammaticæ partem aggrediar. Nec mirentur, qui iampridem aliter hæc ab alijs tradita uiderunt, ſi naturæ ordinem ſequar, ut ante ſubtilia hæc proponam rudi adhuc auditori, quam ulla de oratione præcepta dederim. Vt enim ſe quidq; primum natura obtulerit, primumq; natum erit, ita primo loco in his libris tractandum putabimus. Fecerunt etiam hoc doctores antiquisſimi in quibus idem Cariſsius fuit, ut exquiſitam hanc de ſyllabis accentibuſq; rationem traderent, quum orationis præceptio nondum eſſet ulla. Martianus etiam Capella, ſane uetuſtus auctor, hunc ipſum ſequutus eſt ordinem ſcribendi, ut ſeſe quam maximè ad naturam accommodaret. Syllaba eſt igitur ut Cariſio placuit litera uocalis, aut literarum per uocalem comprehenſa coitio. Aiunt enim ὅτι συλλαμβάνει τὰ γράμματα nomen accepiſſe. Ea nunc, aut prima eſt, aut media, aut ultima: item aut breuis, aut longa aut communis. Longam, duorum eſſe temporum, ſciamus, breuem unius. Prima ſyllaba, uel poſitione cognoſcenda eſt, uel natura. Satis nunc quidem hanc diuiſionē putamus. Qui enim ſubtilius hæc perſequuntur, non eandem rationē eſſe uolunt, ſi breuem duæ excipiant conſonantes, ut pix, uel tantum una, ut pes, uel nulla ut in coniunctione Ve, eſſeq; aiunt illam primam, breuem, alteram breuiorem, quæ poſtrema eſt breuisſimam. Longas autē, quibus uel nullæ, uel una, uel plures ſuccedant conſonantes, non toti-

Diphthongus yi.

Syllaba.

Ratio methodi ex naturæ ordine et uſu antiquorum.

Syllabarum diuiſiones.

dem omnes eſſe temporibus exiſtimant, & in his quoq; eſſe longas ut Me, longiores ut flos, longiſsimas, ut ſtirps, Rex, Pax: itaque eſſe tēpora in ſingulis, duo, tria, quatuor, uel pro ratione, numeroue cōſonantium plura, ut in breuibus uel ſeſqui, uel unum, uel ſemi tempus. Hæc partiuntur etiam ſcrupuloſius: ego tamen ex his intelligi minutiora membra exiſtimaui. Qua propter nolo eſſe in hac parte curioſior. Ergo illa uideamus quæ lumen aliquod ſtudioſis afferre poſſunt. Nec ſcio an hoc loco putem eſſe admonendum longas eſſe ſyllabas noſtro in ſermone uel breues, non ex uocalium (ut in græco) ſed ex uerborum natura. Sciunt enim uel pueri uocales in ea lingua eſſe duas quocunq; in uerbo ſemper longas, totidem uerò quæ produci nullo modo poſsint. Itaq; ſæpius de tempore ſyllabarum, ſola ex inſpectione uocalium poſſunt conſtituere, apud nos uerò alia ratio eſt, nec ulla uocalium habet à natura, ut ſemper longa ſit aut breuis. Quamobrem diphthongi ratione excepta, non ex literis ut græci ſed ipſo ex uerbo tempora ſyllabarum cognoſcimus. Eſto enim pro exemplo, Terentij uerſus

Enimuero Daue nihil loci eſt ſegnitiæ.

Quæ breues hic ſyllabæ quæue longæ ſint nemo ignorat. Admonemur enim inſpecto uerbo quanta eſſe quæq; debeat. Sed redeo ad quæ mihi ſunt propoſita. Poſitio eſt, quum duæ ſequutæ conſonantes, breuem natura ſyllabā producūt, ut noxa interpres. Nos tamen hoc loco, diſcentium gratia, pingui (ut aiunt) Minerua, quoquomodo binis conſonantibus excipiatur ſyllaba, illam eſſe dicimus poſitione longam, ut arma, uirtus, Maia. Nam tertia uocaliū inter duas poſita (ut iam ſupra dictum eſt) alias uocales, duarum obtinet uim conſonantium, ut peius, maior, aio, niſi in biiugus, quadriiugus, ac ſimilibus, ut;

Quadriiugo inuehitur curru. Natura diſtributa eſt in uocalem ante uocalem, deriuationem, diphthongum, regulas, & exempla. Vocalis, altera ſequēte uocali, apud nos breuis eſt, ut lues, Deus, quies. Sed uidendū in græcis eſt an ex his, aliqua per naturā producat, ut;

Chaoniamq; omnem Troiano à Chaone dixit, & ;

Eoaſq; acies, & nigri Memnonis arma.

Sed huiuſmodi græca, uix numerare quis poſſet. Hæc igitur noſtro in ſermone quoties occurrunt, græca omnia, id eſt conſuetudinē doctorum, uerbi ipſius græci, & uocalium naturam intuebimur. Hoc ſi diligenter fiat ſine errore, in character, crater, æther, Nais, Aon, Eous, ac ſexcentis, quanta quæq; ſyllaba ſit iudicabimus. Nam Diocles

cles

cles,Empedocles,Patroclus,Themiſtocles,& huiuſmodi innumera, quibus in ſyllabis, ijs præſertim, quæ antecedunt ultimas, quō pronuncianda ſint,non iam ex binis conſonantibus,ſed ex uocalium natura, iudicandū erit,id quod tota in ratione ſyllabarum ſequi oportebit,uel noſtro in ſermone, uel Græcorum. Ego tamen præcipue de latinis puto mihi præcipiendum eſſe: ex uſu deinde, animaduerſioneq; poetarum,reliqua oīa cognoſcere licebit. Nunc Dia etiam, & aer pro latinis recepta priores ſyllabas producunt, ut Dia Camilla in Virgilio,& aera magnum. Præceptione tamen res aperta non egebat, uerbum quoq; fio, ubi duas tantum habet ſyllabas, eandem ſeruat longam priorem, ut;

Omnia uel medium fiant mare.

Idem ſeruant non calefio ſolum, & frigefio, & huius formæ cætera,ſed quorum alia ratio eſſe debuiſſet. Nam à deficio & interficio naturale erat deficior & interficior,queādmodum à perficio & afficio eſt perficior & afficior. Quoniam uerò eſt etiam ſæpius defio & confio & aliquando interfio,dubitandū nō eſt quin his quoq; in uerbis ſecundæ ab ultimis producantur,ut apud Lucretium in tertio;

Aut flammis interfiat,malisue ferarum.

Sin fio trium fit in declinando ſyllabarum, & ſecundam R, litera ſequat̄,ut fierem,fieres,fieri, primā ex oībus corripere oportebit, ut;

Quod fieri ferro,liquidoue poteſt electro.

Stultum eſt monere eandem eſſe breuem in quatuor etiam ſyllabis ut fieremus & fieritis. Sed quia eadem prorſus ratio eſt uocalium, in mediis etiam ſyllabis,ad quas paululum, neceſſario ſum delapſus à fio,illud quoq; non ſit alienum dicere,nominum,ac pronominum genitiui unius,nullius, alius,utrius,alterius,illius, iſtius, ipſius, ſecundas ab ultimis ſyllabas in uerſu nunc longas habere, nunc breues, ut;

-Noſtro illius labatur pectore uultus:

Alibi contra; illius ergo uenimus. Verum utrius & alterius, breui potius ea ſyllaba pronunciari debent, alius uero longa, idq, tam in uerſu, quam in ſoluta oratione faciendum: cuius rei eam cauſam exiſtimāt grammatici, quia quum genitiuus hic non plures nomina tiuo ſyllabas potuerit habere,illum uel producta ſyllaba uincere deberet. Quorundam id genus uerborum,ſæpius duæ ſyllabę,in unam coeunt,Dij,Cui,ei,Dijs,iiſdē,anteeo,deinde,dehinc,deinceps, ſeorſum,deorſum,ſemianimis,ſemiuncia,ſemiiuſtus, hei. Nā ſemias omnino tertiā amiſit uocalem,unde palam factus eſt ſemis. Illud etiam

poetæ ſibi aſſumpſerunt ut E, uocalem ſæpius detrahant, uel unam faciant cum ſequenti huiuſmodi in genere uerborũ, Alueus, Bu-theus, Aureus, Argenteus, Ferreus, ut;

Ferreiq; Eumenidum thalami, & diſcordia demens.]

Duobus autem in uerbis, O, remanet ſequente altera uocali, aut longa, ut;

O ego quantum egi

Aut breuis, ut;

Te Corydon ò Alexi, trahit ſua quenq; uoluptas.

Alias enim, ex binis diuerſorum nominum, aut uerborum ſyllabis duntaxat in uerſu coeuntibus fit, quam ſupra dixi συναλοιφὴν à grammaticis nominari, deq; ijs prior amittitur, ut;

Nec poſſe Italia Teucrorum auertere Regem.

Redit ſæpe in uocalis naturam apud poetas V, litera in his, ſuadeo, ſoluo, ſylua, ut primum quatuor, poſtrema duo trium fiant ſyllabarum, ut Tibullus;

Sit ſatis è membris tenuem perſcindere ueſtem,
Sit ſatis ornatas diſſoluiſſe comas.

Longæ ſyllabæ ſunt uocali ſequente in huiuſmodi forma nominum, Rhodopeius, Aeneius, Phœbeius, & illorum quoque, Minoius, Acheloius, Achaia, Panchaia. Nec de his præcipiendum, tametſi rationis diuerſæ, Medea, Calatea, Aeneas, Pentheſilea, Academia, Alexandria, multiſque id genus. Nec arbitror eſſe admonendum altera detracta ex diphthongis uocali, alteram nihilominus produci debere. Accidere græcis in uerbis hoc ſolet quæ ad nos per ſecundam, ac tertiam uocalem uenire debuiſſent, ut Antiochea, Alexandrea, idque genus multa, è quibus alterutra ſublata uocali, alteram produci oporteret, ſed quædam noſtri poetæ corripiunt, ut;

Aeneadaſq; meo nomen de nomine fingo.

Redeo autem primis de ſyllabis, ut abſoluam. Deriuationem dicunt igitur qua inter ſe cognata ſint uerba, aut compoſita aut qua unum ex altero naſcatur, ut uelle, & uoluntas, facio & conficio, ſtudium & ſtodioſus. Sic enim præcipiunt: quanta ſyllaba eſt compoſiti uerbi, tantam ſimplicis eſſe oportere. Nam ſi cognitum ſit prouoco & arrogo proximas ab ultimis corripere ſyllabas, idem facias in uerbo rogãdi & uocãdi iudiciũ. Præpoſtera quidẽ, ſed multis uſitata uia ſyllabas cognoſcẽdi. Dixi ꝑpoſterã, qđ nõ ſimplicia, uel pri nigenia, ex deriuatis cõpoſitiſue ſpectari, ſed hæc ex illis cognoſci debẽt. Ne repudiemus tamen hũc traditũ ab alijs docendi morẽ,

ut quia

ut quia præſidium ex aliquo poeta cognoueris tertiam ab ultima ſyllabam corripere, ſtatuas eandem quoque eſſe rationem in uerbo ſedendi. Rectius tamen, & magis naturale eſt ita ſi inſtituas, ut quod opes nomen breuem habeat priorem, idem ſit iudicium in opulentus, & opulentia. Itē pecus, pecunia, pecunioſus, peculium: & ſenex, ſenectus, ſenium, ſeneſco, ſenatus: contra ciuis, ciuitas, ciuilis ciuicus prima ſemper longa. Eorum quæ cognata ſunt, & coniugata, quanta in primo ſyllaba eſt (ut grammaticis conſuetudo eſt loquendi) tanta eſſe in cæteris omnibus debebit. Modo enim quodam reciprocatur hæc ratio, ut ſyllaba antiquioris uerbi cauſa ſit, cur produci, aut corripi debeat in poſteriore, & huius non cauſa quidem erit, ſed iudicium tamen quodam, tantam eſſe etiam in antiquiore. Nam breuis prima ſyllaba in facio, cauſam affert, ut breuis etiam ſit in facilitas: huius autem breui cognita indicatur quanta eſſe debeat in facio, quæ reciprocatio ualde commoda eſt ijs qui nondum iudicare poſſunt, quæ quibus ſint antiquiora, ut in fugiendo, & fuga; utrum utri dederit principium naſcendi. Sic denique eorum quæ eundem ortum habet uno in uerbo quolibet, ſyllabæ ratione cognita nihil, aut non ſæpius erit, quod in cæteris dubitare poſsimus. Nihil eſt enim ad hanc rem quod tantum lumen poſsit afferre, quantum explicatio uerborum, quæ etymologia, & comparatio, proportioque ea, quæ analogia nominatur. Hæc duo qui ignoret, uel non adhibeat ad iudicandum de ſyllabis, ei profectò non ſatis reliqua ſunt præcepta, quæ ſcribimus. Valerius enim Probus declinationes partium orationis, & ſubtiliter earum omnium rationes etiam percurrit, quæ non declinantur, ut ex analagia, cuiuſque ſyllabæ tpa demonſtrat. Tanta igitur ex innumerabilitate uerborum pauca admodū ſunt à longis breuia, ut ligula à lingua, curulis à curru, fatuus à fando, lotium à lotum, cognitum, & agnitum, & noto à notum, Apulus ab Apulia, acerbus ab acer, ſagax à ſagio, deiero & peiero à iuro, ſiquidem à ſi & quidem, ofella ab offa, farina à farre, ſtrigilis à ſtringendo, tigillum à tigno, mamilla à mamma, uadum à uado, fragilis & fragor, à frango, diſertus à diſſero, ſopor à ſopio, lucerna à luceo, arena & ariſta ab areo, odium à uerbo odi, & liquor à liquitur, dux à duco, maledicus, fatidicus & alia quædam à dico. Rurſus alia ſunt longa à breuibus, à matuta matutinus, à iugo iugerum, à fero feralis, à pede pædor, à Cerere ceritus & cerites, à ſecus ſecius, à macer macero, à tribus trinus, à decem denus, à nouem nonus, ab humus humor, humanus, & humanitas, à uitium uitupero,

Prima origo ſpectāda ſyllabarum.

Syllabarum inter ipſas cognatio.

Explicatio etymologiæ, analogiæq; ſyllabā quāta ſit oſtēdit

Pauca à longis breuia.

A breuibus longa.

cupero à iuuenis iunior, à remeo remus, remigiũ, remiges, & remigo, à foueo fomes & fomentũ, à venio uena, à vomeo vomer, à ſequor, uel à ſene ſeculum, à lateo laterna, à tego tegula, à rego Rex & regula, à ſedeo ſedes, à lego lex, à uoco uox. His fere exceptis, reliqua à longis longa, à breuibus breuia pronunciantur: nec pulchrior alia ratio eſt ſyllabas cognoſcendi, aut quam ego putem eſſe debere magis cognitã, aut latius patere. Atq; in his quæ dicta ſunt, corripi quædã a longis, produci alia a breuibus, ualentior eſt ſecunda ratio quàm prior. Nã breuia a longis fieri in tota ratione ſyllabarũ, nõ ita conuenit, ut a breuibus longa. At fieri longa ex breuibus multa, natu rale eſt, & in locis omnibus honeſta conſuetudine, optimaq; ratione factitatum. Norũt hæc, etiã non ualde in literis exercitati. Hoc autem loco, ut minus aperta quædam eſſe uideantur, illa tamen quæ fuere, denus à decem, nonus à nouem, iunior à iuuenis, fomes, & fomentum, à foueo, cur longa à breuibus fiant, nemo tam puer eſt ut nõ mille præterea huiuſmodi per ſe ipſum cognoſcat, ubi ſingulæ ex binis uocalibus pluribuſue literis conſtant. Quanquam uerò ſyllaba omnis aut longa ſit, aut breuis, & nihil tertium eſſe poſsit, nec rectè unquam longa breuis loco, aut hæc illius ponatur, quædam tamen poetæ breuia pro longis, & contra pro breuibus longa, uerſus neceſsitate κατὰ συστολὴν καὶ ἔκτασιν poſuerunt, ut in his;

Longæ ſyllabæ breuiũ loco poſitæ.

Obſtupuit ſteteruntque comę, & uox faucibus hæſit, &;
Ipſius ante oculos ingens à uertice pontus, &;
Vrbemque Fidenam, &;
Quum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion.

Breues pro longis uſurpatæ.

Breuium uero pro longis hæc exempla ſint;
Italiam fato profugus, lauinaque uenit, &;
Exercet Diana choros.

Poſitione etiam breues produxerunt, ut;

Reliquias Danaum, atque immitis Achilli:

Eadem porrò uerba alio intellectu, aliam pronunciandi rationem ſortiuntur, ut;

Nunc tantum ſinus & ſtatio male fida carinis, &;
Sinum lactis & hæc te liba Priape quotannis
Malo me Galatea petit laſciua puella, &;
Aduerſaque infigitur arbore mali, &;
-Flauentem prima lanugine malas, &;
Hinc mihi prima mali labes, &;
-Nota conduntur in aluo, &;

-Vna

-Vna Eurusque, Notusque ruunt,
Dant animos plagæ &;
-Siquem extenta plagarum

In cæteris autem pluribus obſeruatione, diligentiaque magiſtra utamur. Mihi enim pauca de multis monſtrare, ſatis eſſe ſum arbitratus. Diphthongi ſyllabas omnes faciunt longas, ut Cæſar, Laurus, Eurus, Cœlum, Arpyia, arteis, niſi interdum ſequente uocali, ut;

Stipitibus duris agitur, ſudibusue præuſtis.

Sed notum eſt aliqua hic eſſe græcorum nomina apud nos in primam uocalem ac poſtremam exeuntia, ut Critolaus, Archelaus, Menelaus, Protesilaus, Amphiaraus. Hæc penultimam producunt ſyllabã, à poſtrema ſeparatam. Regula, quàm ipſi nominant, eſt huiuſmodi. Præteritorum quę binas tantum habent ſyllabas, etiam ſi à breuibus naſcantur, priores tamen longæ ſunt, ut egi, uidi, legi, feci, præterquam à do, bibo, ſindo, ſcindo, ſto, fero. Quòd ſi plures inueniantur ſyllabæ quam erant in præſentibus, tum primæ erunt breues, ut ceci di, dedi, pupugi, tetigi, tutudi, peperci, pependi, momordi, pepedi. Sed quorum præteritorũ perſonæ tertiæ numeri multitudinis (quod nemo ignorat) proximas producunt ſyllabas à poſtremis, ut laudauerunt, monuerunt, legerunt, audiuerunt, legere, & audiuere: has iure ſuo corripiunt aliquando poetæ, ut;

Qua, ſyllaba regula à grammaticis dicatur.

Menandri Eunuchum poſtquam Aediles emerunt, &;
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes, &;
Obſtupui, ſteteruntque comæ, & uox faucibus hæſit. &;
Miſcueruntque herbas, & non innoxia uerba.

Supina quoq; binarum ſyllabarum longis prioribus efferuntur, ut latum, motum, fletum, uiſum, præteritum, quitum, ſitum, citũ, ſatum, litum, datum, ratum, aliaque nõ multa. Quando igitur itum breui eſt priore ſyllaba, idem ſeruant exitum, tranſitum, abitum, præteritum, reditum, aditum, initum, & quæ ab eo deducuntur omnia, & ex his nomina uel ſubſtantiua, uel adiectiua, unde inita ratio, & præteritum tempus dicitur, & reditus, auditus, tranſitus, exitus, ut;

Votum pro reditu ſimulant.

Contra naturam quartæ coniugationis. Sed quoniam hic neceſſario delabor ſæpius ad medias ſyllabas, eas dumtaxat quarum cumprimis communis ratio eſt, pergam dicere ſiqua huic loco uidentur eſſe cõiuncta. In præteritis nanq;, & ſupinis omnibus primę cõiungationis, & quartæ producuntur ſecundæ ſyllabæ ab ultimis, ut paraui, nauigaui, afflaui, paratum, nauigatum, afflatum, audiui, ſeruiui, muniui, auditum,

ditum, ſeruitum, minutum, quod non ita conſtanter de ſecunda & tertia coniungatione præcipitur. Præterea uerò in tertia uidendum eſt nequa uerba nos fallant, quæ præterita habent & ſupina ad morem quartæ coniungationis declinata, quo de genere ſunt cupere, petere, & quæ ab his plurima ducuntur, ut cupiui, petiui, cupitum, petitum, unde appetiui, repetiui, impetiui, appetitum, impetitum. & omnino rectè uidendum hoc genus eſt, quoties non una eſt, uel certa in uerbis ratio declinationis. Præcipiunt obſeruandas eſſe præpoſitiones, ut quanta ſyllaba eſt in ijs quùm ſimpliciter pronunciantur tanta eſſe debeat, uerbis, aut nominibus coniuncta, niſi quod Di longa in cæteris, pronunciatur breuis in uerbo dirimo, & diſertus. Præterea ab, ad, ob, ſub, in, præ, con, uerbo iacendi præpoſitæ, adiicio, abiicio, obiicio, ſubiicio, iniicio, reiicio, coniicio, primas faciunt ſyllabas poſitione longas; nam quod Virgilius dixit,

Tytire paſcentes à flumine reice capellas,

alteram detraxit uocalem, ut pes eo loco fieret proceleusmaticus, ut alibi etiam,

-Labat ariete crebro.

Semper longa eſt Pro, aut ſola, aut coniuncta, præterquam in procella, profugus, proteruus, pronepos, proficiſcor, procurro, propero, profectò, profundo, profanus, profundum, profiteor, propago, profuſus, propino, profugio: quorum obuia ſunt ubiq; exempla. Re natura breuis eſt, ut;

Collectaſque fugat nubes, ſolemque reducit.

Verum adiiciunt ipſi aliquando poetæ alteram conſonantiam, quo illam reddant poſitione longam, ut;

Dij tibi dent capta claſſem redducere Troia.

Quod facere aliis adhuc in uerbis conſueuere. Exemplum dixerunt quo bonorum illuſtriumque poetarum, ac doctorum hominum recepta auctoritate, de primis, aut etiam mediis ſyllabis cōſtituimus.

Quid exemplū eſt in ſyllabarum temporibus.

Nihil tamen aliud exemplum eſt, quam ipſa natura. Non enim longa uel breuis quæque ſyllaba eſt, quod ſic in poetarum uerſibus eſt poſita, ſed contra omnino id ſequuti illi ſunt, quod in uerbis à natura ineſſe intelligebant. Siquidem norunt omnes dimidio plus temporis in longa ſyllaba eſſe, quam in breui, ita ut quodam tempore bonis uocalibus etiam ſcribi ſolitas eſſe longas, nemo ſit qui ignoret. Paucas uerò docti homines, uel iure ſuo, uel quia patiebatur natura ſermonis, nunc longas, nunc breues uſurparunt, ut Sicanus, Sicheus, rudere, rubigo, propinare, profundere, prouocare, Pyrene,

ne, propago, Pachinnus, Orion, Lycas, liquidus, liquor, Hymenęus, Gradiuus, Fidenæ, Diana, Curetes, coſire, Cacus, Bithinnus, Britannus, & quæ in medijs etiam ſyllabis paulo poſt notabuntur. Medijs quibuſdam, conſonantem addunt alteram, quo ſyllaba ex breui fiat longa, Porſenna, repperi, rettuli, reppuli, quæ ſunt propria poetarum. Contra à quibuſdam auferunt alteram conſonantem, quo faciant ex longa breuem: quæ apud illos exempla ſunt plurima. Medias uero ſyllabas, poſitione, concurſu uocalium, diphthongo, regula & exemplo cognoſcemus. Poſitione, ut Catullus, Dolabella, concurſu uocalium, ut Liuius, Iulius, Scipio. In his enim breuis media eſt, in illis poſitione longa. Sed in genitiuis ac datiuis quintæ declinationis mediam, ſequẽte uocali producimus, ut aciei, diei. Si tamen eiuſmodi ſint nomina, quorum in caſu nominandi ultima ſyllaba Es non ſtatim ſequatur poſt I uocalem, ſyllabæ ſecundæ ab ultimis, illorum quos dixi caſuum, fient breues, ut ſpes, ſpei, res rei, fides fidei. Non enim eandem habent proximam poſtremæ ſyllabam, acies, aciei, dies diei, quam ſpes ſpei, fides fidei, quando in his aliter atque in prioribus conſonantes, antecedunt ultimas uocales, & conſonantium huiuſmodi cauſa, contra quam in illis, ſecundas ab ultimis corripere debemus, etiam ſi Lucretius ad uſurpationem antiquitatis quædam ex his producere conſueuit. Diphthongo mediæ ſyllabæ cognoſcuntur quemadmodum primæ. Regula uerò eſt, ut uerba omnia per ſingulas formas, caſus, modos, tempora, ſignificationes, numeros, perſonas & incrementa declinationum obſeruemus. Certa enim ſunt loca in declinationibus nominum, uerborum, pronominum, participiorum, deductionibusque partium inter ſe orationis, quæ ſi rectè intuebimur, breuium & longarum in medijs ſyllabis rationem rectiſsimè nos admonere poterunt, ut quoniam audiui & laudaui ſecundam producunt ab ultima, eadẽ in laudaueram laudabo, laudarem, laudauiſſem, laudauerim, & laudauero producenda erit. Si conſtet laudes, & ames, & ores ultimam producere, certe ratio erit eadem in laudemus, & laudetis, quorum mediæ ſunt ab illa ultima declinatæ. Ergo ſi duas tantum habeant ſyllabas, ut ſtemus, & ſtetis, demus, & detis, nemo dubitare poſsit, quin ſint priores longę, qua ratione etiam demũr priorem demini tertiã ab ultima producet. Præterea ſi ultimam ſyllabam futuri ſubiunctiui noris in ſecunda perſona eſſe longam, ut illo nos exemplo admonet Horatius.

Syllaba poſtrema & ante poſtremam in futuro ſubiunctiui.

Audieris hęres ergo nunc Dama ſodalis.

Pro-

Profectò in cæteris numeris ac perſonis audierimus & audieritis pro ducendam eſſe non falſo Diomedes, Valerius Probus, aliique ueteres præceperunt. Seruant hoc & cæteri omnes, & antiquiſsimi etiam poetæ, quemadmodum affert ex Ennio M. Tullius exemplum;

Non mi aurum poſco, nec mi pretium dederitis.

Noti etiam Catulliani ſunt uerſiculi;

Dein quùm millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa ne ſciamus.

Quanquam aliquid hic poetarum licentiæ, ac neceſsitati concedamus. In ſoluta uerò oratione, à ſyllabarum, uocaliumue natura cen ſeo non eſſe diſcedendum. Sed tamen, quod poetæ aliquando ſuis in uerſibus aliter poſuiſſe uideantur, fortaſſe rarius hoc illi fecerunt, quam ipſi arbitramur, Magna enim affinitas eſt præteriti cum futuro ſubiũctiui, in eo uidelicet, ut poni alterũ pro altero, præ ſertim loco futuri præteritum, minimè oporteat mirari. Nam vulgo etiam dicimus; Is hortator monet, cui ego non facile obtemperauerim. Eorum iudicio utendum eſt, quibus ego minime crediderim. Huiuſmodi Terentianum illud exemplum eſt;

Si paulum quid te fugerit, ego perierim;

Et Ciceronis in Lucullo; Illud uerò non cenſuerim, ut eius auctoritate moueare. Nihil magis tritum in conſuetudine loquendi. Dicatur enim exempli cauſa; poſtquam in vrbem ueneris me de ſtatu rerum tuarum facies certiorem. Hic, nullo cum ſententiæ incommodo, aut mutatione aliqua, ſignificatio præteriti eſſe poterit & futuri. Nunquam, uoce, hæc diſtingui poſſunt, quæ eſt una utriuſq; temporis, raro ac difficile ex ui ſententiæ dignoſcuntur, quum, & uſu actorum & natura ſermonis, utrum hoc tempus an illud eſſe uelis non multum interſit. Separabit hæc fortaſſe, quædam ratio uerborum in quibus actio in ſit permanentior. Nam; quum Romæ uixeris, & Romam ueneris diuerſa tempora ſunt, illud tantum pertinens ad præteritum, hoc uerò ad vtrumque: Scimus enim apud A. Gellium, Athenis in conuentu doctorum hominum Romanorum eſſe, diſputatum aliquando, ſcripſerim, uenerim, legerim, futurine temporis, an præteriti, an utriuſque credi deberet. Quod eo dicere uolui, vt ne ne viderer ego primus, rem quæ aperta eſſe uidebatur, in dubium uocare. Palam uerò græci etiam ſic loquuntur, ut eſt apud Lucianum λέγε μήτε δακρύειν, μήτε οἰμώζειν διηγησάμενος τὴν ἐνταῦθα ἰσοτιμίαν. Nam de futuro quum ſermo eſſet, nec aliquid obſtaret quin διηγησάμενος. diceretur, nec deeſſet uox futu-

ri διηγησόμενος, participio tamen præteriti eſt uſus, ubi nos anceps verbi tempus ponere ſolemus. Nam ſi latinè idem voles dicere διηγησάμενος, erit fortaſſe quum ex poſueris, ubi ſæpius nec uoce nec ſignificatione uerbum cognoſces unius eſſe atque incerti temporis. Quod ergo ſecundam ab ultima ſyllabam, aut ipſam inueniamus ul imam hic breuem, ſæpe ea non magis ad futurum poterit, quam ad præteritum referri. Sunt præterea huiuſmodi formæ nominum, à ſubſtantiuis, uel adiectiuis, primæ declinationis, uel ſecundæ, uel tertiæ, agricola, omnipotens, cauſidicus, magnificus, tubicen, fidicen, cornicen, & ſimilia multa uel nomina, uel nominum formæ, ut etiam dulciculus, matercula, paterculus, ubi proximæ ſyllabæ à poſtremis, utrum breues an longæ ſint, non arbitror admonendum eſſe. At eadem longa eſt in tibicen, ex duabus genitiui conflata ſyllabis, longa etiam in alijs, quæ apertam retinent uocem genitiui, datiui, ablatiui, aut nominatiui pluralis, quanticunque, qualicunque, plerique, & ubique aduerbium. nec mirum ſi undique ex unde aliter pronunciandum ſit, quam ſuperiora. Item bonitas, pietas, mortalitas, & horridus, humidus, inuidus, filiolus, Tulliolus, aureolus, & utilis, amabilis, flebilis, & neutra monimen, regimen, ſpecimen, proximam habent à poſtrema breuem. Sin à prima ſint coniungatione, uel quarta, eandem producunt, ut ab oblectando, uel muniendo, oblectamen, & munimen. Iam ſi dubitatio ſit ceruical, tribunal, uectigal, quantas habeant medias ſyllabas, ad ea unde hæc nata ſunt, magis quam ad grammaticorum præceptiones reſpicere te uelim. Multa enim millia per nos ipſos hanc rationem ſequuti cognoſcemus. Verſibus etiam notandis poetarum, ea quoque uidere, quæ aut nullam, aut occultam rationem habent, poterimus, ut libido, caligo, lupanar, puluinar, lacunar, aliaque innumera. Aperta ſatis ratio eſt illorum nominum, errabundus, uagabundus, cogitabundus, ſitibundus, ab erratum, uagatum, cogitatum, ſititum, quibus in eadem ſyllaba contraria ſunt furibundus, ludibundus, ridibundus, moribundus, à ſupinis, quæ olim relicta obſoleuerunt. Quare minus acuti hominis eſſet expectare de his dum præcipiam, quemadmodum nec de illis, ſimulacrum, lauacrum, ambulacrum, à ſimulatum, lauatum, ambulatũ. Propugnaculũ, miraculum, gubernaculum, & huiuſmodi formæ nomina, ratio & uia erit eadem cognoſcendi quantas habeant ſyllabas tertias à poſtremis, à propugnatum, miratum, gubernatum, nec repugnem ſiquis malit à propugnando,

gnando, mirando, gubernando, ut;

Non cæptæ aſſurgunt turres, aut propugnacula bello.

At cryſtallinus, adamantinus, amethiſtinus, ianthinus, hyacynthinus, bombicinus, ſandycinus, & latina priſtinus, craſtinus, hornotinus, ſerotinus, oleaginus, faginus, lentiſcinus, myrtinus, proximas corripiunt à poſtremis, ut Horatius;

Quis Martem tunica tectum adamantina,

& Virgilius;

Fagina cælatum diuini opus Alcimedontis.

Contra, matutinus, Clandeſtinus, mediaſtinus, & huiuſmodi multa, ſubeſt aliqua ratio uerborum unde nata ſunt cur ſecundas corripiāt à poſtremis, ut Horatius;

Tu mediaſtinus tacita prece rura petebas.

Tertias producunt à poſtremis, hæc nomina, quæ à tertia uel quinta declinatione profecta ſunt ad primam, vulpecula, diecula, plebecula. Verum ſint hæc ſatis, non quidem ad docendum, ſed ad ingenia excitanda, ut quiſque ſecum animo & cogitatione perluſtrans naturam ſyllabarum, per ſe diligentius cætera perquirat. Vltima

Vltima ſyllaba.

uerò ſyllaba quanta ſit poſitione ſpectatur, ut opifex, murex, diphthongo, ut ſyluæ, nymphæ, & regula, quæ tam multiplex eſt, quam ſunt uocales diuerſæ, & quam conſonantes multæ, uocalibus uariè adiunguntur. Nam quæ primam in uocalem finita ſunt, corripiuntur, ut arma, Roma, Lucretia: ſed ablatiui, & uocatiui à græcis nominibus & primæ coniungationis imperatiui & indeclinabiles partes orationis, & quæ ad numerum pertinent nomina, triginta, quinquaginta, nonaginta ultimam habent ſyllabam productam. Contra uerò ita, puta, quia, & illa maiorũ nõia numerorum ducēta, trecēta, quadringēta, ſexcenta, octingenta, quoniam in caſus declinantur, & huius generis aduerbia recta tranſuerſa, poſtrema breui ſyllaba pronunciantur. Coniunctiones etiam aduerbiaque à pronominibus, poetæ aliquando corripiunt, ut poſtea, interea, præterea niſi fortaſſe tum uoluerint eſſe duas partes orationis. Græca in ſecundam uocalem Euterpe, Cyrce, Calliope, pronomina Me, Te, Se, imperatiui ſecundæ coniungationis, Exhibe, Moue, Doce, & quintæ declinationis ablatiui. Spe, Die, Macie, & ablatiuus huius nominis fames, & græca à nominatiuis in Es Anchiſe, Laerte, Perſe: itē ferè, fermè, præpoſitiones quoque E, De, Se, & aduerbia ab adiectiuis nominibus Pulchrè, Doctè, exceptis Bene, & Male, ſunt longa. Reliqua uerò ſeu nomina, ſeu uerba, ſeu coniunctiones, ſeu

caſus,

caſus,ſeu partes denique orationis quæcunque, vt Marce,Petre,Cubile, Mille, Scribe, Scribite, Legere, Legiſſe, Penè, Rite,Impune,& quicquid eſt noſtro in ſermone finitum in ſecundam uocalem corripitur. Ne, ſi interrogandi eſt aduerbium breui conſtat ſyllaba, ut;

Sola ne perpetua mœrens carpere iuuenta.

Sin uetandi, longa, ut;

Ne pete connubijs natam ſociare latinis.

In tertiam uerò latina quæ uel deſinunt, uel cadunt, longa ſunt omnia, præter Mihi,Tibi, Sibi,Ibi,Vbi,niſi,& Quaſi,quæ tum corripere, tum producere, ut in uerſu commodum eſt,licebit. Datiuos autem & uocatiuos græcorum corripimus,vt Amarylli, Phylli, Daphni, Amaryllidi, Phyllidi, Daphnidi, vt;

Mirabar quid mœſta Deos Amarylli uòcares.

Quæ in quartam finita ſunt, Cato, Virgo, Carthago,Lentulò,& primæ verborum perſonæ indicatiui modi, Scribo Lego, item Scribendo, Legendo, & græca mulierum nomina Sappho, Calypſo, & ille Atticorum genitiuus;

In foribus letum Androgeo,

Et ò uocandi aduerbium, & ſiqua ſunt alia,uel interiectionum, uel præpoſitionum, ſemper longa ſunt. Aiunt etiam ſero,ergo, profectò,nunc breuia eſſe, nunc longa, id quod ego ueniæ locum habere puto magis quam præcepti. Nam præter Modo, Cito, Duo, Illico, Scio, Neſcio, & quæ ſunt cum his compoſita uelim omnia produci, ſuadeo, tamen hæc obſeruari in poetis, Virgilij in hoc modeſtiam adamari, & ſobriam Horatij libertatem ſatis putari, nec ſibi amplius quenquam arrogare. Nam primas quoque uerborum perſonas indicantis modi corripere aliquando, non ualde permitterem, niſi alijs quidem, ſed Horatio potiſsimum auctori permittendum eſſet. Quæ terminantur vltima vocali tam latina quam græca ſine exceptione vlla producemus. Nimis enim vetus obſoletumque arbitror quod aiunt caſum eſſe aliquem declinationis, quartæ breui hac ſyllaba terminatum. Nam quod Valerius Probus verſum affert ex M.Tullij Arato,

At præter leuum genu Nixi parte locatus;

Non ualde magnum argumentum putaui. Habebat enim apud veteres hoc nomen genu, quintam in fine ſemiuocalem,ut non tam genu, quam genus diceretur,quod præter exempla uetuſtatis M. Tullius etiam priſcè declinandi illum in Poemate morem ſequitur, vt eiuſdem in parte operis quæ etiam nunc integra eſt.

Iam dextrum genus, & decoratam lumine ſuram
Erigit ille vagans.

Illam porrò ſemiuocalem, ex breui ultima ſyllaba auferre antiqui moris fuit, vt;

Verſibu, quos olim fauni, vateſque canebant.

Quæ uero integra ſunt, hanc poſtremam ſyllabam corripere meo iudicio non debent. Nec audiendi ſunt, ne ueteres quidem grammatici, docti homines, qui hanc ſyllabam, aut ab alijs, aut à M. Tullio correptam in Arato fuiſſe dicunt, poſſeque nos illorum exemplo fretos corripere quùm volumus: Vt enim concedatur id quod aiunt ab illis factũ fuiſſe, non placet mihi tamen abuti diligentia, & cũ labore ex antiquorum libris ea inueſtigare, quæ ne ipſa quidẽ antiquitas viſa eſt multum probauiſſe. Nec dubia eſſe volo, aut raro in uſu quæ alijs ad diſcendum proponuntur, ſed certa, communia, vtilia, à plurimis ac doctiſsimis vſitata. Itaq; nos, tantum à bonis poetis, ijs quorum ſemper magna fuit auctoritas, non quædam obſcura ſi qua in ijs forent, ſed frequentiora, illuſtriora, & rationi magis cõſentanea, (quod ad ſyllabas attinet) imitemur. Sed venio ad conſonantes poſtremas, quarum ſe mihi offert ratio ſpinoſior, quam ut eleganter ac ſplendidè queat explicari. Placet igitur ordiri à ſemiuocalibus, mox veniam ordine ad mutas. Itaque prima uocalium ſequente ſemiuocali prima, aut longa creſcunt ante poſtremam ſyllaba, vt ceruical, tribunal, aut breui, ut Annibal, Aſdrubal, Micipſal, de quibus ineptum eſt amplius dicere, ſemel enim volo eſſe conſtitutum, quæ huiuſmodi ſunt, naturam ſequi illarum vnde naſcuntur, & vicißim ex illis, has etiam poſſe iudicari. Quamobrem ratio erit eadem ſi hæc litera, poſt ſecundam ſuccedat, vel tertiam, vel cœteras vocales, ut fel, & mel, quæ quum fellis & mellis habeant in obliquis, argumento eſt eam ſyllabam in rectis etiam produci debere. Sunt in his peregrinarum quoque nomina linguarum vt Rachel, Babel, Bethel, quæ quùm ſint apud græcos ῥαχὴλ, βαβὴλ, βεθὴλ, nos de tẽpore ſyllabarum ſuſpenſos tenere non poſſunt. Semel vero, aduerbium alia ratio eſt cur breui poſtrema ſyllaba dicatur. Tertiam vocalem hæc eadem ſequitur vt in his, vigil, mugil, Tanaquil quæ ex cæteris caſibus cognoſcuntur. Nihil, duabus eſt ſyllabis correptis, & ex his conflatum, nil, vna tantum longa. Quartam etiam ſequitur & poſtremam vt ſol, conſul, exul, vnde ſunt exulis, conſulis, ſolis, inde breues hinc longæ ſyllabę, vt;

Non oportere abuti diligentia & nimis curioſũ eſſe.

Poſtremis de ſyllabis longiuſcule diſputatio.

Solis filia lucos

At,

At, ſimul, non eadem ex cauſa, tamen corripiendum fuit. De ſemiuocali ſecunda ſi uocalem ſequitur, in uerſu, nihil dicere neceſſe eſt. Semper enim quæcunque uocalis antecedat, aut ſequitur alterius uerbi uocalis, & omnino amittitur, ut;

Littora multum ille.

Niſi ſi aliquid eſſe uolumus, quod apud Lucretium ſic legitur,

Corporum augebit numerum ſummaque ſequetur

Aut ſequitur conſonans & ſyllabam facit poſitione longam, ut;

Infandum Regina iub. s

Hanc ipſam primam tertia ſemiuocalis inſequuta, efficit longam ſi ex eo genere ſit quod iam ſæpe dixi, ut cæteris in caſibus longa abũdent ea quæ antecedit ultimam, vt Pan, Titan, Pęan. Latina autem an forſan, Forſitan, & ſi qua ſunt alia huiuſmodi breuiter omnia pronunciamus. In ſecundam verò ex uocalibus illo modo exeuntia Nomen, Omen, Carmen, Inguen, alia ſunt omnino quam ſplen, lien, ſyren, hæc longis abundant ſyllabis, quùm declinantur, illa breuibus. In, præpoſitio correptè, ſin, & quin productè dicimus. Hęc ſemiuocalis tertia apud nos, quartam uocalem poſtremis in ſyllabis, non ſequitur niſi vno in aduerbio negandi. Non quunque Solon, Ariſton, Corydon, & græca ſimilia his quam plurima ex ratione græci ſermonis iudicanda ſint, libro quarto mihi reſeruaui uti dicerem, de his quod uiſum erit. Eadem hac de conſonante & poſtrema uocali, non eſt quod ſcribere debeamus. Nihil enim habet latinitas, illo modo quod eſſe terminatum recorder. Quod ſi illius formæ ſint uoces, ut Cæſar & Iubar, diuerſa in his ratio eſt. Hæc duo enim breuibus ultimis dicuntur, quod ex his fiat Cæſaris & Iubaris. Quæ uero ſingulis conſtant ſyllabis longa ſunt, ut;

Nar, Lar, Var, Far, Par, ut

Sulfurea Nar albus aqua:

Illud ratum ſemper in his eſt, ut quarta ſemiuocalis in fine uerborum, uel præpoſitionum, uel aduerbiorum, quæcunque antecedant uocales, eas effici breues, tametſi declinando ſyllabæ ex ijs naſcantur longæ ut miror, mirabar, mirarer, nec de aduerbiis dubium eſſe poteſt, uel prępoſitionibus, immaniter, leniter, inter, propter: Nam ſecunda etiam uocalis poſt quartam ex ijſdem ſemiuocalibus quacunque in declinatione, uel parte orationis corripienda eſt, ut mulier, tener, liber: producenda autem græca illius generis plurima ex longarum uo-

calium natura, character, aer, crater, æther.
Tertia uero ante illam, quæ dicta eſt conſonantem, breuis eſt. Nec multa ſunt in latina lingua primę illius nomina, præterquam vir, & quæ hinc fiunt, ut duumuir, treuir triumuir, ſeptemuir, decemuir, duodecimuir quindecimuir, uigintiuir, quinquagintauir, centumuir. Quarta itidem breuis ut ſponſor, auctor, labor, ſplendor, calor, quamuis abundent aliis in caſibus longa ſyllaba quæ antecedit ultimam, ſponſoris, auctoris, accuſatoris, laboris, ſplendoris caloris. Sunt alia ex his quæ penultimas corripiunt in obliquis, arbor, marmor, ęquor, memor, & propria gręcorum, Hector, Hector, caſtor: omnia tamen hæc niſi cor, ſyllabas recti corripiunt poſtremas. Quinta etiam ut ſuperiora, augur, Aſtur, Ebur, Magudur, Tibur, Anxur, iecur, fęmur, turtur, uno excepto ſyllabæ unius fur, quod in caſibus omnibus hanc ſyllabam producit. Producitur etiam quicquid eſt uerborum eiuſmodi voce terminatum, bonitas, pietas, firmitas, ſeu nomina illa ſint, ſeu partes orationis aliæ, ſeu perſonæ, ſeu caſus, nec opus eſt rem exemplis confirmare. Eadem præceptio in plurimis græcorum eſſe poteſt, ut Aeneas Hiarbas, niſi quod ab hac ratione diſceſſere, uel nominandi caſus ij uel accuſandi qui ab illis in tertiam noſtram declinandi formam venerunt: ſuntque in his lampas, Thoas, Pallas, ut;

Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores
&
Super Garamantas, & Indos.

In his tamen ac cęteris omnibus græcam rationem atque uſum intuebimur. Quinta ſemiuocalium, ſequens vocalem ſecundam diuerſa præceptione cognoſcitur. Creſcentia enim longa ſyllaba in obliquis, producuntur ut hæres, merces, quies. Corripimus autem his contraria, miles, pedes, hoſpes, præſes. Nam faciunt illa hæredis, mercedis, quietis, hæc uero militis, peditis, hoſpitis, præſidis. Paries tamen, fides, ſpes, res, teres, abies, aries, ceres, & pauciſsima quæ docebit uſus poetarum, contra ac ſuperiora longas habent poſtremas. Nec admonitionis indiget exeuntes in hanc ſyllabam tertiæ declinationis nominandi, uocandi, accuſandiue caſus produci oportere ut ignes lapides, inermes. Corripimus à verbo quod uocant ſubſtantiuum, cognatiſque illius uenientia, ut;

Quiſ-

Quiſquis es armatus

&

Huc ades ô Galatea

&

Nate Dea potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?

Secunda perſona Es à uerbo edendi, ut ab his differat longa eſt Penes, corripit ultimam, ut;

Quem penes arbitrium eſt & ius et norma loquendi.

In uerbis autem cæteris uidendum eſt an longa ſyllaba creſcant, ut clames, dices, faceres: hæc produci ex eo cognoſcimus quod hinc fiat clamemus, dicemus, faceremus, quanquam ſit rectius (ut iam dixi) inferiora uerba ex ratione ſuperiorum iudicare Græca primę declinationis ut Anchiſes, laertes & tertiæ ut Socrates Demoſthenes producuntur, ſed quintæ declinationis illorum, ex natura (quod ſæpe iam dixi uocalium) corripimus, ut;

Nymphæ noſter amor libethrides

&

Naiades indigno quum Gallus amore periret

Vbi autem conſonans hæc tertiam ſequitur poſtremis in ſyllabis uocalem ſi tertiæ declinationis, nominandi uel gignendi caſus erunt illos correptè dicemus, ut ſuauis, mitis, lapis, ignis, Veneris, cineris, carbonis: contra ſi longa abundent ſyllaba in obliquis, ut lis & ſamnis, litis & ſamnitis, & ſiqua extent alia id genus. Hanc ipſam pronunciandi rationem ſequuntur, dandi & auferendi caſus primæ declinationis, & ſecundæ numeri multitudinis, ut nautis & Muſis. Verba quibus in declinando accedere alia ſyllaba non poteſt, breues habent ultimas ut oratis quæreretis, ueniſſetis; quibus poteſt, uidendum, longane accedat, ut audis, uenis, adſis, unde ſunt auditis, uenitis, adſitis, an correpta pergis, contemnis, dicis. Hinc enim breuia ſunt à breuibus, illinc longa à longis. Queis etiam & uis, tam nomen quam uerbum, & mauis & quamuis, & accuſatiuus in ſecundam & tertiam uocalem, nemo eſt qui neſciat produci oportere. Breuia ſunt Cis, Magis, Fortaſsis, itemque mis, tis, ſis, tametſi hodie nullus iam ſit illorum uſus. Secunda perſona in præterito ſubiunctiui breuis eſt, in futuro autem longa: illius igitur quæ ſyllabam antecedit ultimam in numero multitudinis correpta eſt, huius uerò (quemadmodum ſupra dictum eſt) longa niſi alterum capiamus pro altero, uel dari hic placeat aliquid auctoritati poetarum. In quartam cadentiam uocalem, cui hæc ipſa qua de agimus ſuccedit

conſonans producuntur ut populos, Deos, armatos, & græca Minos, Heros, Androgeos contra atque illi genitiui, Paridos, Paphnidos, Pallados, & nominandi caſus Delos, Claros, Paphos, Tenedos, aliud quam in prioribus poſtulante hic uocalium natura. Ex latinis etiam corripiuntur os pro oſſe, & ſi qua ſunt augeſcentia in correptas proximas à poſtremis ut impos & compos. Denique breuia ſunt quæ illam in uocem deſinunt quorumcumque ſit generum, filius, corpus, intus, legimus, oramus. Græca producimus omnia, uel genitiuos Calypſûs, Sapphûs, Didûs, uel rectos Oedipûs, Melampûs. Noſtra quibus accedente ſyllaba declinando ſunt longa, etiam ſine ea ſyllaba producimus, ut ſus, mus, thus, plus, ſalus, palus, tellus, uirtus, ſeruitus, iuuentus, ſenectus. Nec miremur hinc excepta eſſe neutra omnia comparatiuorum fortius, diligentius; præſtabilius. In quarta declinatione præter nominandi caſum & uocandi quicquid in hanc ſyllabam cadit producitur, ut;

Induerat Cyrce in vultus ac erga ferarum

Ex ijs tamen, quorum ſuperant cęteri caſus una ſyllaba nominatiuum, palus interdum corripit poſtremam, ut;

Regis opus ſteriliſque diu palus aptaque remis

Contra Virgilius

Fata obſtant triſtique palus innabilis unda

Cœtera ſunt ſemper longa, ut;

Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiſcat

Illa etiam græca nomina Hydrûs, Hiericûs, Hemaûs, Opûs, Ceraſûs quemadmodum illa ſuperiora hominum propria Oedipûs, Melampûs longas habere ſyllabas poſtremas ratione ſermonis græci rectiſsimè admonemur. Duæ adhuc ſuperſunt literæ ſemiuocales quarum ſeptima nullum uerbum claudit, ſexta uerò, conſonans duplex, fieri non poteſt quin ſyllabam reddat longam, ut uox, pax, felix. Tranſeo igitur ad mutas, è quibus quarta, quinta, ſexta, ſeptima, nunquam in fine uerborum locatur, prima uerò, tertia, & poſtrema, per naturam, aliud eſſe quam breues, non poſſunt: niſi uerum eſt illo in uerſu;

Omnis humo fumat Neptunia Troia

In uerbo fumat, eſſe συγκοπὴν pro fumauit, ut etiam neceſſario produci ſyllaba ſecunda debuiſſet. Sola igitur ſupereſt ſecunda quæ in fine uerborum ferè producitur, ut hic, hæc, iſthuc, dic, duc, fac, ſic ſed hic pronomen modo longum eſt modo breue, ut;

Hic ait & noſtris illuſerit aduena regnis

Alibi

Alibi contra idem Virgilius;
Solus hic inflexit ſenſus.

Sequitur iam ut communibus de ſyllabis dicendum ſit. Vocalis quæ natura breuis eſt, ſequente muta, & liquida eodem in uerbo, fit communis. Nam ſi muta & liquida, in principio ſint uerbi ſequentis, antecedens in ſuperiore uerbo uocalis, corripienda eſt, ut;

Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti.
Suſtinet, ac natæ, Turnique canit Hymenæos:

Vel dum correptam uocalem, duæ ſequentis uerbi excipiunt conſonantes, aut una duplex, vt;

Iam medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos: &;
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta.

Vel quum correpta uocalis, in unam deſinit conſonantem, & initium eſt pedis, ut;

Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

Vel quum uocalem ſequitur alterius uerbi conſonans, vt;

Liminaque, lauruſque Dei, & Poeta idem;
Dona dehinc auro grauia, ſectoque elephanto,

Vel quum ſimplex uocalis dipthongum ſequitur, vt;

Inſulæ Ionio in magno.

Vel quum vocalis, longam vocalem ſequitur, vt;

Et longum, formoſe vale, vale inquit Iola: &;
Clamaſſent, vt littus Hyla, Hyla omne ſonaret.

Vel quum diphthongum ſequitur uocalis producta, ut;

Ardea, Cruſtumenique, & turrigerę Antennæ. Alij ſiqui adhuc ſunt modi communium ſyllabarum, eos, ut ne falſo poetas accuſemus, & quum ipſi uerſum pangimus ancipiti ſollicitudine liberemur, arbitror eſſe cognoſcendos.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. II.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

BARBAROVM hominũ falſas de latinitate ſententias repellit. Latinam linguam hodie latius patere, & magis noſtram, magiſque neceſſariam eſſe quam ipſis quondam Romanis fuiſſet, oſtendit. Hinc ordine poſt ſyllabas, & ſyllabarum tempora quæ ſuperiore libro tractata ſunt, hoc loco primum de accentibus, A di ſenioris Aelij Donati, Sergij, Priſciani, & ueterum doctorum hominum ſententia, latinorum uel græcorum defenditur. M. Fabij Quintiliani duo ea de re contra indoctum neſcio quem, loci explicantur. Nam quùm poſtremis in ſyllabis negaretur omnino accentus eſſe oportere, idque ipſum primo libro & duodecimo negare Quintilianus uideretur multis uerbis auctor probat illam eſſe Quintiliani ſententiam nec poſſe nec debere, nec denique à d octiſsimo uiro huiuſmodi cogitatum aliquid unquam fuiſſe. Ad locum uero duodecimi libri facilis reputatio atque in promptu fuit. Nam de ſuauitate ſermonis quum eo loco diſputetur, & doctiſsimè quidem ſed fortaſſe non nulla cum iniquitate animi, græcorum (ut ſolet) anteponat latino, interplurima, illud ei uiſum eſt ad rem aliquid afferre momenti, quod accentibus in fine ſyllabarum apud græcos, uarietas fiat maior. Porro autem Quintilianus hanc ex uarietate ſuauitatem fieri potuiſſe intelligit non paucíſsimis ex uerbis, quę apud nos acutè, grauiter. aut inflexè dicuntur ſed tanta omnino quanta apud græcos eſt eorum quæ ὀξύτονα illi uocant infinitate uerborum. Neque ignorabat homo doctiſsimus, neque illi negare in meutem ueniſſet paucíſsmis de uerbis quæ dicta ſunt, unde ſuauitas ulla ex uarietate non fiat orationis. Quum tota de ratione ſyllabarum ſatis uſque ad eum locum diſſeruerit, grammaticæ tertiam partem ideſt dictionem, quæque dictioni adiuncta ſunt, etymologiam, & analogiam, ex M. Varronis, & antiquorum ſententia perſequitur. Ortho-

graphiam

graphiam uerò, ex ratione, uſu, ſuauitate pronunciandi monumentorum ueterum auctoritate, maximo ac ueriſsimo iudicio pulcherrime temperauit.

SVPERIORE Libro, Marcelle frater, quæ ſunt prima ſermonis elementa, literas, ſyllabas, earumq; naturas, aſpirationes, ac tempora ſatis uidemur eſſe perſequuti. Nunc, tractare dum pergo cætera, quæ huius erant loci, fiunt quaſi obuiam, quos iam à principio fore moleſtos mihi, & huic labori meo aduerſarios cognoueram, homines, qui diſputent, uel nullum eſſe amplius hoc ſtudium, uel non ita magnam, in eo conſumi operam oportere. Ego uerò, frater, ut, quanto ſint latinæ literæ hominibus doctis ornamento, uel diſciplinis omnibus, quantum afferant adiumenti, ac luminis, taceam, illud ſcio eſſe maximum ex rebus humanis omnibus, quod nullæ artes, nulla ſcientia, nulla iura, aut leges, ac ne communio quidem ipſa religionis conſtare ſine his ulla poſſet. An hæc omnia cum cæteris nationibus communia eſſe non oportet, & ſingulæ gentes propria quædam habebunt in doctrinis, in legibus, & in religione inſtituta, & morem ſacrorum arcanum, à ſuis tantum populis intellectum? Nouámne hanc, Italiæ nationes exteræ barbariem, omnes complectentur, an Italis hominibus omnium gentium linguas putamus eſſe diſcendas? Non cogitant enim ignari homines, ſi latinitas auferri poſſet, quę ſit neceſſe eſt ſempiterna, uel hunc infinitum laborem eſſe ſubeundum, uel religionem, & res omnes quæ literis continentur, ſocietatemq; ſacrorum & generis humani, & illam neceſſario ex Italia amittẽdam eſſe linguam, cuius gratia latinam, ideſt uitam ac lumen de rebus humanis omnibus tollere conantur. Quanta eſt hæc hominum temeritas, qui non hanc auferre ſolùm, deq; humanæ naturæ terminis eijci poſſe & oportere clamitant, ſed huius loco ſuam fore credunt, aut eſſe iam gloriantur? Numera, quæſo te, ſi potes, quot uno, uel pauciſsimis in uerbis, dicta inſanè ſignificata impudenter. Barbariem conferunt cum ſplendore latinitatis: ſuam cum Romanorum eloquentia: ſuas cantiunculas & amores, cum literis omnibus, humanaq; & diuina ſapientia: hæc tempora cum illis, quibus facile Romani aut græci in

uacua

uacua uenire potuerunt: deſperationem & res maximè omnium afflictas cum felicißima fortuna & rebus florentißimis: ſummam ſeruitutem cum ſummo imperio: ſingularem turpitudinem cum infinita gloria: omnium generum calamitates cum glorioſißimis toto de orbe terrarũ & creberrimis triumphis. O ſtultißimam ſermonis audaciam, & animi dementiam ſingularem. Nõ modò enim fatuè hoc iactatum eſt, quod lingua nulla eſt illorum, quæ cum latina conferri aut linguæ numero duci poſsit, nec ulla ſcripta quibus non carere poſsimus, uerùm, ſi hæc illis eſſent paria cum Romanis, immo adeo ſi Athenienſes etiam copia ſcriptorum, & multitudine doctißimorum hominum uincerent, inſaniæ tamen eſſet ſperare, illam ſe barbariem ſermonis uel unum pedem extra fines Italiæ proferre. Nam duo ſunt (id quod noſtrorum, & Athenienſium exemplo cognouimus) non dico maxima, ſed ſola, quibus lingua ad nationes exteras aliqua afferri queat. Vnum imperij maieſtas atque amplitudo, exercitus uictores, multa in locis præſidia, frequentes coloniæ, celebritas iudiciorum, atq; legum, ut prope à noſtris hominibus habitari gentium aliarum urbes ac regna uideantur. Alterum eſt, ne quod genus aliud ſermonis antiquißimas in ciuitatibus illarum, altißimaſq; in patrio ſolo radices egerit, quæ inde euelli non poſsint, uel non debeant. Quid.n. obfuit in Græcia, obſecro te, uel Athenis græcæ linguæ, imperium Romanorum? Crede mihi, ſi uſq; ad hanc memoriam, & infinitis poſtea ſæculis manere id imperium atq; opes illorum tantæ potuiſſent, ſermonis Attici ſplendorem ij in omne tempus conſeruaſſent. Ipſa uero Græcia, quæ, tot bellis afflicta, deniq; libertatem ſibi auferri paſſa eſt, deleri millies, quam patrij ſermonis uſu priuari, ſe tuliſſet. Tu ergo tanta inſania, quantam nemo ullo in homine unquam uidit, qui tuam barbariem, tuos amatorios cantus, atq; ineptias, Athenienſium & Romanorum gloriæ anteponendam credis, illud cogitato, ne Gallos quidem, aut Hiſpanos, aut nationes Europæ cæteras expertes eſſe iſtius uel cupiditatis, uel ſenſus, uel ſtultitiæ tuæ, ut ſuam linguam putent cæteris omnibus eſſe præſtantiorem: & aliquando fore tempus, quum tu, pulſa ex terris omnibus barbarie tua, iſtos meretricis cantus, & quæ apud indoctos & in lupanaribus & in tonſtrinis leguntur ſermone ſuo (quod omen Deus auertat) ſcribere cogaris. Vtinam abſis longißimè ab hoc metu: utinam ad priſtinas etiam opes atque imperij dignitatem aliquando uel minimam illius partem redire poſſemus, nec perpetuis obruta ruinis Italia premeretur, ſed præſente fortuna atque ſta-

tu

tu rerum ſi futuri ſemper ſimus, iam nullus iſti linguæ honos habebitur unquam, niſi intra anguſtiſsimos fines, à rudibus literarum, à ſcortorum gregibus, à fæce & ignauia hominum, à Traſonibus, qui ſe, à latinis contempti, à uobis laudari gloriantur. Quod ſi intra alpes tantum & mare legi uis, nec res noſtræ uidentur tibi unquam fore meliores, & linguam tamen iſtam his terminis incluſam, alijs gentibus inauditam, à doctis hominibus irriſam, ad ſcientias & res grauiſsimas à literatis non adhibitam à ſacris rebus uſque ad omne futurum tempus excluſam, à domeſtica tantum ſtultitia, & in ſinu magni æſtimatam, Linguæ nomine dignam putas: nę tu abes longiſsimè à ſenſu, & rectiſsimè factis Romanorum, & Athenienſium, quibus te parem, uel (ſi dijs placet) ſuperiorem eſſe arbitraris. Quid enim tanto ſpiritu in re omnium perditiſsima exultas? Nihil eſt, quod te inſolenter iactare poſsit. Adhuc tibi debellandus eſt orbis terrarum, neque ſolum id efficiendum, ut ab aliis gentibus iſta nouitas linguæ recipiatur, ſed latinitas etiam ut relinquatur. Quid enim putas iſtam fore linguam uel hinc ad uiginti millia annorum florente (ut ſcientiarum & religionis communicandæ cauſa floreat neceſſe eſt) lingua uetuſtiore, quæ diuinis rebus conſecrata eſt? Hanc enim ut ſummo loco Romani collocarent, Volſcam, Sabinam Hetruſcam aliasque gentium aliarum linguas omnino ſuſtulerunt. Age tu, aufer Latinam ex Europa, aufer ex Italia, infer bellum nationibus, impetu & clamore legionum iſta uoce & oratione comminantium, aureis impleatque mentes nationum. Nunquam enim tonitrua ſunt illis audita maiora, quam uoces Romanorum, quibus ad Latinè loquendum aſſueuerunt. Quapropter expecta etiam tu illa tempora, quibus tanto imperio efficias eadem, quæ Romani fecerunt: nos interim fruamur hoc cœleſti dono, quod tum ſuis, tum noſtris, tum legum, & myſteriorum, atque externarum gentium plurimis ac firmiſsimis præſidijs munitum conuelli unquam, aut nobis eripi de manibus non poterit. Adeſt enim illa manus fortiſsima Gallorum, & robur maximarum urbium, atque hominum Hiſpanorum, & Germaniæ etiam, & fideliſsima Britanniæ, totiuſque Europæ auxilia ad ultimos Pannoniæ, Sarmatiæ, paludis Mæoticæ, Ponti, borealis Oceani, atque Atlantici fines, quæ nobis hanc partem Romani imperij in omne tempus tuebuntur. Nunc illud mihi reſpondeas uolo, quam longum tempus concedi poſtules tibi,

quo

quo tuam barbariem eo loci uideas quo latinam linguam? Si mille annos eſſe ſatis arbitrabere, mecum ridebunt omnes homines: ſin quinque millia, per me quidem uel futuram omnem temporis æternitatem dabo. Nihil enim (ad te ut redeam, frater) aliud maius iſti poterunt quam inſanire. Cantent ſuos amores, placeant ſibi, & multitudini, & ſuis æqualibus, adulentur ignaris literarum principibus, tractent philoſophiam, diſciplinaſque cæteras, obſcuri ſemper, atque in tenebris iaceant neceſſe eſt, & latinitas ex ipſis penè dixerim hortis cœli, in quibus tam altas radices egit, donec homines, donec humanæ diuinæque leges erunt, euelli non poſsit. An uero aliquid magnificentius de illa, quam par eſt, cuiquam dicere uidebor, quæ diuinis legibus, communicatione ſacrorum, & ipſa religione conſecrata eſt, & quùm ſola eſſe potuerit communis plurimarum gentium, conſecrari ſola debuit? Iactent mihi nunc illa, uel non eſſe amplius noſtram, uel à paucisſimis intelligi, uel rectè à nemine pronunciari, uel eſſe iam rebus humanis omnibus defunctam, uel ſtudium illius obeſſe literis ac doctrinis, uel damnum hoc à nobis in Italia nutriri, uel ſcribi omnia ſermone uulgi, ac multitudinis oportere: quod ſi fiat, quamplurimos in ſua lingua Ariſtoteles, Platones, ac Theophraſtos fore. Illa uero nũc magis quam incolumi Romanorum imperio noſtra eſt, & omnium gentium, & religionis, & rerum diuinarum omnium, & nouis quotidie, excellentiſsimiſq; diſertorum hominum tota ex Europa ſcriptis illuſtratur, & omni ex orbe terrarum docti homines, quamplurimi latinè, multo autem plures grçcè, ideſt aliena & communiore lingua ſcripſerunt. Accidit autem latinitati longè fœliciſsimum illud atq; pulcherrimum, quod quum tot iam ſeculis nihil mali non uiderit Italia & orbis terrarum, nihil ſceleris non perpeſſa religio ſit nulla non fœlicitas iniuſta ſit Romanæ linguæ hac ipſa ætate noſtra, his rebus diuina ope adiutis inſperata quædam atq; infinita bona acceſſerunt. Nec dico in Europa doctos eſſe innumerabiles qui ueterem latinæ eloquentiæ ſplendorem atq; omnem uim facillimè ſunt conſequuti, & reſtitutã eſſe uiam qua uulgo id etiam pueri conſequuntur, ſed quod longè pulchrius eſt atq; diuinius religione quoq; iam ad ultimos aurorç terminos inuecta, nouas latinitati etiam acceſsiones eſſe factas, nouas quamplurimis in regnis, Indiæ Aethiopię, & latiſsimis in regionibus Aſiæ ſedes eſſe conſtitutas. Nunquam Romani tantum imperio efficere potuiſſent, quantum religio per paucos & ſanctiſsimos homines illos potuit, qui nomen

Latini ſermonis noua felicitas.

nomen ſibi aptiſsimum ex Ieſu nomine fecerunt, ut à Gaditano freto per meridiem,& nauigationes infinitas Oceani ad Auream Cherſonenſum, terraſq; Orientis extimas hoc ſplendidiſsimum noſtri ſermonis lumen collocaret. Caue enim putes frater non cum religione hanc linguam ſempiternam fore cui ſic adiuncta affixaq; eſt ut ab ea propter ius Pontificium, & externis cum gentibus communicationem ſacrorum,diuelli non poſsit.Itaq; nuper quum ad regiones Indiæ extremas ſimul cum religione penetrauerit non ex ganeis atq; tonſtrinis,(ut iſti nebulones de ſua lingua gloriantur)ſed ex mille ſanctiſsimis templis latinas Dei ac Diuorum laudationes, latinas Chriſti leges & iura omnia, latinam de ſacris ipſaq; de religione tota diſciplinam Indi quoq; nobiſcum, Aethiopes, & ultra Gangem populi donec erit humanum genus prædicabunt. Sed prouehor longius iſtorum inſulſitate, & inſolentia prouocatus. Neque tamen ad me ſolum, uel ad paucos pertinet hic dolor, uel confutatio, irriſioq; ſtultiſsimi erroris. Itaq; uir ætate noſtra omnium doctiſsimus Lazarus Bonamicus, & ſumma eloquentia ſummoque ingenio Romulus Amaſæus, à quo præceptore hoc arripui, ſi quid eſt in me ſpiritus, aut literarum, luculentiſsimis olim orationibus cauſam latinitatis defenderunt. Paulus deinde Manutius, is, quem iure optimo elegãtia, & ſuauitate orationis ut Romanum quendam hoc tempore Theophraſtum omnes homines admirãtur, una quadam in epiſtola rationes iſtorũ, quibus moueri ſe aiunt ad Latinitatem oppugnandam, omnes diſſoluit. Carolus uero Sigonius, literis omnibus ornatus, quo cum mihi amicitia non minor, quam ipſo cum Manutio, nuper eſſe cœpit, quaſi iſtorum uocibus iam re in dubium uocata, de uſu latinæ linguæ retinendo Venetijs orationem habuit. Vides ergo grauiſsimam eſſe cauſam cur ſæpius iſtos mihi refellendos putem, nec ea uoluerim occultari, quæ ſunt à me diu ante cum Crotta ijſdem de rebus & ſtultitia multorum Romæ diſputata. Nunc uenio, ut, quæ mihi ex oratione ordinis, de accentibus, etymologia, analogia, orthographia propoſita ſunt, hoc libro exponam. Treis igitur doctis hominibus placuit eſſe eos, qui propriè accentus dicuntur, Acutum, Grauem, Circumflexum. Sua loca ſingulis ita aſsignantur. Verbum uel unius, uel duarum, uel trium eſt ſyllabarum. In uerbis enim longioribus, quæ ſyllabæ hunc numerum excedunt, ijs ſyllabis accentuum nulla ratio moderabitur.Quare ſciamus debere eos,tantũ in ultima ſyllaba,uel ſecũda,uel tertia ab ultima uerſari.Quo igitur in uerbo una tantũ ſyllaba

Poſt literas et literis adiuncta, ſyllabas tractauit, nunc accentus & cętera ſyllabis adiũcta aggreditur.

ba eſt,ea neceſſe eſt aut lõga ſit,aut breuis.Si per naturam longa ſit,
ea erit circumflexa,ut lîs,flôs,rês,ſin poſitione,illam acute proferemus,ut píx,dúx,néx: quaſi breuis fuerit,eodem accentu,quo poſitione longa pronuncianda erit,ut uír, íd, illát. Ex duabus uno in uerbo ſyllabis,aut utraq; longa eſt,ut auras,aut breuis, ut pater,aut breuis ſequente longa ut iners, aut longa ſequente breui ut lumen. Rurſus aut poſitione longæ ſunt,ut uertex,aut natura, ut muſæ,aut quæ antecedit,natura,quę ſequitur, poſitione longa erit,ut murex,aut cõtra,ut noxas. Omniũ igitur facilis ratio eſt. Sola.n.penultima, quæ naturaliter longa eſt ſequẽte breui,accentu erit circumflexo, ut mâter. Nec aliquid refert,utrũ ſequens duas in cõſonanteis cadat, modo per naturá ſit breuis. Nam quod murex uideatur poſitione producere ſecundã,naturaliter tamẽ quum ea ſit breuis,circũflexus accentus erit in priore. Semel.n.conſtituere oportet quæ ſyllaba poſitione longa ſit,eá hac in ratione accentus, loco breuis ducendá eſſe,id quod illi ineſt à natura. Quo in uerbo tres aut quamuis multæ ſint ſyllabæ,tãtum poſtremarum,(ut dixi) trium ratio habetur.Hæ, quemadmodum ſuperiores,aut corripiuntur oẽs,ut anima,aut producuntur,ut uirtutes,aut primam longam duæ ſequuntur breues,ut carmina,aut breues duas longa,ut Cúrios,aut unam lõgam circumſtant utrinq; breues,ut pruîna,aut unam breuem longæ, ut fábulas, aut breuem duæ ſequuntur longæ,ut Coríntho,aut longas, breuis, ut Orâtor. Diuiſiones alias nõ patitur natura,neq; plures,neq; pauciores. Hinc ergo pedes neceſſario extiterunt octo,de quibus infra à nobis dicetur,Tribrachus,Moloſſus,Dactylus,Anapeſtus,Amphibrachus,Amphimacrus, Bacchius,Palimbachius. Aperta in his quoque ratio eſt cognoſcendi pronunciandiq; ſyllabas. Quoties.n.proximæ ante poſtremas fuerint breues,ut in Tribracho,Dactilo, Anapæſto, Amphimacro, tertiam ab ultima acuto accentu pronunciabimus, ut Hélena, Líttora, Sócrates, flúuios. Sin ea ſyllaba erit longa ut in quatuor eſt reliquis pedibus,Moloſſo,Amphibracho , Bachîo, Palimbacchio,accentu in ipſa habebit Circumflexum, ſi natura longa eſt ſequente breui,ut arêna,Polydôrus: acutum uerò,ſi poſitione producatur,aut ultima ſuccedat naturaliter longa,ut facéſſunt,Români. Grauis autem accentus, (ut omittam de eo,quæ neceſſaria in hoc libro non uidentur)ultimis tantum in ſyllabis ponetur,ut infra dicemus. Aelio quidem placuit , eius proprium eſſe locum eiuſmodi in uerbis quæ ſummum penultimis in ſyllabis accentum habent ut ante ſummum ponatur grauis, Màrcéllus, Càtúllus, Mètéllus

Ego

Ego uero ſcio, ne fieri quidem poſſe, quin ſummum grauis ante-cedat, ſed eodem loco ſentiunt aures, & poſtulat uocis natura, grauem, tametſi etiam penultima ſequatur circumflexa, ut cùbîle, ſtudìôſus, Ròmânus, Prenèſtînus, decùmânus: uſum tamen eius rei, uideo non magni æſtimatum à noſtris, nec ullo loco poſitum à grę cis auctoribus. Quamobrem ſi eſſet in more, apud nos, id quod ego uellem, & cum ſuis accentibus latina etiam uerba omnia ſcriberentur, grauem tamen acuto præponere, uel circumflexo, nouum & minimè neceſſarium putarem. De uſu uerò ſcribendi accentus non ualde magna præceptio, Terentij ſcauri illa fuit quondam, ut quæ uerba ſint ita ſimilia inter ſe, ut inde naſci poſſet error, ea ſaltem accentibus, ne fraudarentur, ut; légit nunc puer: lêgit heri aut nuper: âret ille agrum alienum: âret herba in pratis, paret ille conuiuium,

Accẽtus grauis locus ex Aelij ſentẽtia.

&;

Paret amor dictis caræ genitricis

Nunc illud non prætermittam, in calefácio, tepefácio, conſuefácio, & ſimilibus perſonam ſecundam ac tertiam numeri ſingularis, calefácis calefácit, tepefácis, tepefácit acuto accentu debere in ſyllabis quæ antecedunt ultimas pronunciari. In forma uerò paſſiua ſecundæ ac tertiæ perſonæ ſingularis numeri, erunt in contextu uerborum graues, in fine orationis fiant acutæ, ut calefís, malefís, tepefís, calefít, madefít, tepefít. Nec de numero multitudinis dicere neceſſe eſt, cuius dictum eſt, ſecundas ab ultimis eſſe longas nemoque dubitat eas acuto ſono uocis pronunciandas eſſe, ut calefiunt, madefiunt, tepefiunt: uerumtamen quas iam dixi unitatis perſonas qui nolunt, & certe multi nolunt à communi accentuum ratione diſcedere, ij quando re uera nobis deeſt ueterum auctoritas iudicio etiam uti ſuo poſſunt. Præterea tamen, alijs adhuc modis accidit, ut ſuperior accentuum ratio ſeruari non poſſit. Primum igitur bene præceptum eſt, uerba, quibus media ſyllaba, aut ultima detracta ſit, eodem eſſe accentu, quo erant integra, tametſi contingat breuis, cuiuſmodi fit in uocatiuis, Virgíli, Valéri, Turpíli, acuta ſecunda ab ultima, præter eam, quæ tradita ante à nobis ratio eſt. Item noſtrâs, ueſtrâs, cuiâs, Arpinâs, Aquinâs, Ferentinâs, quæ ſunt innumera huius formæ nomina, antiquiſsimum pronunciandi morem ſeruantia. Erant enim antea noſtrâtis, ueſtrâtis, cuiâtis, Arpinâtis, Aquinâtis, Ferentinâtis, quorum nominum longa ſyllaba quæ antecedit ultimam,

mam, ſequente breui, erat circunflexa. Præpoſitiones graui ſunt accentu in poſtremis, idq; ſiue unas habeant ſyllabas, ſiue plures, ut Pèr terram; dè rebus noſtris: intrà parietes: ſuis uerò caſibus poſtpoſitæ, acutè pronunciari debent, ut rebus dé noſtris

Tranſtra pér & remos: & ;

His magnum Alcidem contrá ſtetit.

Eadem ratió eſt, ſi quoquo modo tranſeant in aduerbij naturam, ut;

Anté leues ergo paſcentur in æthere cerui.

Circúm uerò præpoſitio, acutum (ut à nomine differant) accentum habebit in ſecunda. Græca etiam, & peregrina ſuis accentibus pronuncianda ſunt, id quod ego ſeruari in ijs dumtaxat uelim, quæ declinationem, caſus, ſcripturam, literasq; omnes de ſuo ſermone ad nos afferunt, ut Amarillís, Dorís, atq; id genus alia, quæ tametſi latine declinari poſsint, Amarillidis, Amarillidi, Amarillidem, noſtri tamen poetæ ſunt potius græcum declinandi morem ſequuti. Nullius igitur, ne literæ quidem mutatio quum ſit, nō multum uererer equidem hæc nomina græcis quoq; accentibus proferre. Sunt quædam græca, ſemel aut raro à noſtris uſitata, nec publicā in loquendi conſuetudinem recepta, ut illud Sotêra, Ciceronis in Verrem, (ſi à noſtra ratione differret) ut alia huiuſmodi, non audeat quis à græca ratione diſcedere. Sunt alia uſu quotidiano detrita, ſemperque in ore omnium, quæ & obliquos habent caſus, ad latinitatis normam declinatos, quorum nominatiuus non idem omnino potuit eſſe, qui græcorum, ut Sócrates, Diógenes, Demóſthenes, in quibus noſtro more tertiam à poſtrema acutam dicere magis placet mihi, quam ſecundam. Qui aliter ſentit, illi equidem nō repugno. Me certe illud præterea mouet, quod cæteros caſus à nominatiuo, iſta uarietate accentus nolim eſſe diſcordes. Quocirca (ut mea etiam de conſuetudine dicā) grāmáticam, rhetóricam, dialécticam dicere ſoleo potius quā grāmaticên, rhetoricên, dialecticêm, qn̄ hæc etiā græcis accentibus pronunciari uolunt, in quibus certè neceſſe eſt à reliqua declinatione, accentibusq; differat ablatiuus: & laudo eos, qui oīa, quoad eius fieri poſsit, latinè dicere conātur, quemadmodū noſtris in uerbis grę ci plus etiā, quam deceat, oēm latinitatis rationem fugiunt. Illa porrò tota ſunt græca Sapphûs, Didûs, Calypſûs, quibus neceſſe eſt ſæpius utamur. Conijcias tamen ex eo licet, qualia habenda ſint, quod Virgilius diligentiſsime utrunq; uitauit, neue inſolenter Didonis, neue dure Didûs unquā pronunciaret, unaq; ſe in forma nominatiui

contiauit.

continuit. Deniq; peregrinitatem cenſeo, quantum fieri poteſt, eſſe fugiendam. Rectè etiam ſcrutantur, ut, ſi uerbum poſtrema ſyllaba ſit graui, & in fine ſententiæ ponatur, eadem grauis mutetur in acutam, ut, Moritur in Gallia Quintius, quùm adeſſet Næuius, & moritur repentinò. Cõtrà enim quã in circumflexa, fit hoc in ultima graui, ſeu pluribus uerbum conſtet ſyllabis, ſeu tantum una. Aduerbia, quæ ſunt ab adiectiuis nominibus rectè, planè, caſtè, purè, doctè, plenè, exceptis bénè, & mále, ſyllabam deſinunt in grauem. Hoc.n. præter amiſſas diphthongos diſcernenda hæc à nominibus fuerunt: cuius differentiæ cauſa illa etiam ſunt mutata, certò, falsò, liquidò, perpetuò, ut illa quoq; à pronominibus, eò, illò, aliquò, aliquà, aliâ, eà. Illa præterea

-Miſerûm ſeptena quotannis: &;

Picus equûm domitor: &;

Troas relliquias Danaûm,

Et amicûm, & aduerſariûm in Terentio, & tuorum liberûm in Cicerone, poſtrema ſemper ſyllaba dicuntur circumflexa, nõ minus, quã ſuperiora, Arpinâs, Aquinâs, Larinâs, Rauennâs. Iudæorum nomina, uel Syrorum, uel Chaldæorum, aliorumue gentium, niſi quæ latine declinantur, nos quemadmodum Græci faciunt, poſtrema graui ſyllaba pronunciamus, ut Aſſùr, Babèl, Labàn, Raphaèl, Pharès, quæ tamen in fine ſententiæ reperta, eadem ſyllaba acuta, ut latinis de uerbis aliquot iam dixi, omnia proferenda ſunt. Atq; hæc ita ſint hactenus tradita à nobis, quemadmodum accepimus: quæ ſiquis non probet, is cogitet, me doctis hominibus, qui ante mille annos fuerunt, minime repugnare debuiſſe. Nam, quod afferunt Quintiliani locũ, negantis latinam uocem acuto, aut circumflexo tono claudi, & barbare nos loqui exiſtimant, qui cõtra hominis doctiſsimi, eiuſdemq; auctoris grauiſsimi ſententiam etſi non ſemper, aliquo tamen in genere uerborum facere uideamur, ego primum de noſtra barbarie, quando (ſi dijs placet) eo etiam nomine accuſamur, tum de Quintiliano ad poſtremum reſpondebo. Barbarè nos loqui, aut uerba quædam uitioſè pronunciare dicimur. Ego uero nihil habeo in his libris, ne exiſtimationem quidem ingenij, uel doctrinæ, quod latinitati anteponam. Huic perdiſcendæ diu operam nauaui, quantã homines doctiſsimi tota ex Italia, aut laudare, aut certe non multũ reprehendere potuerunt. Hanc pro uiribus adiuui ſemper, hanc de barbarorum falſa ſentẽtia, & indoctorum criminationibus uindicare ſum conatus. Itaq; ſcire omnes homines uolo, ſiquid afferatur noui, quo

Longior diſputatio de accẽtu in ſyllabis poſtremis, & loci duo Quintiliani male à quibuſdã accepti.

Auctoris ſtudium Latinitatis adiuuãdæ.

E barbariæ

barbariæ partem aliquam tollere de latinitate poſsim, id me, uel à mediocriter eruditis, libentiſsime eſſe accepturum. Nunc uero non eſt, quod metuat quiſquã, ne ipſi barbarè, aut præter morem antiquitatis iſthæc dicere uideamur. Sunt.n.ex his multa, de quibus nemo dubitet, ſi illos, una tantum naturalis eſt uia pronunciandi. Nã genitiuorum illud genus, quod ſupra oſtẽdi, non poetis modo, ſed oratoribus quoq; uſitatum, miſerûm, equûm, danaûm, amicûm, aduerſariûm, liberûm, ſemper olim ex neceſsitate naturę noſtri maiores accentu in poſtremis circumflexo dixerunt. Qui.n.aliter dicere licuiſſet? Nam ſiue κατὰ συγκοπὴν ſyllabę à poſtremis proximæ his detractæ ſint, ſiue (quod magis placet eruditis) ex uſu græcorũ apud nos quoq; hæc (ut illorum uerbo utar) συνείρηται, ipſis in poſtremis circumflexus eſſe accẽtus debuit, ut in illis, unde noſtra hæc ratio nata eſt, μουσῶν, ἀρετῶν, θορῶν, ἡμερῶν, pro μουσάων, ἀρετάων, θοράων, ἡμεράων. Noſtri.n.genitiui nõ diſsimiles eſſe potuerunt, miſeróum, equóum, danaóum, quorum ſyllabæ poſtremæ uel quartam de liquidis acceperunt, ut miſerôrum, equôrum, danaôrum, uel duas inſtar gręcorum genitiui in unam ſyllabas coegerunt, ut miſerûm, equûm, Danaûm. Innumerabilia ſunt huiuſmodi, quorum antiqui extremas inflectere, non opinione, ſed ipſa natura cogebantur. Quamobrem res noua in ſermonem latinum minime ab ijs introducta eſt, qui ſyllabis poſtremis accentum dederunt. Quod ſi non συνειρημένα hæc eſſe uelis, & συγκοπὴν magis habere contendas, nihil equidem laboro. Vtrunq; enim efficit, quod nobis literatiſsimi homines tradidere. Sint igitur, quos ante iam dixi, nominandi caſus, noſtrâs, ueſtrâs, Arpinâs, Larinâs, horum nemo locum accentus mutare audebit quem poſtulat natura. Nec ignorat quiſquam, noſtrâtis, ueſtrâtis, Arpinâtis, Larinâtis, (ut quondam dicebantur) proximas inflectere à poſtremis natura longas, quum ſequantur breues. Illam uerò quã dixi, integram fuiſſe quondam in rectis uocem, & cuiâtis, ueſtrâtiſque dictum eſſe, de Plauti Penulo cognoſcere licebit, ut;

Qui ſit, quoiâtis, & unde ſit.

His correptis duarum detractione literarum, accentus manere debuit idem omnino, qui prius erat integris. Non igitur à nobis inuentam, ſed antiquiſsimam, & à maioribus in uſu habitam, ipſaq; à natura profectam neceſſe eſt eam rationem confiteri qua in uerborum generibus quibuſdam ſyllabas poſtremas uel acuta, uel circumflexa uoce, uel graui dicimus. Mitto illa dicere, quæ doctiſsimi quondam illo in Virgilij loco, alijſque eiuſmodi cenſuerunt,

Omnis

Omnis homo ſumât Neptunia Troia.

Quod ſi tamen parui hæc momenti exiſtimet quiſquam, nec ualde magnos eſſe auctores, unde prolata ſint, ego primum naturæ malo hæc eſſe, quam auctoritatis, deinde, ſi auctoritate niti uelim, ea eſt eiuſmodi, uel antiquorum, uel recentium doctiſsimorum hominum, quam diſputando, non ridendo refelli conueniat, neque ad me reprehenſio hæc pertinere debeat, donec probatum ſit, illis cre di non oportere: nec tam arrogans eſſe quiſquam debet, ut contra Priſciani, minimè indocti homines, ſententiam ſibi non ex ratione ſaltem exiſtimet eſſe pugnandum. Hic enim (ut alios taceam, magnos auctores) totis in duo de uiginti, & alijs etiam de grammatica libris admonet ſæpiſsimè ijs de uerbis, quæ accentum habent in poſtremis. Quamobrem cogitent iſti, quota quæque pars mea eſſe debeat huiuſce reprehenſionis. Tota enim hac de re uiderint potius literati omnes. Priſciani uero librorum nulla pars uitio carebit, ſi nunquam eſſe debet accentus in fine ſyllabarum. Hic enim ut cætera non dicam, præpoſitiones etiam, quoties in aduerbia mutantur, acutas ait eſſe oportere, qua in re, & Marium Victorinum & antiquos omnes habuit auctores. Et cum cæteris igitur magnam, & cum illo ſatis accuratam diſputationem eſſe oportebat. Aiunt mihi, de eiuſdem forma nomina, Priuernâs, Caſinâs, Rauennâs, & genitiuis, talentûm, ſeſtertiûm, nihil ſe eſſe à Quintiliano admonitos inflexa uoce in poſtremis dici conuenire. Quaſi uerò is auctor ſibi omnia ſubtiliſsimè tractanda ſuſceperit, ut nihil eſſe iudicare debeamus, quod ille prætermiſit. Quiſquamne ſanus id pro argumento ſibi eſſe uelit? Ne ſui quidem ille arbitrabatur eſſe inſtituti, omnia quæ ad grammaticos pertinerent. Itaque extitere circa illius tempora, aut non multo poſt literatiſsimi homines, qui ex P. Nigidij, & antiquorum omnium, & ipſius Quintiliani libris, & ex natura ſermonis latini, & rectiſsimo uſu Romanorum, quibus proximi ſaltem fuere, his de rebus non generalia quædam, ut oratores, & pauca, ſed minutiſsima etiam præcepta ſcripſerunt. Quamobrem, ſi pugnantia inter ſe uis eſſe, quæ ab his, & ab illo ſunt hac de re mandata literis, uide ne quas in difficultates contentionum impellas auctorem tuum, quas ipſe cupiat uitare. Ego enim ſic puto, nihil inuenturum eſſe Quintilianum, cur uel repugnandum credat, uel qui poſtea ſcripſerunt non doctorum hominum loco ponat. Quando autem is uidetur graui de accentu liberum nobis eo loco reliquiſſe, illud

ſciamus, hanc uocem eſſe debere eiuſmodi, ut neq; multum, neq; nihil in uerborum fine audiatur. Nam, quum dicimus δεξιὸς, περιστερὰ, aut latine liquidò, iuſtiùs, non putabimus acutam uocem à primis ad poſtremas eſſe ſyllabas transferendam, ſed eam pene interire, & æque poſtremas, ac duas, quæ antecedunt, ideſt (ut græci docti homines quidam ſcripſere) καθ' ὁμαλισμὸν, dici oportere. Quamobrē, etſi in eo peccetur hodie aliquid à parum eruditis, non tamen eſt, quod uocis inſolentiam putemus eſſe pertimeſcendam, ſi rationem hanc ſequamur. Sed nunc redeo iam ad Quintiliani locum. Is (ut arbitror) eſt huiuſmodi. Eſt autem in omni uoce utiq; acuta, ſed nunquam plus una, nec ultima unquam, ideoq; in diſſyllabis prior. Præterea nunquam in eadem, flexa & acuta, quia eadem flexa, ex acuta: utiq; neutra claudet latinam uocem. Non uidetur hic eſſe ſententia quam iſti interpretantur, diſceſſumque ab ea quod non ſatis animaduertunt, noſtri de conſuetudine ſermonis comparatè ad græci ſermonis uſum hoc loco diſputari. Quid enim ab eo ſcriptum eſt? Neutra claudet uocem latinam. Confirmo doctè, ſapienter, & uerè ſcriptum eſſe, nihil ex his tamen reprehenſoris ullius contra nos adiuuari ſententiam. Quid eſt enim, quod ait; Neutra claudet uocem latinam? Si nulla prorſus dubitatio erat, unde illi in mētem uenit, hoc ut admoneret? Nempe auctor grauiſsimus non hæc leuia cogitauit: non uerba quædam (ut his uidetur) à paucis quibuſdam diſcernere uoluit, ſed, utriuſq; linguæ doctiſsimus, generalem ſermonis latini pronunciandi morem diſtinxit à græcorum. Omnes.n. ſciunt, non eandem noſtri, & illorum ſermonis eſſe naturam, ut ſimiliter, atq; illi, ſyllabis poſtremis accentum nos dare poſsimus. Illi, duo uerborum genera faciunt, unum βαρύτονον alterum quod ὀξύτονον dixerunt. Vtrum hæc illis, an illa his plura ſint, non facile quis reſpondere poſſet. Sunt autem huiuſmodi, λαὸς, ἀριστερὸς, καλαιὸς, βωμὸς, κραταιὸς, οὐρανὸς, παλαιὸς, γεραιὸς, ἀχαιὸς, & infinita nomina, uerba, participia, pronomina, cæteraq; partes orationis, quæ non differentiæ cauſa dicuntur, ut pauciſsima de noſtris quædam, ſed ex natura uel circumflexam uocem, uel acutam, uel grauem acceperunt. Hac tanta de infinitate uerborum, cuius omnino latinitas eſt expers, & uniuerſo diſcrimine latini ſermonis, quo differt à græco, illi tacendum non fuit, quū præſertim hac ratione excepta ſimilia græcis omnia ſequuti ſimus, ut mirandum fuerit, nos hac una in re, ab illis tam longo interuallo differre. Itaq; rem tantam, quatuor uerbis explicauit: Neutra claudet uocem latinam. Hæc, tota de linguæ noſtræ

Quintiliani locus prior.

naturæ

natura quum diceret, non tamen is impedimento fuit, quin paucisſima, diſcernendi gratia, aliter ac cæterorum omnium poſtulat natura, dicamus. Quid mirum igitur, ſi uel hoc ſumus græcos auctores imitati, quando genus totum, uniuerſamq; pronunciandi legem (ut iam dixi, Quintilianusq; ſignificauit) non licuit imitari? Neq; uero mihi tantum ſumo, nec tantum audere uelim cæteros, ut Quintilianum à Donato, Sergio, Priſciano, Seruio, Diomede, & cæteris uſq; ad memoriam noſtram ſequutis non ualde intellectum eſſe putem. Ex his.n.omnibus, alij nullo uerbo noſtram ſententiam lædunt, alij multis uerbis adiuuant. Atq;, ut non paucisſimis de uerbis quibuſdam, ſed toto (ut iam dixi) de genere uerborum, & uniuerſa de lingua intelligere Quintilianum eo loco ſcires, illud quoq; argumentum eſt, quod, antequam eo ueniret, ita pauca diſtinxit ab uniuerſis: Cæterum inquit, iam ſcio quoſdã eruditos, nonnullos ẽt grammaticos, ſic docere, ac loqui, ut propter quædã uocũ diſcrimina, uerbum interim acuto ſono finiant, & quę ſequuntur. Nondum uidero, quid hoc loco ſentiat. Nunc.n. ſatis mihi eſt, alio loco illum agere de quibuſdam, alio de uniuerſis. Sed quando etiam contra nos eſſe arbitrantur, quæ ſunt huius loci, quum de hoc paucis reſpondero tum perſequar cætera, quæ mei uidebuntur eſſe inſtituti. Honeſtã igitur uideo mentionem fieri non modo grãmaticorum, ſed eruditorũ hominum, qui, ut uerba quædam diſtinguerent à uerbis, acuto eo ſono terminarent. Primum animaduertis illos ab eo neq; reprehenſos, & honorificentisſime eſſe nominatos, deinde nõ à me, uel à Manutijs, ſed ipſis à ueteribus excogitatum, ut acuto ſono quaſdam ſyllabas finirent. Quod ſi hoc loco uel unum poſſent uerbum oſtendere, quo illi uideantur à Quintiliano eſſe reprehẽſi, neſcio tamen, utrũ hũc, an illos mihi ſequendos putarem. Non.n. huius uel ingenium, uel doctrina, uel dicendi artificiũ, aliquid affert, quo putemus eũ uerio ra quã illos poſſe tradere, quanquã ſubrudes eſſent literarum. Nã ueritas & incorrupta pronunciatio uerborum, non reconditæ ſcientiæ eſt cuiuſdam, ſed illius, quæ olim fuit, conſuetudinis Romanorum. Quod ſi mihi uel M. Tullium opponas, uel quẽlibet à ſummis uiris, ex eo non tam præcepta arripiam doctrinæ, quam teſtimonium antiquitatis, quod maiorẽ ſcientiam non requirit. Quando ſum igitur admonitus, illa ætate, quùm latinitas magnam adhuc partem floreret, ſic pronunciatũ eſſe ab eruditis, ut nos uolumus, & literatisſimi oẽs dixerunt, nullo id ingenio, uel argumentis labefactare quiſquã id poteſt. Mihi.n. in hoc recta conſuetudo, non ſcientia, quærenda

eſt, quorum tamen is auctor neutrum prætermiſit. Quoniam uero illos ab eo uolunt eſſe reprehenſos, uide oro te quanta reprehenſio illa ſit: Mihi (inquit) uidetur conditionem mutare, quod his locis uerba coniungimus. Nam quum dico circum littora, tanquā unum enuncio diſsimulata diſtinctione. Hic, ut cætera non dicam, prima duo uerba, quæ ſunt, MIHI VIDETVR, utrum refutantis eſſe putamus alienam ſententiam, an de ſua potius cōſtituere nequeuntis. Sed putidum eſt huic loco immorari. Itaque poſtremum ſit illud, cum de accentibus non ſemper ita loqui, ut ex arte, grammatici fecerunt. Nam quod Atreus, etiam Tereus, Nereus, acuta priore ſyllaba à præceptoribus illius dicerentur, quo ſequens grauis eſſet, nego ſecundas horum nominum ſyllabas, quum latine dicuntur, hoc pacto graues fieri. Quod ſi Cámillus, & Céthegus ita pronuncies, quēadmodum græci, acuto ſono in primis, κάμιλλος, κέθηγος, non aſſentior, illic eſſe grauem pro acuta, hic uero grauem pro inflexa. Quod etiam is duodecimo libro ſcripſit in extremo, ultimas noſtræ linguę ſyllabas, uel in grauem, uel duas in graues cadere, niſi falſa ſunt, quę ſupra à me ſunt, atq; à cæteris de accentuum locis tradita, non ex grammaticorum ſubtili ratione, & proba, ſed communi ex loquendi more accepit. Aelius etiam Donatus in ijs commentarijs, quos in Terentium fecit, ubi dictum à poeta eſt in Phormione,

Aelij Donati in Terentium locus.

Regem me eſſe oportuit,

contra ſermonis, aut uerbi naturam, Mé pronomen eo loci, acui præcipit. Dare etiam neceſſe eſt aliquid conſuetudini, uel ſæculis, uel auctoritati doctiſsimorum hominum. Quis.n. hodie P. Nigidio uel parere, uel repugnare audeat, qui Valeri, & ſimiles huiuſmodi caſus nominum, ſi uocatiui ſint, primam ſyllabam, ſin genitiui, ſecundam ſummo tono eſſe præcepit? Hæreas hic profecto neceſſe eſt, & erubeſcas, Váleri prima acuta dicere, uel tanti uiri pertimeſcas auctoritati repugnare. Deniq; res tota ſubtilis eſt, & magnæ ſcrupuloſitatis, & multarum plena difficultatum, quod à principio ſtatim Quintilianus admonuit. Quod ſi non aliter pronunciandum eſſet, quam iſti arbitrantur, & ſyllabarum tempora, uel quas à principio attigi præceptiunculæ ad hoc ſatis forent, nihil ita ut accentuum leges pueri omnes cognitum haberent, & falsò Quintilianus rem difficilem eſſe credidiſſet. Res enim ita ſe habet, ut uerba tum alia quædam innumera, tum quæ aduerbia dicuntur, à nominibus adiectiuis, iuſtè, rectè, piè, uerò, certò, ſubitò, graui accentu pronunciari debeant. Neſcio an hoc etiam iſti negare audeant. Falſo enim uole-

bant

bant Quintilianum uideri de acuto, & circumflexo nobis repugnare. Ac priore quidem in exemplo illius quod ante recitaui, nullam de graui accentu mentionẽ uidemus eſſe factam, nec alius quiſquam eſt, cuius ex auctoritate id negent. Itaq; nos grauem, nemine adhuc repugnante, in his, quibus dixi, locis retinendum putabimus. Age nunc illud mihi reſpondeant, quod nos ante docuimus, uideturne ſibi grauem debere in acutum uerti in fine ſententiarum? Hoc enim apud nos de auctoritate, ac ſentẽtia dictum eſt literatorum omniũ. & recta conſuetudine ſermonis Græci. Nec eſt, quod mihi ſolam afferant opinionem ſcientiæ, quam de ſe haberi uolunt, & obſtinationem uoluntatis. Hoc ſumus ad noſtræ linguæ naturam, de Græcorum fontibus imitati. Noſti enim tu, Marcelle frater, illum Græcorum pronunciandi morem, qui maxime eſt à natura:

Ἀνθ᾽ ὧν ἐγὼ πρὸς τὸν θεὸν
προσευξόμενος ἥκω δικαίως ἐνθάδε

Poſtremum prioris uerſiculi uerbum, ultima graui ſyllaba dictum eſt, alijs utrinque uerbis circumiacentibus. Contra uero, quum poſtrema in ſententia locatur, ut eodem Ariſtophanes loco:

καὶ τοῦτ᾽ ἀναθήσων ἔρχομαι πρὸς τὸν θεόν.

Atq; hæc quidem exempli uim, non auctoritatis habere uolo. Nam, & ſcriptura corrumpi poteſt, quæ tamen eſt hic rectiſsima, & res eſt huiuſmodi, ut per naturam, quæ graui accentu medijs in periodis, membris, aut inciſis dicuntur, acute proferri debeant in fine ſententiarum: quod qui aurium ſenſu non diſcernit, is profecto nullos; habere ſenſus dignoſcitur. Sed uideo, qui ſic diſputant, ſolis grammaticorum præceptionibus, ijsq; nullo modo adhuc intellectis, rem totam eſſe terminandam arbitrantur, & ab illis explicare ſe nondum poſſunt. Sed ſciant, & ratione ſumma grauari, quæ iam dixi, omnia, & rurſus Græcorum ritu, mutato loco eadem fieri acuta. Dicant.n. mihi, ecquod ipſi norunt (quod hanc ad rationem attinet) inter nos, & Græcos eſſe diſcrimen? Equidem, niſi utranq; linguam ignoro, nihil hic uideo noſtros ab illis imitatos non fuiſſe. Vnum illud intereſt, in quo tamen locus non erat imitationi, quod noſtro in ſermone uerba non ſunt, ut Quintilianus ait, quæ poſtremis in ſyllabis inflexũ aut acutũ habeant à natura. Cæterum, quæ inſtituti eſſe potuerũt, maxime ad naturã uocis accomodari, ea ſi diligentius intueri uelint ad noſtræ linguæ uſum tranſlata eſſe omnia cognoſcẽt. Quod ſi grauẽ à poſtremis auferre ſyllabis nõ poſſunt, nec inueniũt,

quorum ſe auctoritate ac ſententia fretos eſſe dicant, ſi auferre uelint, eumq; in acutum neceſſario mutari uident, quid eſt quod acuta ſaltem de uoce poſtrema, dubitari poſsit? Sed ſcilicet grauari deprimiq; poſtremas, Quintiliano etiam auctore fatebuntur, eaſdem uerò acutas fieri, ex illius auctoritate non putabunt eſſe concedendum. Hic ego non modo largiar his multum, ſed proſpiciam, ne ambiguo ſe ipſos ludant. Id.n.concedunt, quod ſi intelligerent, maxime negarēt. Nā graue illud eſſe arbitrātur, quod in grauē, duasue in graues Romanę linguę uerba exire (quod ignorabat nemo) Quintilianus admonuit. Ita in grauem dixit ut Mûſa, Dèas, nàutæ, lèuis: in graues, ut fèrreus, pìetas, nìmia, pèrfidos. Verum non hac de grauitate agitur, quæ nullam in uoce propriam habet notam, omnisq; artificij eſt expers. Ex arte enim dum loquimur, id eſſe graue dicimus, quod græci βαρεῖαι dixerunt, quæ ambiguitas apud illos etiā uidetur eſſe, quod aliud eſt βαρύτονον, aliud βαρεῖαν eſſe in poſtremis. Deniquè tamen cauſa omnino fuit nulla, cur eos in errorem

Alter Quintiliani locus. Quintiliani locus aut ſententia induceret. Duos enim, auctoris diligentiſsimi locos attulerunt, quorum &, ſi in priore ſit quod intelligere nequiuerunt non deerat in altero tamen unde illius hac de re ſententiam cognoſcere potuiſſent. Quid enim agit eo loco duodecimi libri, is quo auctore in ſe ipſos abutuntur? Nempe id (in quo non ſtudium Romanæ gloriæ tantum, ſed iudicium quoque multi requiſunt illius) ut ſuauitatem, & copiam ſermonis Attici, latino ſermoni anteponat. Illum igitur putat fieri (inter multa) ſonorum, ideſt προσῳδιῶν uarietate, noſtro ſuauiorem. Hic mihi reſponde, quid is noſtro in ſermone deſiderat? profectò accentuum quæ apud græcos eſt uarietatem. Quanta apud illos ea uarietas eſt? infinita. Requirit igitur, non quam iſti arbitrantur, paucis in uerbis poſitam, ſed quam ego dixi infinitam. Sed habet omnino tota ratio hæc, non magna quidem & recondita, uerum ſubtilia & multa: quæ omnia quibus perfectiſsimè tota ex noſtra & ex Græcorum antiquitate, ac ſcientia, cognita non ſunt, ijs nullū ius permiſſum eſt de accentibus, latinitate, uel prorſus aliqua de parte Grammaticæ, quamuis minima diſputandi. Quare ſic à principio mihi ſtatuendum erat, ut hos eſſe audiendos non putarem. Itaque redeo ad quæ propoſui. Illa igitur hîc, illîc, iſtîc, ſeu aduerbia, ſeu pronomina, cum cæteris, huiuſmodi in uocem deſinentibus, illûc, illâc, iſtâc, ſyllabam habent ultimam circumflexam. Pronomen qui, uel quæ, uel quod, aut

referendi

referendi eſt, aut interrogandi, aut infinitatis, quemadmodum alia quædam ſeu nomina, ut qualis, & quantus, ſeu aduerbia, ut unde & ubi. Itaque infinitatis uel interrogationis Qui poſitum pro Quis circumflexa ſyllaba dicendum erit, relationis uerò graui, caſus reliqui, illa qua à principio dictum eſt, communi accentuum lege pronunciantur: ad referendum poſita, ſono vocis graui dicere oportebit, ſed redeo ad quæ propoſui aduerbia uel nomina. Vt igitur morem ſequar meum, nihilque ex ijs improbem, quę tum alij, tum Priſcianus præcepit, mihi quidem illa magis ratio probatur, quam is auctor decimoquinto (ut opinor) libro tradidit. Nam de accentibus quorundam aduerbiorum eo in loco diſputans, huic aduerbio ubi, quum interrogandi eſt, acutum priore in ſyllaba accentum dedit, ut;

ùbi illic eſt ſcelus?

Quoties autem referendi, grauem, ut;

Sæuus ùbi Aeacide telo iacet Hector, ùbi ingens
Sarpedon, ùbi tot Simois correpta ſub undis.

Nec dubium eſt quin eodem accentu pronunciandum ſit quoties infinitè ponitur, ut; Neſcio ùbi ſocios quæram. Hanc ipſam legem ſequuntur, quò, quà, unde, & ſiqua ſunt alia ternis huiuſmodi ſignificationibus prædita, in quibus ſunt qualis, & quantus, & qui, & ſimilia. Quamobrem, cur hæc non eundem omnino cum illis habeant pronunciandi morem, uix poſſet aliquis inuenire. quod ſi neſcius non ſim aliter quiddam in libris ueterum ac doctorum hominum inueniri, libet ſuſpicari tamen ſecus aliquid fortaſſe, atque illi ſcripſere hic nobis eſſe traditum à librarijs. Si enim aduerbia, quum à referendo, aut infinitate, ad interrogandum tranſeunt mutant accentum, & à graui tranſeunt in acutum, ut Aldus quoque videtur ſentire, cur non eadem ſit nominum lex, uel pronominum, quum præſertim acuta uox interrogationibus maxime à natura conueniat? Sunt enim hæc non tam artificij cuiuſdam, uel auctoritatis, quam vocis ipſius, & aurium iudicii, ac naturæ. Coniunctiones etiam, quas uocant præpoſitiuas, ſi poſtponantur, mutant accentum. Suo enim loco poſitas idem Priſcianus ait eſſe graues: item Sic, ſi obteſtandi eſt, grauari, ut;

Sìc tibi quum fluctus ſubterlabere Sicanos:

Sin eſt ſimilitudinis, circumflecti, ut;

Sîc oculos, sîc ille manus, sîc ora ferebat.

Hic non quæram illud ſcrupuloſius, pronomina, præpoſitiones, aut alia

alia uerborum genera extra orationem poſita, quo ſono uocis pronunciari debeant. Quid enim obeſt latinitati, ſi grammaticam diſcentes, nuda uerba, quemadmodum in compoſita oratione, proferant? In uerbis autem coniunctis, unum eſſe debere in tertiis à poſtrema ſyllabis accentum, ſimiliter atque in ſimplicibus, nemo ignorat, ut in his, déinde, exinde, périnde, prǿinde ſúbinde, interea loci, ſíquando, alíquando, néquando, ábúſque, dumtaxat, quæque ſunt ab oratoribus quondam doctiſsimis notata, ſeu longa ſyllaba quæ antecedit ultimam, ſeu breui, propemodum, admodum, approbe, affabre, affatim, apprime, poſtubi, exaduerſum; nec uerbum quieſcendi, uel actitandi, quo accentu pronuncianda ſint quærendum puto, & ſi ſciam eſſe dubitatum à ueteribus. Nunc enim ita eſt omnis hæc ratio conſtituta, ut quieſco, neque ad ſyllabæ tempus, neque ad accentum, & ſonum uocis interſit quærere longane media an breui dicendum ſit. Etenim ut natura ignoretur acutam eſſe tamen eam ſyllabam neceſſe eſt, quum ſequatur longa poſtrema: ipſam uerò ſaltem duabus conſonantibus eſſe productam, non minimi faciendum erit. Nam ratio ea ſi contemnatur, alia etiam ad uerba huiuſmodi, quæ ſunt infinita, hæc dubitatio pertinebit. Itaque nos doctorum, & omnium hominum conſenſu quieſco, ſecunda non tertia quæ antecedit ultimam acuta pronunciamus; acuta uerò non circumflexa, quod ex illa diſputatione ueterum ac ſententia cognitum eſt poſitione tantum eſſe longam non natura, & quod poſtrema etiam (ut ante docuimus) neceſſario ſit longa, nec iam recipiunt aures, Quieſco, tertiam à poſtrema ſyllabam ſummo tono dici. Illud equidem cenſeo minimè negligendum, in quo ſunt omnia, ut natura an poſitione quęque ſyllaba producatur cognoſcere uelimus. Nam quod eoſdem ueteres de uerbo quod eſt Actito A. Gellius diſputauiſſe tradit, illamque apud eos rationem ualuiſſe, quod Ago unde id natum eſt breui priore ſyllaba dicatur, ſentio id quæri in uerbis omnibus oportere. Nam lectito eſt quidem à lego, cuius prior ſyllaba correpta eſt, ſed quum eiuſmodi à parte uerbi profectum ſit quæ producitur, hoc eſt à lectum, primam ſyllabam in uerbo lectitandi longam eſſe per naturam neceſſe eſt. Idem de Agendi & Actitandi uerbis iudicium ſit, idem de huiuſmodi formæ omnibus, unde, Actum, & infinita, prioribus in ſyllabis erunt circumflexa. [Latiſsimè patet hæc ratio, nec erit finem eius aliquem inuenire. Quamobrem caleſco, frigeſco, ſimi-

ſimiliaque multa non dubium erit utrum breuibus medijs pronunciari conueniat an longis. Etenim ſunt à perſona ſecunda, cales & friges, quam proximo ſuperiore libro eſſe longam, ne doceri quidem oportuiſſet. Itaque ex his nata circumflexè dicenda ſunt caleſcis, caleſcit, frigeſcis, frigéſcit, ſed à Quieſco, ſi eſt media breuis, fiet acuta quieſcis & quieſcit, rurſus in præterito circumflexa, quieuit, & in ſupino quietum, & in participio ſeu nomine quietus. Sed redeo unde ſum digreſſus. Ergo, ſi ad concludendum pertinet, habet in priore ſyllaba acutum: ſin pro Cauſa ponitur, circumflexum in ſecunda, ut; Neue funeris ergô leſſum habento. Nam diſcernendæ ſignificationis cauſa, aliâs, etiam flectit ultimam, & quædam non multa, & circum præpoſitio mutat ut iam dixi accentum. Iam illa, quæ ἐγκλιτικὰ nominantur, apud nos propriè ſunt que, ne, ue, & accentum à ſyllabis quibuſcunque antecedentibus, ad proximam à poſtrema trahũt, cumque his unum uerbum fiunt, ut;

-Claſsíque immittit habenas:

-Túne ſpolijs indute meorum: &;

Moliríue moras.

His tribus annumerant Cum præpoſitionem in his mécùm, técùm, ſécum, nóbíſcùm, uóbíſcùm, exceptis, quocùm, quicùm, & quibuſcùm, illud prius ut à nomine differat, poſteriora duo ne coniunctionem Quùm adiunctam habere uideantur. Præceperunt autem, hoc non quia eodem, ſed quia ſimili ſunt ſono ſecunda & ſeptima ex mutis. Interiectionibus certós non eſſe accentus non eſt cur hoc loco admonendi ſimus. Illa porrò, philoſophia, geographia, ſimphonia, & eiuſmodi cætera, quùm ſint hæ ſyllabæ à poſtremis ſecundæ breues, dubitari non poteſt, quibus eſſe debeant accentibus. Magna tamen uis eſt conſuetudinis apud multos, ut hic rationi uix relinquatur locus. Alia uerò quædam, artéria, comoédia, tragoédia, hiſtória, uel quia mutatio aliqua in his eſt facta literarum, uel quia numero quoque multitudinis declinata, caſus habent magis proprios latinitati latinam legem ſeruant. Vt dicam tamen quod ſentio in ijs quæ ſuprà dixi, Sapphûs, Didûs, Inûs, Calypsûs diſcedi non poteſt à ratione Græcorum, ſed quæ ad poſtremum ſunt hunc locum reſeruata, & illa præterea Amaryllis, Doris, Nereis in caſibus numeriſque omnibus, non reprehendam, ſiquis latinè etiam pronunciare uolet, ut à Græcis noſtra, Græcè tantum dicuntur.

De graui accentu non eſt cur multis diſputandum ſit. Eius enim loca ſunt quæ iam dixi, ut uel in fine differentiæ cauſa ponatur, uel etiam in proximis à poſtremis ſyllabis ut illis in Virgilij uerſibus apparuit,

Sæuus vbi Aeacidè telo iacet Hector

& quæ iam ante recitaui, uel in tertijs, quum antecedens ultimam eſt longa. Ita enim ueteres etiam grammatici quidam præceperunt, ut, ſi poſitione media ex tribus producatur, ea ſit acuta: quæ uerò prima eſt, (uti ſupra iam dixi) accentu graui notetur, ut Mètéllus, Màrcéllus. Non falsò quidem hoc ab illis dictum eſt. Si enim inſpicias, non tertia modo, ſed quarta & quinta ac deinceps, in quamuis magno numero unius uerbi ſyllabarum, ſpeciem uidebis ineſſe quandam, uel acuti, uel grauis. Qui autem ueri ſunt accentus, ij neque plures uno in uerbo poni ſolent, neque alias quam treis poſtrema ſyllabas tenere, ut M. etiam Tullius admonuerit ſonum uocis non eſſe à poſtrema ſyllaba citra tertiam. Ac de his denique infinitum eſſet colligere ſingula, & ſuper uacui laboris. Ipſi diſcentes, præceptoreſque, iudicio utantur. Mihi ſatis eſt genera monſtrare, ad quæ partes à me neceſſariò prætermiſſas referri oporteat. Præterea longum accentum ſi accentus hi nominari debeant, qui ſequuntur, eſſe dicant lineam dextrorſum, rectéque ductam, quæ ſupra uocalem poſita, ſyllabæ longitudinem demonſtret, ut ſimulacrum. Breuem, circuli partem inferiorem, qua breuem eſſe ſyllabam oſtendimus, ut muliebre, pariete, ariete, γφὶν, ſub incurnam lineam, ab ultima ſyllaba antecedentis uerbi, ad primam ſequentis inferius poſitam, quæ ad uerba duo in unum copulanda adhibetur, ut;

Neque enim ignari ſumus ante malorum &

Nanque erit ille mihi ſemper Deus

Υ'ποδιαςολὴν, dextram circuli partem, ad imum literæ appoſitam, qua ſyllaba antecedentis uerbi à conſequenti ſeparamus, ut;

Viridique in littore conſpicitur, ſus.

Adhibetur hæc, ne ſequens uerbum cum antecedenti iungatur, & Vrſus dicere videamur. Α'πόςροφος, eſt eadem pars circuli, quæ, ad ſummum uerbi poſita, oſtendit ultimam deeſſe uocalem, ut;

Pyrrhin' connubia ſeruas?

ψιλὴν, καὶ δασεῖαν ſuſtinet aſpirationis nota, uocalibus addita, uel detracta, ut homo, & omen, hara, & ara, hora, & ora.

Dictionem uerò nunc, tertiam grammaticæ partem, aggrediar, quę ipſius

ipſius ex naturæ ordine hunc ſibi locum uendicauit. Vt enim è copulatione literarum, ſyllabæ, ita è ſyllabis copulatis dictiones fiunt, & ſi quædam ſyllabæ dictionesque, unis tantum literis aut ſyllabis conſtantur. Atque, ut ſyllabis temporum, & accentus ratio, ſic dictionibus, tum etymologia, tum analogia, tum orthographia moderatur. Quando igitur de ſyllabis arbitror ſatis eſſe diſputatum, tribus his etiam de partibus quùm diſſeruero, ad orationem illiuſque partes mihi tranſcundum erit. Etymologiam igitur ad Trebatium Cicero Notationem nominauit. Proprium enim quod erat, quodque ipſe excogitauerat ex ἐτυμολογίας appellatione, ut Veriloquiũ diceret, uerbi extimeſcens nouitatem, reliquit. Quare ſequutus eſt illud potius, ut, ab Ariſtotele σύμβολον hanc dici quum uidiſſet, notationem ipſe nominaret, quia ſunt uerba, rerum notæ: duobus enim his uerbis utitur, quorum diſcrimen ſiquod eſſe volumus, arbitror à me in rhetoricis libris dictum eſſe. Nemo unquam de ſapientibus hanc partem neglexit, aut aliis negligendam putauit in ſermone diſcendo, obſcuris de rebus diſputando, legibus interpretandis. Quid rhetores, quid grammaticos dicam ueteres, quid philoſophos, quid oratores, quorum pleni libri ſunt, & orationes de interpretationibus uerborum? Vſus mehercule quotidiani ſermonis, hoc lumine ſublato interpretationis, conſtare nullus poteſt. Quapropter, etſi philoſophis quidem omnibus, maximè tamen Stoicis, acutiſsimis diſſerendi magiſtris, fuit inſtitutum, unde uerba ducta eſſent, ſuis in diſputationibus rectiſsimè explicare. Quanta hæc res eſſet, quantum etymologia afferret luminis adhibita, uel tenebrarum neglecta, M. Varro intelligens, ex libris quatuor & uiginti, quos de lingua latina fecit, ſex primos etymologiæ dedit. Habet enim hæc non minimum in definitionibus locum, eſtque ex multis, unum definiendi genus. Quota enim quæque res non ex ui ac proprietate aliqua nomen inuenit, qua explicata, aut omnino, aut magnam partem, quid ea ſit, intelligatur? Recte igitur, uel à grammaticis hæc tenenda ſunt, quæ non difficilia ſunt cuiquam, & omnium ſunt uel rerum, uel ſcientiarum. Ego Varronem hoc loco potiſsimùm ſequar. Itaque ſit ea diſtinctio in uerbis, ut primùm de locorum uocabulis dicatur, & ijs rebus, quæ ſunt in locis, tum de temporum, & quæ in temporibus fiunt, poſtremo de poetarum. Qui ſubtilem his de rebus doctrinam tradunt, cęlum ipſum & terram inquirunt, & quæ in cęlo, terraque ſunt, unde nomen accepérunt. Verum ego non, quæ ſunt locorum, omnia tractabo, immò & ex

Ordine à literis & à ſyllabis ad grãmaticæ tertiam partem accedit.

Dictioni, etymologia, analogia, orthographia moderatur.

Etymologia, unum ex generibus definitionum.

Quibus ex locis uocabula ſumantur et primũ à loco

& ex ijs, quæ alij tractauerunt, faciliora prætermittam. Pauca igitur ſumam, eáque perſtringam breuiter, non tam docendi, quam potius admonendi gratia, quid ex ueterum ac doctiſsimorum hominum uſu, inſtitutóue, in cæteris omnibus fieri uelim. Loca uel cęli ſunt, uel maris, uel terræ. Ac primum de Cęlo quærunt, utrum ex Aelij ſententia ab eo quod celatum ſit nominetur, an contrarium habeat nomen, quod ſit maximè apertum, an potius cœlandi uerbũ naſcatur à cęlo, an quod interdiu cęletur, an (quod Varroni placuit) cœlo cauum, cauo, chaos ipſum nomen dedit? Terram uero dictam uolunt quod pedibus teratur, idque Aelium ſcribere. Quare in Augurum libris Teram ſimplici quarta ſemiuocali ſcriptam inueniri. Hinc territorium, Trituram, Linteum, Tribulam, Terminum qui fuit olim Termen, hinc Iter denique aiunt eſſe nominatum, niſi ma lumus etiam ab Eundo. Humus eſt eadem quæ terra, & inde humare, & humatus, inhumatuſque. Agrum à uoce græca ideſt ἀγρῦ dictum uolunt. Viam, & Villam, à uehendo, propter eam, quæ dicta eſt, ſecundæ cũ tertia uocali germanitatem, & ius quodã alterius in alteram tranſeundi. fundum uero à fundendo. Iam Semitam non recte quis diſtinguat à uia, niſi ſciat, unde nomen ductum ſit, ut nec à monte collem, nec à ſylua lucum, nec à mari ſinum. Saltũ uerò quis nominatum à ſylua, & alendi uerbo crederet? Eadem ratione eſt Semen, qua Semita, quod non planè, id eſt, quod inde futurum eſt. Rem ſumus ualde ſubtilem ingreſsi. Vim ergo uino, uinũ uitibus, uites uineæ, uineam uinetis, nomen dediſſe non mirandum erit. Ab Ariditate Area dicta eſt, unde loca pura in urbibus Areæ dicuntur: hinc etiam Ara, niſi ſi utrunque ab Ardore malis eſſe dictum. Reſtibilis, & noualis agri, & aruorum, & pratorum, & ruris, & prædiorũ appellatiõ puerilis eſt notitiæ: quare & hæc, & alia quædam prætetibo. Infimi, & Humidi nomina, eiuſdem eſſe originis, non fere putaret quiſquam: item Humoris, Vliginoſi, Vdi, Vuidi, & Sudoris: hoc ſi uerum eſt, erit Sudor quaſi Hudor in aſpirationem conuerſa quinta ſemiuocali, ut mutari etiã hanc in illã dixi. Puteo nomẽ ſcire, & Puteolorũ, & eorum, qui Puticuli olim dicebantur, credo eſſe omnibus in prõptu: item Stillicidij, Lacus, Lacunæ, Stagni, Paludis, Fluuij, Amnis, & quæ animalia ſuis à uocibus nomen habuerunt, Vpupa, Cuculus, Coruus, Hirundo, Vlula, Bubo, Turtur, Pauo, Anſer, Columba, Rana: uerba etiam, Coaxare, Rudere, Balare, Pipire, Crocitare. Noctua uero, & Luſcinia, Galerita, Motacilla, Merula, Gracullus, Ficedula, Miliaria, manifeſtas habent nominum

num cauſas. In aquis uiuentium, nomina ſunt quædam à terreſtribus propter aliquã uim, aut ſimilitudinẽ, ut Anguilla, Turdus, Canis, Torpedo, Lupus. Hic prætereo, ſiqua uidentur communi ab uſu remotiora, & uenio ad quæ ſunt hominum, primumq; ad honores publicos. Cõſul ſine Controuerſia à Conſulendo: ſed, quùm uis huic uerbo ſit ſimplex, unde potiſsimum Conſul dicatur, nondũ ſanè conſtituunt. Prætor, quod iure & exercitu præiret. Cenſor à cẽſendo populo. Hoc enim illius arbitrio fiebat. Aediles, ædes ſacras priuataſque procurabant. Quęſtores duum generum fuerunt, uel à quærendo de maleficiis, uel pecuniis publicis conquirendis. Sic etiã Tribuni, uel militares, qui terni ad exercitum tribus ex tribubus mittebantur, uel plebei, qui tribus, plebemque defenderent. Dictatoris dicto omnes audientes erant, iſque à conſule dicebatur, eratq; magiſter populi, ut Magiſter equitum, cuius erat ſumma in equites, & in accenſos poteſtas. Sacerdotes dicti à ſacris. Pontifices, quod poſſent facere, uel quod pontem Sublicium primi fecerint, ſæpiuſque reſtituerint. Curiones dicti, qui ſacra in curijs facerent. Flamines, quod caput cinctum haberent filo: id Filamen, deinde, ſecunda extrita litera, Flamen dixerunt. Erant ij, Martiales, & Vulcanales à ſuorum nominibus deorum. Item Diales, à Ioue. Furinales, à Furina. Falacres, à Falacre. Salij, à Saltando, Luperci, quod in Lupercali ſacra facerent. Iam Fratres Aruales quis crederet à ferendo eſſe nominatos, quod ſacra facerent pro aruis, ut fruges ferrent? Sodales Titij, à titiis auibus, quas obſeruabant. Feciales, quod fidei publicę apud hoſtes Populi Romani præerant. Imperatoris nominandi, aut legati, aut exercitus, aut legionis, aperta ratio eſt. Cohortem à ſimilitudine cohortis pecudum eſſe dictam, Varro ſcripſit. Manipulis, Centuriis, Militibus, uel Haſtatis, uel Pilunis dubium non eſt, unde nomen fuit. Principes à principijs nominati, eo ſenſu, qui in Terentii Eunucho eſt. *Curiones.*

Tu hoſce inſtrue, hic ego ero poſt principia, inde oĩbus ſignũ dabo. Triarij, tertii ordinis extremi. Turma primùm, quaſi terna fuit, quod terni deni ex tribubus Tatienſium. Ramnenſium, & Lucerum legabantur. Decuriones, qui præerant ſingulis decuriis. Tubicen, Cornicen, Liticen, Tibicen, & quæ huius formæ ſunt, præceptorem non requirunt. Pauperem à paruo lare dictum uolunt, ut;

Pauperis, & tuguri congeſtum ceſpite culmen.

Inopem, cui etiam Ops, terraque deſit, ut;

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba eſt.

Hæc

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba eſt.
Cui fortunæ, contraria eſt Opulentia. Miſer, cui eſt minus. Diues, quaſi Diuus, Deuſque, ut is, cui nihil deeſt. Ideoque Diuites beati etiam dicuntur. Sunt Pecunioſi à pecore, unde nomina plura etiam naſcuntur. Mendicum Verrius Flaccus nominari exiſtimat à mente eius, quem feſellerit fortuna, uel quod precetur quenque, ut cibo, uitæ ſuæ medeatur. Repudium uero, quod ob rem pudendam fiat. Percontari, & Percontatio, idem à Conto deducit, alij à Cunctus, quod per cuncta eat, qui eo more interroget. Occandi, Occationiſque uocabulum à maioribus glebis occædendis natum putat, quanquam Ciceroni uiſum aiunt à ſatis frugibus occecandis factum eſſe. Venator à Ventis, quos feram, prædamq; perſequens, ſcrutatur. Pecus, dictum à Paſcendo, neſcio, an alii, quam Varroni, credidiſſem. Plura hinc facta nomina, Peculium, Pecunia, Pecunioſus, Peculari, Peculatus. Bos, Taurus, Ouis, Græcæ ſunt originis. Armentum, quod arandi cauſa paretur. Vituli appellatio dubia eſt, utrum à græco ἰταλὸς, an quaſi Vigitulus dicatur. Iuuencus eſt, qui iuuare iam incipiat. Capra, à carpendo, ut;

-Salices carpetis amaras.

Hircum, Hœdumque, ſunt à Sabinis, qui Fircum dicebant, ac Fœdum. Q. enim Terentius Scaurus, & M. Varro primam literam quæ erat in fędo in aſpirationem ſui & noſtri temporis ſcribunt, eſſe mutatam factumque eſſe ex fordeo & fariolo hordeum, & hariolum, ut contra in eam literam aſpiratio conuerſa eſt, & quam à Faliſcis habam Scaurus ait eſſe nominatam, hodie fabam dicimus, ut rurſum, ex Eelena, maiores noſtri Helenam fecerunt. Porcum idem Sabini, Poridum nominabant, niſi uocem eſſe Græcam uolumus. Arieti, Ares, unde Aruix, & Aruignus, & Verueci, inuerſi teſticuli nomen dedere. Canes, dicti, quod in uenatione, aut cuſtodia nocturna, ueluti ſignum canant. Leo, & Panthera, à Græcis nomen duxerunt. Tygris, à uelocitate fluminis Armeniæ. Vrſus, ab ipſius uoce animalis dicitur. Camelus, à Syria, & Syrorum lingua, nomen ſecum deportauit. Camelopardalis, à figura pardi, & cameli, Aper, à locorum aſperitate, quæ incolit, niſi malimus origine Græca eſſe nomen. Ceruis maiorum cornuum geſtatio uocabulum fecit, quaſi prima conſonans litera ex mutarum quinta conuerſa ſit, niſi ἀπ' αὐτῶν κερῶν malimus. Leporem Græci Siculi ueteres λέποριν dicebant, alij à pedum leuitate, ut Vulpes ab eorundem uolatu pedum

dum dixerunt. Hæc ſententia Varronis eſt, qui tamen in libris de Re ruſtica à Boetijs quondam ſic eſſe nominatum ſcribit. Nucem, arbores multæ ferunt; eam quæ princeps eſt, & à Ioue Iuglás cognominatur, à Nocte aiunt habere nomẽ, quod manibus atrorem ſucco inducat. Panis uerò unde appellatio ſit, quis dicere, niſi Varro, poſsit? Quis non ridiculum crederet, niſi à Varrone dictum eſſet? quod in panificio mulieres in Panos dei formam ſubactæ farinæ maſſam ducerent. Pultem quoque (niſi Græca ſit ratio) uidetur non auſurus fuiſſe dicere Varro nominatam à ſono, quem facit in feruentem aquam inſperſa, niſi Apollodori auctoritate fretus. Oleribus autem ſi olla nomen dedit, ut Varro idẽ ſcribit, non eſt cur ijs aſpirationẽ demus Trãſeo deniq; hic multa, uel quia minutiora, anguſtioraq;, & à conſuetudine quotidiani ſermonis aliquantũ remota, uel quia nimis aperta, uel quia propter antiquitatem, amiſſoſque ueterum libros, nimis eſſe obſcura uidebantur. Quid ergo dicat aliquis laborandũ in etymologia ſuades, quã te nec debere, nec poſſe totã docere confiteris? Primum, res omnes quantumuis neceſſariæ, modum habent quædam, ſuos habent quoſdam fines. Quid enim tantũ habent literæ, aut omnis hominum uita, quod nimietate etiam nocere non poſsit? Non tamẽ hoc mihi uerendũ hoc loco eſt, ſed quod non ſolam hanc mihi partem tractandam ſuſcepi, & maturãdum eſt ad maiora, quæ ſequuntur, & quæ attigi, quæque ſtatim his adiungam, ſatis putaui, ſi non ad docendum, at ſaltem ad exempla proponenda, uiamque plura quærentibus aperiendam ad infinita, quæ ſemper neceſſe eſt in libris deſiderentur. Nulla enim grammaticæ pars hac infinitior eſſe poteſt, ubi ſingulis penè de uerbis, iis potiſsimum quæ primigenia dicuntur, dicendũ eſſet, ut opera ad finẽ ducta uideretur. Nã quũ habeat analogia, quùm habeant res aliæ, quæ in grãmatica docẽtur, pauciora genera, ad quæ multæ ſpecies referantur, hæc, & orthographia fere ſpeciatim decurrit, ſimplicibuſq;, & indiuiduis plurimũ conſtat. Sed locorum de uerbis quùm ea dixerim, quæ locus hic & ratio tulit, uenio iam ad quæ dixi eſſe temporum. Ac tempus ipſum philoſophis definiendum relinquamus. Id Solis & Lunæ curſu deſtinguitur. Quare, ab eorum tenore temperato, tempus ac tempeſtiuum, & illius pars à dio dies appellatur. Meridiem quaſi Medidiem eſſe dictum omnes cõſentiunt. Mane, uel quod tũ dies manat, uel quod bonum ueteres manum dicebant. Solis occaſum, ut cæterorum quoque ſyderum, atq; hominum à cadẽdi uerbo dixerunt, ut;

Panis.

Quæ à tẽpore uocabula ducuntur.

Teſtor in occaſu ueſtro,

F Crepu-

Crepuſculũ à Crepero antiquorũ uerbo, quod tũ ſit inter noctẽ ac diẽ dubiũ tempus quoddam. Noctẽ (extra quã ſi Græcũ putemus nomen) à Nocẽdo, quod, niſi dies exoriretur, eſſet rebus humanis obſcura. Prima apparens ad occidentem ſtella, Heſperus dicta eſt, ut;

-Tibi deſerit heſperus Oetam.

aut ultimam in uocalem aſpiratione conuerſa, ut;

-Inuito proceſsit ueſper Olympo.

Appellant hanc noſtri Veſperuginem, ut in Plauti Amphitrione ſeruus; Nec veſperugo, nec Virgilia occidunt. Quæ ſtella ad principiũ diei, ſolis ortum præit, Iubar nominata eſt, quod iubata uideatur. eſt eadem Lucifer ſatis manifeſta uerbi origine, ut;

-Age lucifer almum.

Temporis quantũ eſt inter duo hæc lumina interpoſitũ, Nox intẽpeſta dicitur, quod nihil tum agatur, uel Concubia, quod tum homines cubent, uel, à cõmuni omnium ſilentio, Conticiniũ. Bruma, à dierum breuitate nomen accepit. Solſtitium, à ſtatu ſolis, quod eo die conſiſtat, nec ultra ad lõgiores dies, aut noctes procedat. æquinoctio, diei ac noctis parilitas, appellationẽ attulit, quod ita Virgilius deſcripſit;

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

Inter duas brumas, annus dicitur à circuitu duodecim menſium confecto, ut;

-Sua per ueſtigia uertitur annus.

Huius prima pars hiems, fortaſſe παρὰ τῶ ὕειν. quod maiores eo tempore ſint imbres, unde hiberna, hibernare, & hibernum tempus. Alijs ductum eſſe nomen Hiemis à uerbo Hiandi placuit. Ver, quod Iones βὶρ dixerunt, uel quod tum ex terra quæ naſcuntur uiuere incipiant. Deinde Aeſtas à caloris æſtu, unde Aeſtiuum tempus anni, & Aeſtiua. Poſtremo Autumnus ex eo nomen habuit, ut à quibuſdam exiſtimari Sex. Pompeius tradit, quia tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus. Menſium denominatio eſt à Luna, quæ Μήνη appellatur, unde Μὴνες & ex his menſtruum tempus, aut intermeſtre, ſemeſtre, bimeſtre, & trimeſtre, & ſiqua alia ſint in uſu. Luſtrum, quinquennale (ut Varro ait) ſpatium temporis à luendo hoc eſt à ſoluendo. à quo ſenſu non multum abeſt quod Virgilius ait;

Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa Luetis.

quod quinto quoque anno uectigalia tributaque ſoluerentur. Sæculum dixere ſpatium eſſe centum annorum, contra ſyllabę naturã à Senectute nominatũ, quod tempus id uideretur longiſsimum ſenectutis,

ctutis. Aeuũ, Aeuitas, Aetas, Aeuiternũ, & Aeternum eiuſdem rõnis uerba ſunt, ut alterũ ab altero naſcatur. De diebus hic loquar, primumq; de feſtis. Agonales, ab AGONE, duabus latinis uocibus in unam coeũtibus. Interrogabatur enim princeps ciuitatis, & aries princeps gregis immolabatur, quod in Faſtis ita deſcripſit Ouidius;

Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſa miniſter,
 Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit;
Qui, calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros
 Semper, agatne, rogat, nec, niſi iuſſus, agit.

Carmẽtalia, à Carmenta, Regis Euandri matre. Lupercalia, ex eo, quod Luperci in Lupercali facerent. Quirinalia, à Quirino. Feralia, ab inferis, & ferendi uerbo, quod ferrent ad ſepulchrum epulas tũ, quibus ius ibi eſſet parentandi. Terminalia, quod is poſtremus eſſet anni terminus. Equiria, ab equorum curſu. Liberalia, quod Liberi patris eſſet feſtus dies. Quinquatrus, ideſt παναθηναῖα, Mineruæ erant feſti dies, ut Ouidius; *Quĩquatrus*

 -Fiunt ſacra Mineruæ,
Nomina, quæ à iunctis quinque diebus habent.

Ea ratione dicebantur, qua Sexatrus, & Septimatrus à Tuſculanis dicta. Putant ſyllabas poſtremas duas, (niſi atri diei cauſam habeãt) productiones eſſe tantùm, nihil agentes, ut in poſtliminio ac meditullio. Id nomẽ habuerunt quod quinto ab Idibus die celebrarentur. Binę aũt Quinquatrus fuere, minores Idibus Iun. maiores. xiiij. Cal. Aprilis. Tubiluſtrũ, quod eo die in atrio Sutorio, ſacræ tubæ luſtrarentur. Megaleſia, dies erat Magnæ matri Deum, dicatur. Ludi Megalenſes in quarũdã principijs fabularũ Terẽtij, ſunt, quos eo loco M. Tul. intellexit: Nã quid ego de illis ludis loquar quos in Palatio noſtri maiores, ante tẽplum, in ipſo Matris magnæ conſpectu, Megalenſibus fieri celebrariq; uoluerunt? Fordicidia, à boue forda, ideſt prægnante, cæſa, ut; Forda ferens bos eſt, fœcundaque, dicta ferendo.
 Hinc etiam fœtus nomen habere putant

Palilia, Veſtalia, Cerealia, Saturnalia, rationẽ habent nominum ſatis apertam, à Pale, Veſta, Cerere, Saturno. Vinalia, à uino, Ioui libato. Rubigalia, à Rubigo, cui tria ſacra fiebant, ne rubigo ſegetibus noceret. Quinquatrus Minuſculæ Iuniæ erant Idus, à ſimilitudine maiorum. His ferijs tibicines feriati per urbẽ uagãtes conueniebant ad Mineruæ. Fortis fortunæ dies erat, quo Tullus Rex, fanum huic Deę, extra urbẽ Romam propter fluuium Tiberim dedicauit. Populi fugia dicta ſunt, quod eo die Populus tumultu ſubito fugerit, quùm

Siculeates, & Fidenates contra urbẽ Romam coniuraſſent. Nonę Caprotinæ, quibus Iunoni Caprotinę mulieres ſub caprifico ſacra faciebãt. Tũ Neptunalia, Furinalia, Portunalia, Vulcanalia, Vortũnalia, Opalia, Angeronalia, Accalia ſeu Laurentalia, dubium eſſe non poteſt, unde nomina acceperint. Vinalia Ruſtica xij. cal. Septem. erãt, quod tum Veneri dedicata ædes foret, & horti eius tutelæ aſsignati, & feriati holitores. Conſualia à Conſo Deo, cui ludi fiebant illi, quibus Sabinæ uirgines raptæ. Opeconſiua, ipſius à Deę Opecõſiuæ nomine dicuntur. Meditrinalia à medendo, quod eo die nouum, & uetus uinũ libari deguſtariq; conſueſſet medicamẽti cauſſa. Fontinalibus uero coronas iaciebant in fontes, ac puteos ornabant. Armiluſtrio, armati ſacra faciebant, & cum ancilibus ludentęs circuibant. Septimontium dies, à ſeptem montibus dicebatur, ubi ſita eſt urbs Roma, quæ feriæ & Pop. Rom. erant, & montanornm, qui circa finitimi eſſent. Paganalia, Pagorum erant omnium. Compitalia, à compitis, ubi ſacra laribus fiebant. Latinæ feriæ, à latinis populis ductæ ſunt, quibus ex Albano monte carnem petere ius erat cũ Romanis. Sementinæ, à ſemente, quæ ſationis cauſa fieri ſolebãt. Paganicæ, ſimiliter ac ſuperiores, agriculturæ cauſa inſtitutæ ſunt, ut in pagis omnibus haberentur, unde illis nomen datum. Calendę παρὰ τῦ καλεῖν dicuntur, unde poſtea Calare etiam fecerunt, quod, nondum faſtis à populo cognitis, Pontifici minori negotiũ dabatur, primũ ut nouiluniũ Regi ſacrificulo nunciaret, quo facto pontifex plebi in Capitolium uocatæ, dierũ numerum à Calendis ad Nonas prędicebat, ſi quinq; ſupereſſent, quinquies CALO IVNO NOVELLA, pronunciabat, ſin dies forent ſeptem, ſepties repetitis ijſdem uerbis res peragebatur. Nonæ dictæ ſunt, uel quia ſemper ante diẽ nonum Idus eſſent, uel quia tunc nouus menſis foret, nouaque Luna, ut nouus annus Cal. Ian. Idus uero nominantur, ex eo quod Itus à Tuſcis, aut Idus à Sabinis dictę ſint. Poſtridie Cal. Nonas. & Id. dies erant atri, quod nihil ijs diebus noui inciperent. Faſti dies, à Fandi uerbo dicuntur, quia tum Prætoribus liceret ſine piaculo fari. His contrarij Nefaſti dies erant, quùm Prætori nefas eſſet fari tria uerba, Do, Dico, Addico. Interciſi, per quos mane & Veſperi, nefas medio tempore inter hoſtiã cæſam, & exta porrecta fas habebatur. Ex eo igitur, quod fas tum intercideret, Interciſi dies nominati, uel quod nefas interciſum eſſet. Comitiales, quibus comitia haberi licitum eſſet, niſi ſiquæ feriæ conceptæ eſſent, ut Latinæ, ut Compitalia, ut cæteræ. Allienſis, à Fluuio Allia dies, nomen

men accepit, quod, ibi Romanorum exercitu fugato, urbem obſederunt. Venio ad Menſiũ nomina, Martius à Marte, Aprilis aut à Venere quæ eſt ἀφροδίτη, aut à uerbo Aperiendi potius. Maius à Maioribus, Iunius à Iunioribus, Quintilis, Sextilis, Septẽber, & reliqui tres à numero. Ianuarius à Iano, Februarius à Dijs inferis, quibus tum parentabatur, uel à die februato, quod februaretur tum populus, ideſt nudis Lupercis luſtraretur. A nominibus tranſeo ad uerba, & quæ dixi, agi cum tempore. Primum ſit Ago unde actio, agito, agitatus, agitatio. Hinc agere, geſtum in comœdijs, aut perſonam, aut fabulas, agere cauſam, agere pecus, ut;

-Potum paſtas age Tityre.

Item Cogo & cogito, quod mens plura cogit unde eligat, quæ duo uerba, prima ſyllaba producta dicuntur, propter duas uocaleis in unam contractas. Reminiſci, cõminiſci, meminiſſe, unde ſint, oẽs dicunt. Tremere, & horrere, unũ fortaſſe à τρομεῖν, alterũ ab horriditate pilorũ, quę male uehementerq; timentibus, aut iratis accidit, ut;

Obſtupui, ſteteruntque comæ.

quod ipſum eſt horrere, ut;

Cui Vates horrere uidens iam colla colubris.

Vnde non multum abeſt, ὀῤῥωδεῖν

Curare à cura fit. Cura, quaſi cor urens nominata. Recordari, ad cor iterum, quæ non cogitabamus, reuocare. Volo, à Voluntate Varro inquit, aut à Volando, ut;

Animum celerem nunc huc, nunc diuidit illuc.

Libet, & hinc Libido, à Labendo quia ad inconceſſa quis prolabitur, quod Libidinoſus declarat, & Libidinosè. Metuere à motu mentis, quùm ea refugit, horretque imminens malum, quæ ſi uehementius extra ſe feratur, Formidare tum, & hinc Formido dicitur. Alia, differenſque perturbatio eſt pauendi, & pauoris. Narrare, gnaros audientes reddere. Fari, primæ puerorum uocis eſt, quum formare uerba primum incipiunt: antequam id ſciant, Infantes nominantur. Hinc eſt Fatuus, & fatuitas loquendi uitium in his qui nec ſe ipſos intelligunt, quo ex uerbo ſunt Fatidici, qui non ſponte omnino, ſed furore, aut motu aliquo inſtincti loquuntur. Sunt etiam Effata, effari, fanum, profanum, fabula, fateri, profiteri, confiteri, fama & (quod Varroni credendum eſt) falli falſum, fallacia, Faunus, affabile. Loqui, à Loco aiunt eſſe dictum, quod non uerè is loquatur, qui per ætatem non rectè id faciat, aut qui naturæ uitio ſit fatuus, ſed qui ordine uerba ad ſenten-

Loqui.

tiam, ſuo quæque loco diſponit. Hinc loquax, eloqui, eloquentia & quæ ſunt nota omnibus plura. In Pronunciandi uerbo aiunt Pro, eſſe idẽ quod ante, ut Græca præpoſitio in προειπεῖν, προλέγειν, προοιμιάζειν, προλογίζειν, altera pars uerbi, à nunciando eſt, unde nuncius à nouitate rerum, quas affert, quo ex principio etymologiæ ſunt Nominare & nuncupare. Dicere, à δικάζειν, & inde iudicare, indicare, indicium, dictum, caſtrenſe uerrum, ut parere dicto, & Dictata in ludis literarum, & quod eſt in M. Tullio, Dicis cauſa: item Docere, diſcere, diſciplina. Putare, purum facere, unde Putum purum argentum: hinc Diſputare, computare, & plurima, quæ nec dubitari poſſunt. Murmurare, à ſono uocis, ut fremere, gemere, clamare, crepare. Facere is proprie dicitur, qui formam rebus, ac faciem inducit, quamuis per translationem ſit etiam facere iniuriam, facinus, & quæ de animo dicuntur. Sermo, à ſerie rerum, quæ ordine dicuntur: nec opus eſt, quæ à legendi uerbo ſunt, referre. Pauca ſuperſunt ex uſu (ut iam dixi) poetarum: quæ & ipſa locorum ſunt, uel temporum, ut ſuperiora, aut eorum quæ in loco, aut in temporibus fiunt. Templum eſt aut à natura, in cœlo, quod in Terentio adoleſcens intellexit.

Qui templa cœli ſumma ſonitu concutit;

aut ab auſpicijs, aut à ſimilitudine, ſub terra. A tuendi uerbo dictum uolunt, quod uerbum ad ſpectandum, uel ad cuſtodiendum refertur. Fretum à feruendo. Mare Aegeum, à ſcopulorum frequentia, non multum diſſimili à grege caprarum. Quærit hic Varro, unde Camœnæ ſint, Caſcum, ambages, adagium, latrare, Camilla, ſubulo, paluda, luca, bos, orator, olli & ollos, ancilla, librum, titulus, catus, cortina, quæ omnium ferè in ſcriptis hodie ſunt explicata, non minus quam latronum, latrocinandi, perduellium, hoſtiũ, & caſſabundi, & carendi etiam pro carminandi apud ueteres, rerumque ſimilium nomina. Rorarii milites à rore dicebantur, quod eſſent eorum leuia certamina antequam pugna iuſta fieret, ut ros ante pluuiam. Tramites, à tranſuerſo itu, uibices excitatum dicunt uerberibus corpus. Limax à limo, ſcrantiæ à ſcreando, grallator à gradibus, temo à tenendo, aurora ab aureo colore cœli, numen ab nutu, & imperio Deorum. Alciones, apud nos Alcedones uocãtur, quod mare ἅλα poetę dicunt. Cicures, cicurandi uerbum fecerunt, quæ ſunt ex feris manſuefacta animalia, à cico tenui, ac molli (ut Varro ſcribit) membranula, quæ eſt in malo Punico diſcrimen. Poſtremo, clepere, cernere, obſcenum, frequens, aſſiduus, foſſare, auerruncare,

care, gannire, rudere, hinnire, grunnire, ululare, mugire, fremere, uagire, fringutire, uitulare, unde nata ſint, omnes dixerunt. Hæc nos de Varronis potiſsimū libris in hunc locū tranſtulimus, quod & nihil erat aliud in aliorum ſcriptis, quod imitatione dignum uideretur, & in re tam uaria, & dubia ſummi uiri teſtimonium habere uoluiſſem. Valde enim tractatio hæc lubrica à ueterum quoq; doctiſsimis exiſtimata eſt, & in qua ſemper non ſolum grāmatici, ſed oratores etiā & magna ſcientia cumulati homines reprehenſi fuiſſent. Eidem nanq; uerbo ſæpius origo multiplex datur, ex quibus profecto plus una uera eſſe non poteſt. Non enim uerbi natura, ſed uerbi obſcuritas, aut ignorantia noſtra facit, idem uerbum plures ut cauſas habere uideatur. Non tamen ita imprudentes erimus, ut, ſi quędam rectiſsimè explicare nequeamus, omnia ſtatim contemnenda credamus, ita propemodum, ut ſi nuditate quis perire malit, quia ornatu regio uti non poſsit. Nam, quod multis ratio diuerſa eſt aſsignata à doctiſsimis antiquorum, & ex ijs nulla fortaſſe diuinata ſit, omnes tamen rei uiam aliquam demonſtrant. Adde etiam, quod fere uiliſsimarū rerum nomina ignorari poſſunt, unde ea ſint nata, ut obſcuri homines plerunq; nec ſcimus, nec aliquid intereſt ſcire, quos habeant maiores: quæ uero grauia ſunt, & illuſtria, eorum cauſæ, ut familiarū origo maximarū, latere uix poſſunt. Quare ſint ex philoſophia, ſint ex iure ciuili, aut aliis grauiſsimis ex rebus uerborum controuerſiæ, quæſtioneſque illæ, quæ definitione rerum, & nominum explicatione conſtant. in iis haud inuenire eſt uerbum, cuius reddi cauſa illuſtrior aliqua non poſsit. Illud etiam nemo ignorat, non modo rei uni aliud potuiſſe dari nomen, ſed, quemadmodum iam dixi, unius nominis, aut uerbi, & ſi una ratio ſit à primis inuentoribus nominū cogitata, illam tamen aliam eſſe potuiſſe. Quare non grammaticos tantum, ſed Varronem quoque dignum uenia iudicabimus, ancipites aliquādo uerborum cauſas afferentē. Quin & illud fit etiā à doctiſsimis interdū, ut uerbis explicandis id, quod ſignificatur, ſequi malint, quā literas. Supra enim, de Nocte mihi uideor dixiſſe, inde fuiſſe illi nomen, quod, perpetua ſi foret, rebus humanis obſutura uideretur. Recta hæc etymologia eſt, quoties ita docti homines loquuntur, etiamſi de nocendi uerbo, (unde nox dicta eſt) mentio nulla fiat. Siquis hoc reprehendat, is Varronem doctiſsimoſq; omnes, & M. Tullium ſe ſciat reprehendere. Hic enim illud etiam ſibi permittit aliquando, ut (quod ſtulti non intelligunt) à rebus non ueris etymologias ducat uerborum, ſed ex iis quæ uocum ſimilitudines ha-

beant, ac literarum. An is, qui uidit omnia, ſuæ linguæ rationem dicendus eſt non uidiſſe, quùm fidem, ex eo quod fiat, quod dictũ eſt, nominatam ſcripſit? Euenit hoc, etiam neceſsitate, quum uerbi nouitas fugienda eſt, ut;

Ipſa ſi cupiat Salus ſeruare non poſsit hanc domum.

Hic, ſeu etymologiã ſeu cõiugata ſpectes, quorũ utrũq; rõnẽ ducit ex uerbo, nullã uerbi rõnem fuiſſe habitã uidemus. Nulla enim affinitas eſt Salutis & Seruandi. Sed hoc uerborum fecit natura, quod neque Salus, uerbum de ſe aliquod, nec uerbum Seruandi nomen creare potuiſſet. Quamobrem ne illud quidem reprehendi debet quod animi ſenſum, & uerborum ſimilitudines potius, quam naturam, ſpectantes quidam etſi non docti homines, Teſtamentum tamen quaſi teſtationem eſſe mentis dixerunt. Sint igitur hæc ſatis, uel ipſam ad rationem explicandi uerborum, uel ad uiam patefaciendam ad quæ infinitum eſſet explicare, & mandare literis. Varrone autem hic mihi auctore utendum fuit, primum, quo plus fidei res apud obſtinatos haberet, deinde, quod in re tam difficili & obſcura, ipſe etiam Varro, non unum aut alterum, ut ego, ſed plurimos habuit auctores, unde analogiæ, uel etymologiæ doctrinam acceperit. Hæc mihi auxilia, amiſsis Callimachi, Polybij, Chryſippi, Ariſtophanis, Antipatri, Hypſicratis, & Apollodori libris, omnia defuere. Nec (ut Romanis de hominibus dicam) erat à Sulpitio, Aurelio, Claudio, Coſconio, quod ſperare poſſem. Nec ij, qui Varronem, & antiquitatem omnem adiuuerunt, mihi operam Q. Lutatius, L. Piſo, Q. Scæuola, Fuluius Flaccus, Aelius Gallus, Iunius Gracchus, ullã præſtare potuerunt. Illud præterea me ad Varronis doctrinã impulit, quod à feſtorum dierum nominibus exemplum capere nos uelim, quo religionis etiam noſtræ feſtos dies, antiqua & pulcherrima nominum forma exornemus. Quid enim impedit, quo minus Feralia, Vinalia, Laurentalia, nos etiam dicamus? quæ ſi uideantur eſſe duriora, nec ſatis uehemens eſſe cauſa, cur his utendum ſit quid eũ diẽ, qui eſt ante viij. Cal. Ian. Natalia dicere extimeſcimus? quid Poſtridie Cal. Nouem. Parentalia, quid Cineralia, Paſcalia, Floralia? quid multa, quæ tum facile molliri, tum nullo negotio duci ad formam Latinitatis poſſunt? Age uerò, ſint hæc præſenti figura nominum ſatis latina, uideantur non oportere fieri latiniora. quid illa, quæ profectò nominibus carent, uel ſeptenas in parteis, atque horas diſtributus publice ſupplicandi ritus, uel Pontificij honores, uel Sacerdotum gradus, uel penè omnia, quæ in iure Pontificio

Feſtorũ dierũ ſacrorum ordinũ miniſteriorũ, & omnium quæ in iure Pontificio ſunt nomina, fieri Latina optare debemus & poſſumus.

tificio continentur? Sed, quando ſatis uidemur iam de accentibus, & etymologia, in hoc libro etiã ſcrupuloſiora eſſe perſequuti, deinceps ad analogiam nobis tranſeundum erit. Hanc M. Tullio placuit Comparationem proportionemue dicere. Quanti hæc facienda ſit, quantumq; habeat in lingua ponderis, declarat, quod M. Varro, & C. Cæſar, eam ſuo ingenio, ſtudio, ac labore dignam putauerunt. Eſt autem hæc aut in uerborum natura, aut in conſuetudine loquẽdi, aut uſu poetarum. Prima à Varrone definita eſt uerborum ſimilium declinatio ſimilis. Altera, uerborum ſimilium declinatio ſimilis non repugnante conſuetudine communi. Tertia eſt eiuſmodi, ut, ſi proximæ aut ſuperiori adiungas, QVADAM EX PARTE, poetica analogia definita eſſe intelligatur. Quando igitur ea uerborum eſt ſimilium, quatuor uidenda ſunt, ne ſimilitudine fallamur: primum ut eiuſdem ſint generis, quæ inter ſe conferuntur, nec nomen cum uerbo, uel pronomen cum participio, uel denique diuerſa cum diuerſis putemus conferenda. Alterũ, ut utrinq; maſculina ſint, aut feminina, aut neutra, nec inter maſculina, & neutra, aut feminina analogia quæratur: tertium, ne diuerſis in caſibus: poſtremum, ne alio in literarum exitu. Ad quadripartitam hanc rationem, duo caſuum genera referuntur, eorum, qui obliqui, & eorum, qui recti nominantur. Obliqui ſunt, qui recto à caſu ueniunt, ut albus, albi, albo; recti, qui eodem ex recto caſu in rectos, ut albus, alba, album. Diſputatum eſt contra analogiam à multis, & quidem non indoctis hominibus, uerum ijs argumentis, quæ facile refelli poſſunt. Neq; uerò, ſi præteritum aliter faciunt ſeco, ueto, iuuo, quam libo, laudo, cãto, ideo analogiam nullam eſſe putabimus, aut, ſi aliqua eſt, ſequendam non credemus, quia mutabilis incertaq; uideatur. Qui enim ita hoc ratiocinaretur, ſimiliter faceret, atq; ſi quis per tenebras ire malit, quam lumine uti aliquo minore. Eſto igitur, eſſe in præteritis primæ coniugationis legem, ſitq; ab his libaui, laudaui, cantaui, ab illis uero ſecui, uetui, iuui: non contemnendum tamen, immo adeò faciendum plurimi, quantum hic analogiæ ratio nobis præſtet. Deinde, etſi paulum hæc ab illis diſcordẽt, non tamen ſunt aut obſcura, aut ſola, ut multorum ſimilium uerborum, ab alijs diſtincta, ſimilisq; ratio, uelut altera coniugationis forma, quædam haberi debeat. Poſtremo hanc in præteritis uarietatẽ, quæ nihil afferre poſsit incommodi, accipiunt ipſæ etiam aures non iniucundam. Quod autem fero & fers, & fert, tuli facit, & latum, non idem profecto ſequitur, quod alia coniugationum ulla cæterarum,

Secũdum ex ijs quę dictioni adiuncta ſunt, eſt analogia.

Quomodo cõferenda ſint uerba ad analogiam.

rum, nemo tamen pro nihilo habendum iudicabit, quod huius ex uerbi declinatione, plurima etiam alia cognoſcuntur. Iam uero, iaceat hæc ratio tota analogiæ, quod feriendi, & furendi uerbum habeat præteritum percuſsi & inſaniui. Summæ ſtultitiæ eſt, propter unum aut alterum uerbũ, uelle rationẽ Latini ſermonis uniuerſam negligere, & ignorare oĩa, quia unum aliquod ab infinitis rectiſsimè declinatis diſsideat. Nam, quod à Roma, Parma, Rauenna, Placentia, quæ ſimilia ſunt, non ſimilia naſcantur adiectiua, ſintq; à primo Romani, à ſecundo Parmenſes, à tertio Rauennates, à quarto Placentini, quod ab atrio atrienſis, ab æde æditũus, quod ab aucupando auceps, à piſcando ueniat piſcator, quod à tibijs, tibicen, à cythara, cytharedus, quod non eoſdem caſus habeant Caſtor, & Neſtor, & Hector, quos paſtor, doctor, lector, quando ab auro aurifodina, à lignis uero non ſimile nomen fiat, quod primo libro deniq; infinitam Varro colligat à reprehenſoribus uarietatem in uerbis uerborumq; deriuationibus: non hoc analogiam lædit, ſed analogiæ diuerſas rationes cõſtituit. Sint ergo nomina, Cato, Scipio, Curio, unde Catonis fiat, Scipionis, Curionis, aliter quã uirgo, Carthago, turbo, unde uirginis, Carthaginis, turbinis, utrum his tollitur, an confirmatur potius analogia? Itaq; ſecundo libro rectiſsimè reprehendit eos Varro, qui hanc rationem auferre conabantur. Non uacat hic omnia commemorare, quæ dicerent ij, qui male de ea ſentiebant, uel (quod otioſi conſueuere homines) eloquentia, & ingenio ludebant. Nam quid aliud Crates cogitabat, nobiliſsimus (ut Varro ſcribit) grammaticus, qui, Chryſippo fretus, homine acutiſsimo, ſex libros περὶ ἀνωμαλίας reliquit? Quare demus id, quod ueriſsimum eſt, ſed pro nobis eſſe credamus, quod aiunt fieri uerba à ſimilibus ſimilia, ut à bono & malo bonum & malũ. A ſimilibus diſsimilia, ut à lupus, lepus, lupo, lepori. Contra à diſsimilibus diſsimilia, ut Priamus, Paris, Priamo, Paridi. A diſsimilibus ſimilia, ut Iuppiter, Iouis, Iouis, Iouis. His inquã ex uerbis oĩbus, & infinitis huiuſmodi, nemo analogiã poſsit auferre. Eſt.n.ea ut in rebus oĩbus, ut in cœlo ẽt atq; mundo, & cœli mundiq; partibus maximis ac minimis, à natura uel ab arte quibuſcunq;, ſic etiam in uerbis & in latina lingua, unde abeſſe illam nullis artificijs Crates, nullo ingenio Chryſippus, Varroni aut cuiuis ſanæ mentis homini perſuadere potuiſſet. Hæc ſi nullis in rebus agnoſceretur, ne in uerbis quidem; quum uero ſit in rebus omnibus, ſtultum eſt à uerbis etiam remouere. Repetam longius hic ſentẽtiam Varronis, idq; faciã ipſius potiſsimum uerbis, quo maior

M. Varronis de analogia locus lõguſculè repetitus.

ei fides habeatur, & gratum amatoribus illius ingenij, & antiquitatis fiat. Quæ.n.(inquit) eſt pars mundi, quæ non innumerabiles habeat analogias? Cœlum, an mare? an terra, an aer, & cætera, quę ſunt in his? Nonne in cœlo ut ab æquinoctiali circulo ad ſolſtitialem, & hinc ad ſeptentrionalem diuiſum, ſic cõtra à paribus partibus, item à bruma uerſum contraria parte? Non quantũ polo ſuperiori abeſt, tantundem abeſt inferior ab eo, quem ἀνταρκτικὸν uocant aſtrologi, & is ad brumalem? Non quemadmodum quodq; ſignum exortum hoc anno, quotannis eodem modo exoritur? Num aliter Sol à bruma uenit ad æquinoctium, an contra, quùm ad ſolſtitium uenit ad æquinoctialem circulum, & inde ab brumam? Nonne Luna ut à Sole diſcedit ad aquilonem, & ille redit in eandem uiam, ſic inde fertur ad auſtrũ, & regreditur inde? Sed, quid plura de aſtris, ubi difficilius reperitur quid ſit, aut fiat in motibus diſsimiliter? At in mari credo motus non habent diſsimilitudines geminas, qui in 24. horis lunaribus quotidie quater ſe mutant. At quũ ſex horis æſtus creuerint totidẽ decreuerunt rurſus identidẽ alij. An hanc analogiã ad diem ſeruant, ad menſem non itẽ alios motus, ſic itẽ quũ habeant alios inter ſe cõuenientes, de quibus in libro, quem de æſtuarijs feci, ſcripſi. Non in terra in ſationibus ſeruata eſt analogia? Nec cuiuſmodi in præterito tempore fructuum genera reddidit, ſimilia in præſenti reddit? & cuiuſmodi à tritico iacto, reddit ſegetes, ſic hordeo ſato proportione parilis? Nonne, ut Europa habet flumina, lacus, montes, campos, ſic habet Aſia? Non in uolucribus ſeruatur analogia? Non ex aquilis aquilę, atq; ex turdis qui procreantur, turdi, ſic ex reliquis ſui cuiuſq; generis? An aliter hoc fit, quam in aere, in aqua? Non hic conchæ in ſe generatim innumerabili numero ſimiles? Non piſces? An è murena fit lupus, aut merula? Nõ bos ad bouẽ collatus ſimilis? & qui ex his progenerantur inter ſe uituli? etiã ubi diſsimilis fœtus, ut ex equa & aſino mulus, tamen ibi analogia, quod ex quocunq; aſino & equa naſcitur itẽ mulus, aut mula, ut ex equo & aſina hinnuli. Non ſic ex uiro & muliere omnis ſimilis partus? quid pueri, & puellæ? Non horũ ita inter ſe omnia ſimilia membra, ut ſeparatim in ſuo utroq; genere ſimilitudines ſint pariles? Nõ homines omnes quùm ſint ex anima & corpore, partes quoq; horum proportione ſimiles? quinq; quibus ſentimus, ſexta qua cogitamus, ſeptima, qua progeneramus, octaua qua uoces mittimus? Igitur, quoniam, qua loquimur uocem orationem, hãc quoq; neceſſe eſt natura habere analogiam, itaq; habet an non? uides, ut Græci habeant eam quadripartitam

unam, in qua ſit caſus; alteram, in qua tempora; tertiam, in qua neutrum; quartam, in qua utrunq;, ſic nos habere? & quid uerba neſcis ut apud illos ſint alia finita, alia non, ſic utraq; eſſe apud nos? Equidem nō dubito, quin animaduerterint ijdem in eam innumerabilem ſimilitudinem numerorum, & trium temporum uerba, ut trium perſonarum. Quis enim poteſt non animaduertiſſe in omni oratione eſſe ut legebam, lego, legam, ſic lego, legis, legit: quum hæc eadem dicantur alias ut ſingula alias ut plura ſignificent? Quis eſt enim tam tardus, quin illas quoq; non animaduerterit ſimilitudines, quibus utimur imperãdo, quibus in optando, quibus in interrogando, quibus in infectis rebus, quibus in perfectis, ſic in alijs diſcriminibus? Quare, qui negat eſſe rationem analogiæ, non uidet naturam non ſolum orationis, ſed etiam mundi: qui autem uident & ſequi negant oportere, pugnant contra naturam, non contra analogiam: & pugnant uolſellis, non gladio; quum pauca excepta uerba ex pelago ſermonis puri, minus trita afferant, quum dicant propterea analogias non eſſe: ſimiliter ut ſiquis uiderit mutilum bouem, aut luſcum hominem, claudicãtem equum, neget in cornibus boum, hominum & equorum naturam ſimilitudinis proportione cõſtare. Qui autem, quum duo genera eſſe dicunt analogiæ, unum naturale, quod ex lentibus ſatis naſcuntur lentes, ſic ex lupinis lupini: alterum uoluntariũ, ut in fabrica quùm uident ſcenam ut deſteriore parte ſint oſtia, ſic eſſe in ſiniſtriore ſimili ratione facta: de his duobus generibus, naturalem eſſe analogiam, ut ſit in motibus cœli: uoluntariam uerò eſſe, quod, ut cuiq; fabro libitum ſit, poſsit facere partem ſcenæ, ſic in hominũ partibus eſſe analogias, quod eas natura fecit, in uerbis non eſſe, quod & homines ad ſuam quiſq; uoluntatem fingunt. Itaq; de eiſdem rebus alia uerba habere Græcos, alia Syros, alia Latinos. Ego declinatus uerborum & uoluntarios, & naturales eſſe puto. Voluntarios, quibus homines uocabula impoſuerint rebus quædam, ut à Romulo Roma, à Tybure Tyburtes. Naturales, ut ab impoſitis uocabulis, quæ inclinantur in tempora, aut in caſus, ut ab Romulus, Romuli, Romulum, & à dico dicebam dixeram. Itaque & in uoluntarijs declinationibus incõſtantia eſt, in naturalibus conſtantia: quas utraſq; quoniam id non debeant negare eſſe in oratione, quod in mundi partibus omnibus ſit, & declinationes uerborum innumerabiles, dicendum, eſſe in ijs analogiam. Hæc uir unus Romanorum omnium doctiſsimus Varro de analogia diſſeruit. Perſequutus eſt plura etiam diuinitus, eaq; euertit omnia, quæ cõtra analogiam

logiam dicerentur. Apparet etiam ex his, quæ dicta ſunt, non in declinatione ſola totam hanc eſſe poſitam, uel potius declinandi uerbum patere latius, eiq; deriuationes & formas nominum, ac uerborum, ut ſpecies generibus, ſubiectas eſſe. Quare aduerbia quoq;, ac cæteræ partes orationis, quanquam eas declinationum expertes dicamus, tamē fortius à fortiter, fortiſsime à fortius declinatur. Itaq; uerba quum eo ſenſu nunc accipi uelim, quo,

Nec uerbum uerbo curabis reddere,

uerborum omnium genera, formæ, uoces, deriuationes, diuiſionesq; ubi aliquid ab altero naſcatur ἀναλόγως, rectiſsime teneri debet. Hác enim loquendi magiſtram, ac ducem ſequemur. Hæc dubijs uocibus moderatur aut ueteribus, aut ſiqua noſtro alijsue ſæculis naſcantur. Nam uerba ac nomina ſiquando fingere noua ſit neceſſe, aut latinitate qua ſunt barbara donare, ex aliorum ſola analogia, & comparatione latinæ uocis figuram accipiēt, & aliquam in declinandi ueterem conſuetudinem, ac doctrinam, ueluti aliquam in Romanam tribum, aſcribentur. Nec enim peregrinari in Latio, ac Romæ ſemper debent, ut illa græcorum Alectò, Sapphò, Didò, Calipsò. Hæc.n. uel auſi non ſunt ita declinare, ut Iuno, Carthago, uirgo, uel qui auſi ſunt, ij parum fortunati aliorum duces fuerunt. De ueteribus etiā Latinis uerbis, non dubium eſt quarto caſu duos & ambos dici debere, ea ratione, qua Diuos etiam, ſonosq;. at acceptum conſuetudine eſt multorum ueterum, ut contra analogiam Græco more duo & ambo diceretur eodem caſu. Probat hoc Soſipater exemplis antiquorum, ut Terentij in Andria;

Hem Charine ambo oportune uos uolo.

& Virgilij;

Verum, ubi ductores acie reuocaberis ambo.

Eiuſdem alibi;

Nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambo Luſerat.

Sed hac de re tertio libro nobis dicendum erit. Theorematis, epigrammatis, ænigmatis & huiuſmodi alia à tertia declinatione in ſecundam; quod uox duriuſcula eſt uiſa, epigrammatibus, pronūciare. Similis ratio coegit, ab eo, quod eſt, Arabs, & Elephas, & Delphin, tertio caſu & ſexto, Arabis, Elephantis, & Delphinis dicere. Fuere tamen, qui olim Arabus, Elephantus, Delphinusq; dixerunt. Cuiâs, & noſtrâs, & ueſtrâs, circumflexa poſtrema ſyllaba dicuntur, quod olim cuiâtis erant, noſtrâtis, & ueſtrâtis. Eadem ſunt ratione damnâs in iure ciuili, & Ferentinâs, & Rauennâs, & Arpinâs, & ciuita-

tum

tum homines huiuſmodi plurimarum. Sed his de rebus eo, quē iam dixi, libro, ut ſcriberem, magis idoneo loco mihi putaui eſſe reſeruandum. Nunc dicam ea, quorum gratia hæc tam multa uolui ex ueterum libris doctiſsimorum hominum repetere. Debent.n. obſeruata eſſe, & propoſita quædam nobis pauciſsima, quorum exemplo in cæterorum omnium, quæ infinita ſunt, declinatione utamur. Ac prima quidem ſunt ea, quæ ad nominum declinationes docendas olim notata, ſuis in ſcriptis literati homines dederunt. Hæc antiquiſsimi grammaticòrum Ordines dixerunt, ut ſit primus nominum illorũ, quæ ita declinantur, ut Pirata & Muſa; alter, ut uentus, bellum; tertius, ut pauo, mater; quartus, ut gelu, uiſus; quintus, ut meridies, & luxuries, & cætera ſimilia his infinita. Nobis uero placuit à communioribus, & noſtri temporis in conſuetudinem receptis non diſcedere, ut more omnium, declinationes has potius nominarem. Verba quoq; declinandi ratio quatuor in partes diſtributa eſt. Alia.n. ſic declinantur, quemadmodum paro, alia ut moneo, alia ut ſcribo, alia ut ſeruio. Quatuor ſunt hæ coniugationes, inclinato à Græcis uerbo, qui συζυγίας dixerunt. Soſipater, & uetuſtiores cum tertia quartam iunxere, ut non plures tribus coniugationes eſſent. Neq; illi tamen reprehendendi, qui breuitatem ſequuti ſunt, & laudandi, qui eas diſtinctas eſſe maluerunt. Ad quadripartitum hoc exemplum uerba ferè omnia declinantur. Pronominum uerò, ac participiorum declinatio ſimilis eſt nominum adiectiuorum. Laudaturus enim, & laudatus, & meus, & tuus, & ſuus, & noſter, cæteraq; omnia ſic declinantur, ut magnus. Laudans uero, & monens, & legens, & ſeruiens, & noſtrás, & ueſtrâs, & huiuſmodi cętera, ut fortis, demens, rapax, felix. Hi ueluti fontes quidam ſunt primi, declinationum omnium, qui mihi breuiter attingendi fuerunt. Res enim quum eiuſmodi ſit, quæ non demonſtrari tota queat, ſed ex paucis, & ex generum exemplis oſtendi, qualeis parteis habere poſsit eas, quæ reliquæ ſunt infinitæ, ſuperſedendum cæteris putaui, quę diſcentium ingenia rectè animata, magis quam doctoris induſtriam, requirunt. Sed mihi tranſeundũ eſt iam, ut paucis quæ de Orthographia, tertia Dictionis parte, propoſui, exoluam. Nec pudere nos debebit hanc uel tractare uel diſcere, quam ut emendatè ſcribendi magiſtrã, homines doctiſsimi omnium ſęculorum, plurimi fecerunt, & Lucilius poeta uetus, doctrina & facultate ſua, & Romanorum ingenijs dignam putauit. Huius illud munus primum ſit, ut, quæ ſunt ambigua diſtinguat, quo de genere ſunt quæ diuerſos una uoce caſus,

Tertiũ quod adiunctũ eſt ſyllabę, Orthographia.

caſus,habent,ut Rôma,ſi nominatiui eſt, accentu circumflexo prior ſyllaba; ſin ablatiui, acuto diſtinguatur. Similia quædã ſupra iã collegi,quum accentuum leges traderem,ut liquido, ſi nomen ſit, tertiam à poſtrema ſyllabam, acuti; ſin aduerbium, eius ipſam poſtremã gauis nota ſignemus. Vulgata ſunt etiã, nec à ueteribus prætermiſſa,palus,acuta priore,aliud oſtendere,quã circumflexa. Sunt his minutioria,uerbum expecto,utrum à pectendo, an à ſpectando fiat, quinta ſemiuocali addita,uel detracta ſignificandum eſſe,quę ſecũdo eſt affixa per naturam. Illud etiam dicere non ſanè multum neceſſe eſt in Quicquid, ſecundam eſſe in priore ſyllaba non tertiam de mutis oportere,ne duæ eſſe interrogationes putentur. Illud uero Quùm,aliam habere cõſonantem primam ſi tempus notat, aliam ſi eſſe præpoſitionem uolumus. Quando.n.antiqui, aduerbiũ temporis muta ſeptima, & quarta uocali ſcribebant, credibilius eſt uiſum doctis,eandem in principio manſiſſe literam, cui tamen coniunctio tanta fuit cum ſecunda ex conſonantibus,ut,quemadmodum in literis dictum eſt,eodem in uerbo modo hanc,ut Quem,& Quibus, modo illã ſcriberẽt,ut Cui,& Cuius,quæ erãt olim Quoi,& Quoius. Eadem ratio in Sequor,& Sequimur,unde Sequutus,& Sequuti,malunt quidam eſſe quam ſecunda muta Secutus,& Secuti. Veniã paulo poſt ad ſingula,ut, Maeciorum nomen ſecunda ſcribi debere conſonante, in ſyllaba,quæ duas poſtremas antecedit,Malliorũ,& Malleolorum,geminata prima ſemiuocali,Mærendi uerbum, unde mæſtus, & Mæniorum, & Mæcenatium diphthongo ex duabus primis uocalibus eſſe ſcribenda,tametſi longũ eſt,non prætermittam, & in pauca multa conferã.Nunc ea mihi ſunt colligenda potius,quæ pertinere uidentur ad multa. Ac primum non mirandũ arbitror, quod in uerbo abſtinendi,obtinendi,& ſimilibus ſexta ex mutis audiatur, quanquam poſtulet ratio,ut primam eo loco ſcribamus.Deinde prępoſitiones curam ancipitẽ cogitãdi grammaticis attulerunt, utrum antecedens præpoſitionis litera,in ſequentem uerbi mutetur, ut aſſerere an adſerere, afferre, an adferre ſcribendum putent: qua de re quod mihi uenit in mentem,ita exponam,ut aliorum ſententias,uel qui adhuc ſcripſerunt,uel qui melius hæc illuſtrare uolent,neq; impedire cupiam,neq; reprehendere.Etenim res nulla eſt tota in ſcientia literarũ,quæ tam ſæpe cũ temporibus mutata ſit,uel ita facilè cõſuetudini obtemperarit. Antiquis mehercule in operibus uel urbis Romæ, uel Italiæ, idem uerbum aliter alia ætate ſcriptum uidemus. Quid igitur aut ego te reprehendam, qui aliquo in tempore

uſitata

uſitata imitaris,aut tu me refellas,qui, mea ſequens, tibi repugnare nolim? Quamobrem eſto, ut uolet quiſq;, præpoſitionum literas, quæ uerbis iunguntur,aliquando nō mutari,aut plurimum integras eſſe oportere:mihi tamen placet, linguæ,aurium, & ſuauitatis gratia,conſuetudine etiam ſecunda, afficio magis quam adficio, ſurripio magis quam ſubripio, aggredior quam adgredior ſcribendum eſſe. Itaq; percurram,ſiqua etiam huic rationi ſunt contraria. Conſonans præpoſitionis Ab, nullam aliam in cōſonantem uerti poteſt. Non enim,ut aſſum Ligario,& Miloni dicimus,ita aſſum à negotijs, uel aſſum à re familiari,aſſum ab urbe, ſed manēte eadem litera abſum ab urbe,abſum à negotijs. Immo & præpoſitionis Ad, contra quam dictum eſt, in ſecundam,uel tertiam ſemiuocalem, ſi mutare uolumus,certè non cogimur,ut admonere, & adniti, quamuis annuere, & annumerare, & ſimilia dicuntur. Abnuere autem neceſſario etiam dicimus. Et ſi enim uerti in aliam, præpoſitionis prima conſonans poſſet, hic tamen, uerbi contrarij diſcrimen faciendum erit. Ne uerbum annuendi eſſe uideretur. Aufugere, & auferre primam non ſeruarunt conſonantem. Quanquam uidetur M.Tullius Au præpoſitionem exiſtimare. Ita enim ſcribit: Quid ſi etiam abfugit turpe uiſum eſt? & abfert noluerunt,aufer maluerunt? quæ præpoſitio, præter hæc duo uerba, nullo alio in uerbo reperitur. Hæc eadem conſonans uertitur in ſequentem, in uerbo Offerendi. De præpoſitione tamen Ad perſequar,ſiquid aliud uidebitur. Eius conſonans remanet,quum eſt prima ſequentis etiam uerbi,ut addere,adducere;item ſequente uocali,ut adorare,adumbrare;ſimiliter, ſi uocalis in conſonantem ſit mutata, ut adiuuare, aduolare, aduenire,adijcere. Mutatur in ſecundam ex mutis uerbi, quod ſequitur, ut accidit,accurrit, accumbit. Tranſit in mutam quintam ſequentē, ut aggerere,aggrauare; in primam ſemiuocalem,ut allabi,allidere, allaborare; aliquando in tertiam, ut annuendi, annitendiq;, modo attuli exemplum in ſemiuocalem quintam, ut aſſurgo, aſsimilis; in poſtremam conſonantem, ut atterere,attendere,attollere. Eadem, ſi mutarum ſeptima ſequatur, in ſecundam uertitur conſonantem, ut acquiro, acquieſco. Sola enim hæc de mutis duplicari nequit. Deniq;, præter mutarum ſeptimam, & Aeolicum digamma poteſt in conſonantes omnes mutari. Præpoſitionis Ab conſonans litera, uel manet ipſa, ut abſumo,abſoluo,abſimilis, abdo, abduco, abluo, abditus,abrado, abnego, abnuo, uel præpoſitio mutatur in ſociam Abs, ut abſcindo, abſcondo, abſtineo. Ab deniq; literis iungitur

huiuſmo-

huiuſmodi uerborum,abdidi,abſui,abiuraui,abnui, ablegaui, abrogaui. Non mirandű igitur,immunis,& immanis,& immitis, & ſimilia his quű dicuntur,ex tertia ſemiuocali fieri ſecundã. Quę ſupra.n. expoſui, & cõuerſio literarű in eas,quæ ſequűtur,ſatis cognoſci ex Plauti loco poſsűt,ubi ſeruus,ab adoloſcẽte inclamatus,quű diceret Aſſum,adoloſcẽs ex uerbo illudẽs,EGO ELISSVM VOLO,reſpondit. Non fuiſſet hic iocandi locus,niſi pro tertia cõſonante, quinta ſemiuocalis pronunciata eſſet. Nã,ſi præpoſitionű cõſonantes conuertendæ in uerborű ſequentes nunquã eſſent,quis pro corruo,conruo,pro συῤῥίω & συῤῥάπτω συνρίω, συνράπτωque, & mille id genus, ferre poſſet? Quod autẽ ſupra dixi,rationẽ recte ſcribendi cõſuetudine ſæpius mutatã, intelligi uolo tñ, ius nullum eſſe cõſuetudini, quibus in uerbis ratio etymologiæ aperta uideat. Nã uel ſcenã, uel obſcenum,uel frena ſcribi ſine diphthõgo debere,uel Porciű ſecunda cõſonante,uel Plautium muta poſtrema,uel nefas quarta,uel Flaminium una ſemiuocali ſecunda,uel bellű geminata earundẽ prima, uel Cæciliű,Cæcinã,Cælibẽ,Cæliã,ærumnã, cæruleum primæ ac ſecundæ uocalis diphthongo,nõ doctorum præceptis, uel monumẽtorum auctoritate,ſed ipſa uerborű natura, admonemur. Itaq; illud eſſe præcipuum in Orthographia debet, ut, uerborum fontibus inſpectis,eorum,quæ alijs à uerbis naſcuntur,quas literas poſtulãt,aut reſpuãt,recte cognoſcere poſsimus. Rectiſsimè.n.Scaurus totã hãc recte ſcribẽdi rationẽ,hiſtoria,etymologia, proportione.i.ἀναλογία terminandum putauit. Quid poſteriora duo ſint non puto amplius quærendum eſſe. Hiſtoria autem eſt ſi ſciamus cõiunctionẽ Sed, mutarum non poſtrema,ſed tertia potius eſſe ſcribendã,quia ueluti ex latinæ linguæ annalibus cognitum habeamus,Sedum,antiquiſsimis temporibus dictã fuiſſe, & reiecta ſecunda ſyllaba non aliter quam ſed remanere potuiſſe. Siquid igitur uel præceptis, uel auctoritati dãdum erit,id oẽ ſimplicibus tm̃ in uerbis, quorum origo aut nulla, aut incerta eſt,ualebit. Quis.n.Bæbios,Fæſulas,Cęſtum,Nęuios,Lęcam,Lælios,Lænam,Lætorios,Læuinos, Læuam, Pæduceum, Pænã, Pænitet,Sæculum,Scæuolam,tædet,Cæſetios, diphthõgo uocalium quæ primæ ſunt;fecundum uerò,felix,fenus,feminã ſingulis tantum ſcribenda eſſe uocalibus per ſe diuinare ſine antiquorum auctoritate poſsit? Non ſum neſcius tamen,quædã naſci longa à breuibus, & habentia diphthongos ab ijs,quæ illarum ſunt expertia, ut Sæculum Varro ſcribit eſſe à ſene, uel ſequendo. Sed pauca huiuſmodi ſunt, nec alia ratio Orthographiæ põt eſſe certior, quã ut primos uerbo-

Orthographia quibus cõſtet rebus.

rum ortus,unde nata ſint,ſcrutemur. Scrupuloſa nimis cuiquam poterit uideri circa uerborum diuiſiones Quintiliani præceptio. Is.n. obſeruare nos iubet,utrũ conſonans litera quæpiam uerbi eiuſdem, quod ex duobus,pluribusue compoſitum ſit,ad priores,an ad conſequentes pertinere ſyllabas debeat.Qñ.n.Aruſpex poſtremam ſyllabam à uerbo Spectãdi natam habet,ad illam quinta ſemiuocalis iungi debet. Abſtemius uero, quia ex abſtinẽtia temeti compoſita uox eſt,eandem ſemiuocalem primæ eſſe ſyllabæ putabimus. Siquis aũt inaniter hoc præcipi exiſtimet,is alia huiuſmodi uerba cogitet, ubi manifeſtius erratur,ac turpius. Vtrumuis.n.quum dicimus, & quãuis,& quoſuis homines,& quaſuis tabulas,age ſecundã uel quintam ſemiuocalem pronunciando, refer ad ſyllabam poſtremam, quales eſſe riſus poterunt? Hoc tametſi ad legendi potius,quam ad ſcribendi rationem pertinet, huius eſſe loci putauerunt, quod ſcribendo ẽt hæ literæ ſyllabis,ad quas referuntur,eſſe uiciniores debent,à contrarijs autem longiuſculè remoueri. Neſcio, an putem nunc ad ſingula eſſe ueniendum. Video.n.diſcordes inter ſe literatorum hominum ſentẽtias. Video eſſe multa, quorum nulla ratio afferri poteſt, cur hoc, aut illo modo ſcribantur. Itaq; paucis de uerbis dicam ea, quæ minus inconſtanter ſunt ab alijs tractata. Deliciarũ nomen cognatum eſſe delicatis,nemo ignorat: unde ſequitur, conſonante ſecunda,non mutarum poſtrema,ſcribendum eſſe. Adſciſco,præpoſitione integra ſcribi,& corrupta poteſt, quæ corrumpi ſequente eadem litera non potuit in adduco, ubi præpoſitionis conſonans manet neceſſario. Seruandum aiunt idem in exſurgo,exſupero,exſulo, expecto,exſoluo,exſilium,exſcribo,adſcendo,adſpiro: unde, ſi aurium gratia placeat unam de conſonantibus auferre, ſciamus facere nos,quemadmodũ poſtulat rõ lenitatis. Exantlare, mutam liquidæ præpoſitam habet poſtremam. Auctoritas,& auctor,ſecundã in prima ſyllaba conſonantem. Oſtium,& Etruſcus,& Carus, & Caritas, & hinc nata,ſiue ad pretium referantur, ſiue ad affectionem animi, his nota aſpirandi nunquã erit. Fœcẽ,& cœlum,& cœpi,quarta uocali eſt ſecunda litera:otium,& negotium,& negotiari,mutarum ultima poſt quartã uocalem placuit antiquitati ſcribere. Concio uero, & conuiciũ,quia hoc à uocibus,illud à ciendo fiat, dubiũ non erit, quin ſecunda conſonante ſcribi debeant. Aduerbium Immo, geminata ſemiuocali ſecunda inuenio ſcriptum à doctis:nummum quoq; ſimiliter ſcribendum eſſe, cognitum habemus ex Trinummo, Plauti fabula: Multã uero ſine conſonante ſecunda ſcriptã uideo conſenſu

multorum.

multorum. Cunctari primã ſyllabã, ultima uocali, nõ quarta, ſcribi aiunt oportere, nec eſſe id à Cõto, ſed à Cunctus. Inchoare à Chaos nomine dictũ uolunt, quare prima in ſyllaba, nõ in media, aſpiratione eſſe debere. Solicitũ, & ſolenne, ſimplici prima ſemiuocali, ſecundum tamen, duplici ſemiuocalium tertia ſcribimus: unguo, tinguo, linguo, & ſimilia quædam poſtrema uocali poſtremæ ſyllabæ anteposita, ut à tinguo duci poſsit extiuguo. Cauſam uerò geminata ſemiuocali quinta ſcribere, negat Scaurus oportere. Cętera, aut rõne, aut conſuetudine, aut iudicio cuiusq; gubernari uolo. Lapides etiã, & inſcriptiones ueterum, eodẽ iudicio ac ratione adhibita ſi legantur, ſentio ijs multùm ad rectè ſcribendi ſcientiã nos adiuuari poſſe. Sin huiuſmodi ex monumentis ita nos inſtrui ad Orthographiã credimus, ut, neglecta uerborum natura, doctorum hominum recteque ſcribentium uſu, aurium iudicio, linguæ, pronunciationisq; ſuauitate, nihil pręterea ſit nobis requirendũ, incurramus neceſſe eſt in multa difficilia, quę nos ipſi, in ſermonis conſuetudinem induci minime debere, confitebimur. Hoc dicerẽ, ſi, quas iam dixi inſcriptiones, inter ſe nihil omnino unquã differrẽt. quid quod alijs in marmoribus, idẽ uerbum aliter ſcriptũ uidemus? Quid, quod noſtri homines aliter alia ætate quædã ſcripſerunt? Quid, ſi monumentorum nõ eadẽ eſſe debeat oĩum auctoritas? Eademne fides erit publicis operibus, ac priuatis? Quot aũt uel Romę ſunt, uel ubiq; priuatorũ hominũ ſe pulchra, q̃ uos pudeat imitari? Quãta uero ĩ ijs diuerſitas ẽ ſcribẽdi?

Pulcherrimũ nuper Aldus Manutius iunior Pauli F. de Orthographia librum cõpoſuit. Romæ, Italiæ, & Europę marmora cõquiſiuit. Pugnãtia quum uideret multa, illud arbitror cum riſu doctiſsimum adoleſcentẽ notauiſſe, quod idẽ nomẽ ſex modis olim in ijs eſſe ſcriptum cognouit, CONIVX, COIVX, CONIVNX, CONIVNXS, COIVNXS, COIVS. Nõ poterat in duarum ſyllabarum noĩe uarietas eſſe maior, & neſcio, an ex tã multiplici ſcriptura plus una uera eſſe poſsit. Eſto autẽ ex his probent duæ: tres ẽt cõcedãntur: imò (qđ fieri nõ põt) ſit ueritas in quatuor, quid reliquis faciẽdum erit, ſi nobis una tm̃, & cõſtantiſsima ſcribẽdi rõ quærit? Qđ igitur ad Inſcriptiones antiquorum attinet, primum illas equidẽ probo uehemẽter, ſi nõnullo adhibito iudicio legant̃, itáq; lectæ plurimum huic labori meo ꝓfuerunt. Deinde antiquiſsimis, & naturæ, cõſuetudini, ſuauitati, maxime cõſentaneis, maiorẽ auctoritatem cõcedi uelim. Tum in ijs, q̃ nata ſunt ex alijs, placet mihi, non tã ea, quæ ſunt in monumẽtis, quã primigenia, unde ꝓfecta hæc ſunt, cõſuli oportere. Itẽ

in uerbis coniunctis non ſemper, nec prorſus neceſſario, cenſeo faciendum eſſe, ut poſtremæ antecedentis, & primæ inſequentis uerbi oẽs literæ ſeruentur. Laudo.n. illius ingenium, qui mihi aperiat, expectandi uerbum quod paulo ante iam dixi, & exſcribendi, & exſtandi, & extruendi, præpoſitione Ex, & quinta ſemiuocali primis in ſyllabis eſſe conflata. Prodeſt.n. hoc ad etymologiæ quoq; rationem. Quod autem ad recte ſcribendum attinet, neq; eos reprehendo, qui unis uocalibus quaternas, aut etiã quinas iungere conſonantes, ob difficultatẽ nolunt, neq; uel Terentij Scauri, uel quorumuis auctoritate, ut contra fiat, audeo præcipere: & quintam ſemiuocalem in his uel ſcribi, quia ſic poſtulat natura, uel diſsimulari, quia uitanda eſt aſperitas, libentiſsime patior. In illis uero minus eſt aſperitatis ita; ſi ternis conſonantibus placeat ſcribere, exſaturo, exſilia, exſulo, exſupero, exſurgo, quemadmodum, Pontifices quoq; Maxſumi uti dicerentur, ex nimiùm antiqua ſcribendi conſuetudine, quidam renouare conati ſunt. Ad Inſcriptiones autem ut reuertar, quibus maximè Orthographiæ ratio adiuuatur, eas è nobiliſsimis quibuſq; operibus imitari nos cenſeo deber . Poſtremò, totum ad hunc locũ ſuadeo uehementer illud M. Tullij transferre: ut hic etiam ſuauitatis gratia peccare interdum liceat: ſciamusq; ſæpius, aliud uſum, aliud ſcientiam poſtulare, ut ex illo multa lenitati concedamus, hâc uerò nobis reſeruemus: & quoniam in marmor, & in æs quæ ſunt inciſa, non tantum à ſuis quæq; ætatibus, uerùm ex remotiſsima etiam antiquitate, uerba, aut uerborũ uoces, literasq;, ornatus loco mutuantur: nos illud quoq; iudicium ſequamur, ut, non quæ marmoribus antiquis, uel tabulis æneis, nummisue ex argento, uel auro, eadem conſuetudini apta eſſe omnia credamus. Multis.n. poſt occupatam temp. annis ut plurima in ſermone Latino duriſsima ne dicantur, ollos, & ſtlites, & oſſua in monumentis quibuſdam inuenio: ut mirum non ſit, etiam ſolo ex amore uetuſtatis, in diphthongis, aſpiratione, ac literis pene omnibus, mutationes, additiones, uel detractiones ſiquæ factæ eſſe uideantur. Tribus.n. his modis, id quod ignorabat nemo corrũpi orthographiã, aut corrigi, Scaurus ẽt ſcripſit. Nuper Salerni, quod fortaſſe aliquis nõ credat, ex factis Romanorũ fractas marmorũ tabellas quaſdã, quales Romæ in Foro, Paulo III. Pont. Max. repertæ ſunt; (utinam ex ijs plurimum legere potuiſſemus) in quibus erat ſcriptum, Q. MARCIVS. L. F. L. N. PHILIPPHVS. II. poſtremæ ſyllabæ Philippi nominis aſpiratione ꝓpoſita. Aliquid hic habeo, quod mirari; nihil, qđ imitari poſsim.

Q. MA-

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. III.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

QVAE de præſtantia, amplitudine, & æternitate ſermonis latini in procemio proximi libri diſſeruit, ex innumerabilium doctiſsimorum hominum ſententia ſe diſſeruiſſe cõprobat. Orationem octo in partes diſtribuit. Nominis defintionem è ueteribus traditam defendit. Articulos minimè negligendos eſſe, & occultos illorum in oratione latina ſenſus cognoſci debere diſputat. De nominibus Romanorum neceſſaria colligit. Cum patronymicis, ualde multas nominum formas notionesq;, præterea ad cognoſcẽdum maximè utilia proponit. De comparationum ac ſuperlationum gradibus, multa noua & pulcherrima docet, ex ueterum certiſsima loquendi conſuetudine ad uſum latinitatis neceſſarium perquiſita.

QVAE ſit accentuum ratio, quæ uerba à quibus nata ſint, quibusue ſimiles declinationum formas habeant, & hinc ducta ratione, quibus ea ſcribi literis oporteat, ſine magnis auctoribus neſcio an tractare uoluiſſem. Hæc.n. quatuor proximo libro ſum complexus, è quibus, alij antiquorũ obſcuriſsimam eſſe multis in uerbis analogiam cognouere, alij propter inæquabiles rationes declinandi, analogiam omnino ſuſtulerunt. Quapropter hactenus feci ut non à M. Varrone tantum plurima transferrem, ſed à Cicerone etiam ſæpius nonnulla acciperem, & à Verrio Flacco & alijs quibus potui inueſtigarem, ut hominum doctiſsimorum uel auctori-

tate meam ſententiam tuerer, uel communicatione erroris à ſe ueritate nimia reprehenſionum alios retardarem. Quid autem ipſa de orthographia dicam, recte ſcribendi magiſtra? Eius.n.exempla in marmoribus etiam antiquis non ſolũ diuerſarũ, ſed eiuſdem ætatis, inter ſe pugnantia fuere. Itaq; ſpero nos mediam, quandã ſequutos eſſe uiam, ut ex natura uerborum, uſu recte ſcribẽtium, ſuauitate pronunciandi, auctoritate doctorũ, adhibita ratione ac iudicio, rei inconſtantiã tẽperaſſe uideamur. Nunc uero, antequã ad ea uentũ ſit, quę propria ſunt huius libri, quũ de uſu & cauſa latinitatis ex animi mei ſententia diſputauerim ſupra, quæ ego rectiſsima eſſe crederẽ, placet hoc loco, doctiſsimorũ hominũ iiſdem de rebus, & lingua orbis terrarũ ſententias explicare. Intelligi.n.uolo de quamplurimorũ iudicio doctiſsimorũ hominum, quid me, quid mortales oẽs, aut iſtos potius, qui latinitatẽ oppugnant, ſentire oporteat. Quid porrò iudicare putamus eos, qui ſemper his in ſtudijs uerſentur, nunquã à latinis literis diſcedant? Quantus uerò latinè loquendi ſplendor in Sadoleto ſeniore enituit? Vtinã hic à Paulo III. Põt. Max. ad ſummũ gradũ honoris cooptatus nõ fuiſſet. Cõſtituerat.n.id, quod M. Tullio ſimul cũ uita ereptum fuit oẽm philoſophiã latinis literis illuſtrare, quod ſtudijs Europæ, & exiſtimationi Italiæ multo pulcherrimũ, & illius, latinoq; nomini uniuerſo illuſtrius accidiſſet. Vides tamen, ut ſumma uir ſanctitate, & ſingulari modeſtia auderet ea de ſe polliceri ex fiducia latinæ orationis, quę tot ſæculis erant uno tantum à Cicerone cogitata, & optandũ eſt præſtantibus ſcientia uiris aliquando in mentẽ uenire. Huius collega Bembus fuit paribus ſtudijs & eloquentia, niſi uoluntas quædã iuuentutis, eũ ſequuta eſſet ad ſenectutẽ, ut multa aliter, quã latine, ſcriberet. Eodem ex Collegio nobiliſsimi uiri Caſparis Cõtareni, magna abditiſsimarũ rerũ & elegantiſsima ſtudia fuerunt. Huius de republica Venetorum, & prima de philoſophia ſeptem libri declarant ei conſilium & facultatẽ non defuiſſe eã, quæ Sadoleto, & Ciceroni fuit. Vixit hic tamen in ſuæ reip. ſummis occupationibus: deinde, ingraueſcente iam ætate Cardinalis factus, ex legatione Germanica, alteram coactus eſt legationẽ Flaminiã obire, in qua eſt mortuus, ut nũquam ei ſuas licuerit pulcherrimas cogitationes explicare. Nondum ab illius ordinis poſſum clariſsimis uiris diſcedere. Quis.n. Gregorij Corteſij nomen, Reginaldi Poli, Benedicti Accolti, Adriani Caſtellenſis, Hieronymi Seripandi, in ſermone de literis præterire ſine iniuria literarũ poſsit? Certat in his perfecta doctrinarum cognitio, cũ antiqui-

tatis,

tatis,literarũ omnium,& orationis faciendæ ſcientia. Eũ uero, qui minimum ſcripſit,Corteſium, non uereor equidem uiris illis Romanorum doctiſsimis conferre. Duos addam Collegij eiuſdem homines,Hieronymũ Aleandrũ,qui iampridem eſt mortuus,& Gulielmũ Sirlætum cuius ego Romæ doctiſsimis olim ſermonibus & conſuetudine ſanctiſsima fruebar. Nunc cum, ab honoris ampliſsimi gradu,oẽs boni expectant ad maiora. Verumtamen in doctrinis, & linguarũ ſcientia his duobus ne cogitando quidem fingi poteſt aliquid excellentius. Conueniant licet omnes, qui ſtudio latinitatis aiunt impediri nos à ſumma illa, & perfecta antiquorum hominũ ſciẽtia: horum doctrinæ oẽs,cum literis omnibus coniunctæ declarant, magno errore illos teneri. Oſtendant mihi enim,quid his latinę literę, quid Græcæ obeſſe potuerunt,quid lingua Iudæorum,uel Chaldæorũ,uel Arabũ, adeptiones oĩum ſcientiarum aut his ipſis aut cæteris remoratæ ſunt? Contra uerò atq; opinantur, non illa modo barbaries,quam ſolá, & miſeram latinitati, Dijs atq; hominibus inuitis, opponunt,ad eas nihil afferre poteſt conſequendas, ſed (quod miremur licet) nemo unquam apud nos præſtitit ullo in genere doctrinæ,qui non idem ſermonis Græci, & Latini exactiſsimam ſit ſcientiá cõſequutus. Simul oẽs recordare, ſingulos enumera qui poſt Romam conditã ad noſtrã uſq; memoriam fuerunt. Hoc ergo quando uerum eſt, ſiue cauſas effectrices atq; apertas habeat, ſiue arcana ui numineq; diuino fieri dicas,illud non dubium eſt, ſciẽtiarum cognitiones etiam,eos tollere de mundo qui Latinam linguam de ſtudiis, & Græcam tollere conantur. Eam tamen, ex illorum, quos dixi,manibus auferre non poterunt,aut aliorum præterea innumerabilium, ac doctiſsimorum hominum. Habetur hoc in numero Antonius Auguſtinus qui prudentiam iuris, hoc ſtudio, & literis omnibus ornabat olim Romæ Duodecimuir litibus iudicandis,nunc Ilerdæ Pontificatum gerit. Ad maximam philoſophiæ & rerũ diuinarum ſcientiam, latinitatis, & elegantioris diſciplinæ ſplendorem adiunxit Carolus Bouius, quem Philippus Rex nuper ob uirtutem & ſtudium religionis Vritanorum Pontificatu & Brundiſinorum affecit. Inter magnos patronos hodie, quamplurimos, Neapoli principem locum tenet Federicus Viualdus cui propter ſtudium latinæ linguæ in illa urbe iuris ſtudioſiſsima,non eſt quem uel magnitudine ingenij, uel interioribus literis, uel artificio ſcribendi uel ſplendore orationis uel ſuæ præſtantia diſciplinæ, audeas conferre. Ipſa per ſe loquitur, nec eget prædicatione mea ſingularis ele-

gantia ſcribēdi, ſingularisq; doctrina, uel Romuli Amaſei, uel Franciſci Robortelli, uel Pauli Manutij, uel Sebaſtiani Corradi, uel M. Antonij Flaminij, uel Iulij Pogiani: item Lazari etiam Bonamici, Caroli Sigonij, Petri Victorij, Achillis Statij, Michaelis Bruti, Petri Perpiniani, hominum, quos in hac laude non dubites ipſa cum Romana antiquitate conferre. Ex his quos dixi, magna te frater ante hoc biennium Romę allexit Perpiniani uirtus, & acumen, ſuauitasq; latinè loquendi, diſputandi, ſentiendi. Nunc homo Hiſpanus, ad humanitatem, ad religionem, ad hæc ſtudia natus, uehementer diligit utrunq; noſtrum. Miſit ad nos Luſitania Achillem Statium: ſed eum pulcherrima ſui ſtudij monumenta poſteritati commendabunt. Mittit Gallia quotidie plurimos, nec uolo contemnat quiſquā Dionyſij Lambini, M. Antonij Mureti, Petri Rami, Perionij, Cormæriaceni ingenium, qui ſeipſos iam apud omnes pulcherrimè ſcriptorum copia illuſtrauerunt. Perionio quidem certè neſcio an ulla ætas habuerit in oratione facienda concinniorem, aut alium à quo dicas latinę orationis copiam, aut ſermonis elegantiam, atq; uſum dicas aliquando magis adiutum fuiſſe. Docuit.n.primus apud Gallos, (quod antea philoſophis fieri nō poſſe uidebatur) quomodo philoſophiæ partes omnes & reliquæ diſciplinæ purgatiſsima oratione & ſplendore uetere illo Romanorū explicari pulcherrimè illuſtrariq; poſſint. Itaq; nobis, & gloriæ, immortalitatiq; ſuæ, multam ac pulcherrimam Tranſalpini homines ad hanc rem, ampliationemque latinitatis operam nauare ſolent. Sed ex noſtris cognomi plurimos, uel quos iam dixi, uel quos infinitum eſſet nominatim ponere. Quis enim ſe uel Antonio Minturno, uel Iano Cæſario, uel Conſtantio Sebaſtiano, uel Braccio Martello, uel Ioanni Baptiſtæ Arcucio, uel Donato Caſtilioni, uel Petro Roſino, uel Theophilo Zymaræ, uel Fumano, Lollio, Abſtemio, Galleſinio, æquales promittat omnes eſſe dicturum? Octauij autem Pantagathi grauiores illæ Muſæ, & arcanæ, domi tantum, & intra domeſticos parietes ſemper, cum doctiſsimis loquuntur. Hic nobis uir, ut Gabrieles etiam Trypho ueterem Socratis illum renouat morem, ut alijs communicare malit, quæ ſcribat. Infinitum prætereo numerum, nec de omnibus dici poteſt. De poetis autem reſeruaui mihi, ut poſtremo libro dicerem. Nunc uolui barbariæ patronos intelligere, turpiſsimum eſſe illis, in tanto lumine ſuas tenebras, carboneſq; extinctos nominare. Sed uenio, ut iam de nomine, prima orationis parte, dicere aggrediar. Ac primū de litera, ſyllaba, & ijs, quæ

ſyllabam

ſyllabam attingunt, arbitror mihi adhuc dictum ſatis. Dictio nunc ſequitur, ideſt minima ut græci dixerunt, indiuiſibiliſque pars componendæ orationis, ut mare, planta, uirtus. Nec ſolum nomina, ſed partes omnes complectitur, ut Scribo, Legens, Qualis, Extra, Clementer, Heu, Atque. His enim oratio omnis conficitur, quæ eſt dictionibus conſtans, abſoluta ſententia. Huius porrò ſunt partes quę ſequuntur, quibus omnibus etymologia, & analogia moderatur.

Tertia pars grammaticæ

Natura enim (Varro ait) omnis tripartita oratio eſt, cuius prima pars, quemadmodum ſint uocabula rebus impoſita, oſtendit, ſecunda, quo pacto de ijs declinata in diſcrimina ierunt; tertia, ut inter ſe ratione coniuncta ſententiam afferant. Quam tertio loco poſuit, ea eſt recta uerborũ cõpoſitio, quã σύνταξιν dixerunt. Hæc proprium locum non habet, ut ſuperiores duæ, ſed ubique diffuſa omnem gubernat orationem, & ratione ſingula uerba diſponit, ut latinè, ut propriè, ut eleganter, ut emendatè dicatur. Itaque de literis, de ſyllabis, de ſyllabarum temporibus, toniſque earundem, etymologia etiam, analogia, orthographia, quæ compoſitione priore ſunt, ſatis mihi dixiſſe uideor: accedo nunc ad orationẽ, cuius (ut omittam quæ inutiliter hoc loco diſputari ſolent) octo ſunt partes, nomen, uerbum, participium, pronomen, præpoſitio, aduerbium, interiectio, & coniunctio. Huic numero M. Varro illam rationem ſubiecit, ut quædam ſint ex his partibus quæ habeant caſus, & nomen, & pronomen, quædam tempora, ut uerbum, quædam utrunque, ut participium, alia neutrum, ut quatuor indeclinabiles. Pronomen verò primi loci fuit, quod caſus habet, & huius poſtremi eſſe poteſt, quod temporibus caret. In his interiectio à Græcis numerata non fuit, à nobis hinc ratio articulorum detracta. Primum locum atq; partes nomini & uerbo ipſa dedit natura. Hæc enim duo ſunt quæ perfectam ſine aliarum ope orationem ac ſententiam reddunt; ut Plato ſcribit: Homines laborant. Tametſi nomen hanc uim ſuam communicat etiam pronomini, ut; Nos proficiſcimur. Illi reuertuntur. Quamobrem eleganter & propriè illud extitit à doctiſsimis Græcorum; τῶν δὲ τοῦ λόγου μερῶν τὰ πρῶτα εἴληχε τοὔνομα καὶ ῥῆμα. Vniuerſi enim ſermonis uim ſi quærimus, ea tota eſt in uerbis, ad materiem uerò ſi reſpicere uelimus, ea poſita eſt in nominibus. Aliæ orationis partes, nomini & uerbo inſeruiunt & hæc duo ſine cæteris abſoluere ſententiam, reliquæ uerò omnes ſine his duabus nullam poſſunt. Sed pergam quæ inſtitui explicare. Literis igitur ſyllabas, ſyllabis, dictiones, dictionibus aptè coagmentatis orationem

Pulchra elegansque diuiſio Varronis

Partes orationis.

nem fieri, multis uerbis in primo περὶ συντάξεως Apollonius, Alexandrinus diſſeruit. Nobis uerò ſit ſatis quod homo diligentiſsimus admonuit oſtendiſſe. Nemo eſt enim qui ſimilitudinis illius partes omnes intelligere non poſsit. Itaque hæc non perſequar longius ad quæ non præcepta, uel ratio, quomodo ſeſe res habeat, explicare oporteat, ſed tacitam cogitationem adhibere ſatis eſt. Ac ne illud quidem neceſſarium putaui, quod hic & alij ueteres de numero partium orationis quæſiuere. Nam quod ſolum nomen & uerbum Peripatetici eſſe uoluerunt, mihi putidum fore exiſtimaui ſi noſtræ & illorum ſcientiæ diſcrimen afferrem. Nec ſanè interſit cuiuſquam in eo immorari, ut probem ſine his duabus partibus, quemadmodum dixi nullam orationem poſſe conſtare. Acceperunt enim docti homines illud Apollonii exemplũ in quod is auctor omnes partes orationis, coniunctione excepta collegit ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος ὀλισθήσας σήμερον κατέπεσεν. Auferunt hinc aduerbium, auferunt participium, tamen oratio manet integra ὁ αὐτὸς ἄνθρωπος κατέπεσεν: deinde ſublato articulo, ſublato pronomine, ſublata præpoſitione, ſententia ad huc perfecta eſt, ut ἄνθρωπος ἔπεσεν unde nihil amplius auferri poteſt. Hæc nota quum ſint omnibus, mihi ad quæ ſunt magis neceſſaria maturandum fuit, ut nec illud anxiè quærendum ſit quæ, quibus partibus orationis, priores à natura poſteriores ue putandæ ſint, & ordine potius quem plurimi auctores eſſe naturalem credidere, prætermiſſa nimium ſubtili eadere diſputatione contentus eſſe uelim. Itaque nunc ad ſingulas accedendum eſt, ſi de articulis etiam ante uidero num dici aliquid admo neriue utiliter poſsit. Apud nos uim habent in oratione occultam, quæ ſemper legendo, aut ſcribendo, & ſi non expreſſa in oratione, animo tamen cogitata prouideri debet. Si enim dicas; Pueri uenerunt, & mille omni in genere ſermonis huiuſmodi exempla, quemadmodum in octauo libro dicam de relationibus, dubium ſemper fiet, utrum in his ea ſit quæ prima cognitio à Græcorum doctiſsimis nominatur, an ſecunda ideſt utrum certis de pueris, an de quibuſcunq; intelligi uelimus. Nam ſi de rebus perſoniſue ante cognitis loquendum eſt, articulorum ope ſola, ea cognitio declaratur οἱ παῖδες ἦλθοσαν. Quod ſi ea cognitio non ſit (ita enim loquitur Apollonius) eſſe in oratione articuli non debebunt, quorum tanta uis eſt, ut ſæpius latinè dum loquimur, aut legimus, niſi tacita in animo de ijs cogitatio ſit, res perſonaſue alias pro aliis dicere uideamur. Nam partes illas pronunciatorum quas dialectici ſubiecta & attributa uocant

cant, accidit ſæpe, ut articuli tantum uel in ſermone græco expreſſi, uel apud nos cogitati deſtinguant. Dicatur iiſdem caſibus, quod ſubiectum & attributum eſt. Putaui Salernum eſſe Baias, dubium eſt utrum error fecerit ut Baiæ pro Salerno an Salernum pro Baijs crederetur. Adhuc mille eiuſmodi; Non decet bonos, malos putare: utrum bonis uitia malorum attribui nolumus, an malis uirtutes bonorum. Ita enim hæc in noſtris de arte dicendi libris oſtendi ſolere Græcos aperire, quemadmodum Sophocles;

Οὐ γὰρ δίκαιον, οὔτε τοὺς κακοὺς μάτην
χρηστοὺς νομίζειν, οὔτε τοὺς χρηστοὺς, κακοὺς

Illo etiam in loco ſacrorum, θεὸς ἦν ὁ λόγος, poſtremo in uerbo eſſe debere articulum, quia, id ſubiectum ſit, uerbi, quod eſt in principio Chryſoſtomus admonuit. Quam plurima in ſacris omnibus exẽpla ſunt quæ aliud cum articulis, aliud ſine ijs oſtendunt, ut ex mille. ὁ προφήτης εἶ συ, καὶ ἀπεκρίθη, οὔ. Quis enim aut quotus quiſq; ex ijs qui græce ſcripta, ignari ſermonis Græci (ſi diis placet) nobis interpretantur, non de locis huiuſmodi infinitis riduculè diſputare ſolet. Quamobrem ad eos tantum hæc mea cohortatio pertinebit qui latinè ſcribunt aut legunt, recte ut uideant, ne quid eos legendo, aut ſcribendo fallat, quod in rebus ẽt grauiſsimis græcæ linguæ ignaros neceſſario fallere conſueuit. Suis in ſcriptis, aut aliorum ſcrutentur, nunquã abſentis articuli uis cogitari debeat, quã ſentẽtiam quibus iam dixi, aut alij ad huc modis commutet. Nã præter eos qui theologiã & qui ſacra nobis primi, auctores diuini tradiderunt philoſophi etiã ueteres hæc maximè fecerũt. Ariſtoteles enim in primo librorũ quos de cœlo conſcripſit, ita rem terminauit, ἕτερον ἄρα ὁ ὁ δὲ ὁ οὐρανὸς, καὶ οὐρανὸς ἁπλῶς. Ego nũc redeo ad illud, articulos uidelicet non eſſe qui à grãmaticis, & ueterũ quoq; doctiſsimis nominantur. Horũ crebra apud M. Varronẽ mentio eſt, ſed libro nono pleniuſcula, ut; Relinquitur de articulis, in quibus, quædam eadem quædã alia. De quinque enim generibus duo prima habent eadẽ quod, ſunt & uirilia, & muliebria, & neutra, & quod alia ſunt ut ſignificent unũ, & alia ut plura, & de caſibus quos habent quinos. Nã uocandi uoce notatus nõ eſt. Propriũ illud habẽt, quod partim ſint finita, ut Hic & Hæc, partim infinita, ut Quis & Quę quorũ, quod adũbrata & tenuis analogia, in hoc libro plura dicere non neceſſe eſt. Vides ut Quis & Quę inter articulos numerat quemadmodum Græci Ὅς Ἥ Ὅ. Immo uerò etiam illos, Ὁ Ἡ ΤΟ, pro Hic, Iſte, Ille, ut;

τονδὲ ἐγὼ οὐ λύσω

Ignorantia, negligẽtiaue articulorum

Hic

Hic autem & Hæc, tantum ad notandas generum differentias, articulorum loco ponimus, ut ſeptimo libro idem Varro; Sic itaque ea uirilia dicimus non quæ uirum ſignificant, ſed quibus præponimus, Hic & Hi, & ſic muliebria in quibus dicere poſsimus Hæc & Hæ. Illud autem genus articulorum, quod initio poſui, quodque non genera, ſed res ac perſonas diſcernendi cauſa repertum eſt, non eſt qua latina uoce ſignificare poſsimus, quod tametſi inter pronomina à ſtoicis poſita eſſe dicantur, uim tamen quæ dicta eſt ſeu aliquã, ſeu nullam ex partibus orationis articulũ eſſe ſtatuamus, amittere non poteſt, ſed ingredior hinc ad primam orationis partem. Primum

Nomen quid. igitur nomen eſt pars orationis, cum caſu, corpus, aut rem, propriè, communiterue ſignificans. Non malam hanc nominis definitionem à Donato traditam putaui, quam Priſcianus tantum quod non iiſdẽ uerbis reddidit. Cum caſu uero dictum eſt, quo declinabilem eſſe partem orationis, & caſibus declinabilem eſſe intelligeremus. Quod autem corpus, aut rem ſignificare dixit, propter nomina dixit rerũ, quæ ſub aſpectum cadunt, & uideri tangiue poſſunt, ut lignum, domus, templum, ſol, cœlum, ſydus, & quarum ſola eſt intelligentia, ut numen, iuſtitia, uirtus. Illa priora Quintilianus uocabula ſcripſit à quibuſdam eſſe nominata, hæc autem poſteriora, appellationes, at Varro hæc ita diſtinxit, ut nomina conſtituerit, illorum eſſe generum, qualia ſunt urbs & flumen: uocabula eiuſmodi formarũ, ut Capua, Vulturnus. Duo uerba propriè communiterue, in definitione ſunt poſita, unum cauſa nominum illorum, quæ propria ſunt hominum, Deorum, aliarumue rerum, ut Cato, Mercurius, Garumna, alterum, quia illa etiam nomina intelligenda erant, quæ ſpeciei cuiuſque ſunt, & generum communia ſingulorum, ut homo, Deus, animal, taurus, flumen. Quod autem alia definitione dixerunt etiã hanc orationis partem ſubſtantiæ eſſe & qualitatis, rectiſsime dictũ eſſe arbitror. Illi enim docti homines, (quod fieri etiam ſolet) ſecundo in uerbo tertium, ideſt quantitatis etiam intellexerunt. Nam ſi decem ad illa prima rerum genera, quæ ſunt propria philoſophorum hanc rationem placeat referre tria hæc tantum eſſe in nomine cognoſcemus. Immo adeo tempora etiam & loca his primis duobus philoſophorum generibus docti homines complexi ſunt. Quæ ſubſtantiæ (utar enim his nominibus tanquam neceſſario receptis) extitere ex iis, illa nomina, quæ nouè quidem, nec latinè, ſed appoſitè ad ſignificandum, nominauere ſubſtantiua ut mons, lignum, domus. Ex iis uerò quæ ſunt qualitatis, quantitatis, uel temporis, uel

loci,

loc, nata ſunt quæ dici uoluerunt adiectiua, ut molle, altum, uetus, diuturnum. Aelius uerò quem dixi Donatus, tantum corpus nominauit, quæ definitio cum falſo latius patere quibuſdam ſit uiſa, quam id quod definitur,& pronomina etiam complecti, non mirabimur ſi ad nomina ſaltem adiectiua, is auctor grauiſsimus uoluerit etiam pertinere. Quum duo ſint enim uerba quibus definitio abſoluta eſt, corpus & res, ſecundum uerbum, & ſi mihi hoc loco neceſſaria non ſit illa ratio dialecticorum, ut ſupra omnia ſumma genera id eſſe uelim, tamen hoc habet à natura ut qualitates etiam ſignificare poſsit. Nam quantitates (iam triuit enim hæc uerba conſuetudo philoſophorum) nemo ad huc reprehendit quod nomine definiendo uſurpatæ non ſint, quum tamen plura etiam (ſi moroſi nimiumque ſubtiles eſſe uolumus) prætermiſſa uidebuntur. Nomina ſunt enim ſubſtantiæ, ut lignum, qualitatis, ut ater, quantitatis ut altus relationum ut nepos, loci ut Argiletum, temporis ut ſeculum. Non hæc igitur omnia, ſingulatim complecti definitio debuit & ſatis eſſe poteſt, quod uno rerum uocabulo, qualitates ideſt adiectiua etiam nomina ſignificata ſunt. Neque his aſſentior qui Aelium reprehendentes aiunt hac definitione, etiam pronomina cõtineri, quod illis ineſt etiam, ut corpus aut rem ſignificent. Non enim propriè à ſuaque natura habent pronomina quod arbitrantur, ſed à nomine hoc ipſum illa accipiunt. Dicatur enim liber, nauis, lignum, intelligo ſtatim quid hæc uelint: at ſi dictum ſit Ego, Tu, Ille, Qui, neceſſario intelligendum prius eſt quas nam ad res perſonaſue referantur. Nam, corpus aut rem per ſe ac ui ſua nomen ſignificat, pronomen uerò ope ſola nominis. Porrò, nomini cuilibet, una tantum ſubiecta uis & certa ratio eſt, pronomen uerò perſonis, rebuſque omnibus datur, ut ne cogitari quidem ſit omnino aliqua res, de qua non Ego, Tu, Ille, Qui, uel pronomen dici aliud non poſsit. Diſcrimen illud per magnum eſt, quod nomen ad res, pronomen uerò ad nomina demonſtranda natum ſit, & ſtultum eſt nomen ipſum, & quod nominis loco ponitur idem eſſe exiſtimare. Corpus denique, aut rem ui ſua pronomen demonſtrare ullam non poteſt. Nomen conſequuntur (ut Priſciano placuit) ſpecies, genus, numerus, figura, caſus. Nolui perſonam quoque nomini ſecundam ac tertiam, attribuere, quod Græcorum non indocti quidam homines fecerunt, ut Socrates, ò Socrates, patronus, ò patrone. Noua enim res in grammaticæ latinæ ſcientia, nec mihi neceſſaria uidebatur. Speciem nobis in primitiuam, ac deriuatiuam grammatici

tici diſtributam dederunt. Mihi uero conſtitutum eſt, niſi præter naturam artis diuiſum, aut contra rationem latinitatis aliquid præceptum ſit, his in libris, quam minimè poſsim ab illis diſcedere. Primitiuam igitur ſpeciem dicunt eorum eſſe nominum, quæ primigenia ſint, nullisque à nominibus aliis naſcantur, ut mons, terra, mare: deriuatiuam eſſe aliorum, quæ ex his primis ortum habent, ut montanus, terrenus, marinus, Vtriuſque ſpeciei nomina tum propria ſunt ut Pompeius & Pompeianus, tum ea quæ ſpeciei cuiq; dixi communiter conuenire, quæque appellatiua nominantur, ut ſylua, & ſylueſtris. Itaque ſunt nomina ſubſtantiarum, à quibus appellantur ſubſtantiua, ut paries, tectum, domus: ſunt quæ à uerbo adijciendi nomen acceperunt, quod ſubſtantiuis adiuncta, illorum qualitates uel quantitates declarent, ut fortis, magnus, albus. Hæc duorum ſunt generum: nam uel tribus diuerſis uocibus declinantur, ut magnus, uel tribus articulis, ut fortis. Ac primùm de proprijs nominibus hominum illud ſcire oportet, non eandem ſequutos eſſe rationem Græcos, & Romanos. Illis enim ſingula fuerunt nomina, ut Socrates, Plato, Alexander, noſtris autem uel bina, ut P. Vatinius, uel terna, ut M. Terentius Varro, uel quaterna etiam, ut Q. Cæcilius Metellus Creticus. Publius autem, uel Marcus, uel Quintus, uel cætera, quæ aliis præponuntur, Appius, Aulus, Caius, Cnæus, Decimus, Seruius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, prę nomina ſunt, quibus inter ſe fratres, aut ciuſdem familiæ plures diſcernãtur. Hæc uel ſingulis notãtur literis, ut A. Poſtumius uel binis, ut Cn. Põpeius, uel ternis ut Sex. Roſcius. Quod ſecundo ponitur loco, nomẽ eſt familiæ totius, Vatiniorũ, Terentiorũ, Cæciliorum, Poſtumiorum. Sunt hæc gentiũ ſingularum propria, ut prænomina ſingulorum hominum. Tertio autem loco ſunt hominum, aut familiarum cognomina. Terentij enim Varrones cognominati ſunt: & Porcii, Catones: & Iulij, Cæſares: & Sulpitij, Galbæ: & Claudij, uel Pulchri, uel Marcelli. Sed pulchri ad patricios, Marcelli ad plebeios pertinebant. Cornelij uerò, Lentuli, Syllæ, Scipiones, Dalabellę. Papirios etiam, uel Mugillanos, uel Craſſos, uel Curſores, uel Maſſones, uel Turdos, uel Pætos, uel Carbones, alios alia ætate dictos fuiſſe legimus. Quin etiam cognomen idem diuerſis familijs, aut plurium familiarum hominibus data eſſe, uel hoc inter alia multa ſit argumentum, quod Papirijs quibuſdam Liciniæ gentis cognomen fuiſſe ex his, quæ diximus apparet, ut Papirij, Craſsi dicerentur. Quartum uerò tenet locum agnomen, cuius non ualde crebra

bra mentio in libris eſt Romanorum. M.enim Tullius,&ſi non refugiat interdum agnomen dicere, huius tamen loco ſæpius cognomen uſurpare conſueuit. Nam de amicitia in principio Catonem dixit cognomen iam habere in ſenectute Sapientis. Vſitatius illud eſt in oratione pro Sex.Roſcio; Duo iſti Roſcij, quorum alteri Capitoni cognomen eſt, iſte,qui adeſt, Magnus uocatur. Nomen etiã pro cognomine ſæpius dictũ eſt,ut Sex.Clodius, cui nomen eſt Phormio. Eſt igitur agnomen, ſeu mauis dicere cognomen,quod homini ex uirtute, aut euentu aliquo imponitur, ut Creticus, Africanus, Aſiaticus, Diues, Magnus. Ex his tametſi (uti iam dixi) quędam unius familiæ propria, diuerſis familijs darentur,plurimum tamen proprietas cuſtodiebatur, quod fieri circa prænomina etiã ſolebat. Mutãt aliquando rectum hunc ordinem auctores,ut Criſpus Salluſtius. Quidam ſolis cognominibus notabantur, ut Cato,Cæſar, Craſſus, Lentulus; quidam nominibus, ut Fabius, Ventidius, Horatius: hinc leges nominatæ ſunt, Iulia, Tullia, Aquilia,Sempronia. Fœminis dari prænomen, cognomenue moris non fuit. Itaque plures in eadem familia, ac domo ſorores, alia Prima, alia Secunda, alia Tertia, uel deinceps ex naſcendi ordine dicebantur. Scio equidem prænomina illa quondam ijs fuiſſe pauciſsima, Rutilia, Ceſella, Rodicilla, Caia, Lucia, Publia, Mauia: ſed nolo tamen hic multis diſputare, & profecto res eſt ipſa longior, ſed mihi vulgatiſsima de conſuetudine, quotidianoq́ue uſu tantum puto eſſe dicendum. Qui enim ſimpliciter in quæſtione hac dicat mulieres etiam uſas prænominibus fuiſſe, næ is auditorem ſuum in errores impellat. Nam ratio prænominum minimè eadem in fœminis, atque in uiris fuit. Quare de his uel tacendum fuerat, uel pleniuſcule, diuerſeq́ue diſſerendum. Nemo enim de uiris ſine prænomine, rei publicæ temporibus, quum multa milia feminarum dici poſſint quarũ nullius prænomẽ commemoratum aliquod ſciamus. Quamobrẽ ſint hæc à me ſatis:reliqua uideamus huius loci. Sunt in his ẽt nomina adoptionũ,quarũ eiuſmodi rõ fuit,ut P.Clodius exẽpli gratia à M.Fonteio adoptatus ex Fõteiorũ nomine,M.Fõteius Claudianus dici deret. Nã,qui in aliã adoptabatur familiã,ei nomen ex familia capiũdum erat,in quã adoptabatur, ſuę familiæ nomine ſeruato, ſed hmõi in formã uerſo,ut è Clodio fieret Clodianus,è Tullio Tullianus, Aemilio Aemilianus,quo T.Põponius Atticus ab auũculo adoptatus,ex noĩe illius,Q.Cecilius Põponianus Atticus nominari cœptus eſt. A quo ciuitate ẽt,aut libertate quis donatus eſſet ab eodem

gentis

gentis nomen capiebat, ut à Cæſare, Craſſo, Cicerone, Iulij, Licinij, Tullij dicerentur. Proprij nominis, & appellatiui genera multa ſunt, ut quę iam dixi ad res corporeas, uel incorporeas referri, ut liber, & uirtus. His addunt ὁμώνυμα quorum ex una uoce plura intelliguntur, ut nepos, canis, turdus, & his contraria; συνώνυμα, quorum nominibus diuerſis res una demonſtratur, ut enſis, gladius, mucro. Quædam generis, ut arbor, animal, uirtus. Quædam ſpeciei, ut quercus, homo, prudentia. Alia ſunt uniuerſitatis, ut omnis, cunctus, quilibet, quicunque, uniuerſus. Alia faciunt, ex ijs, quæ cum aliquo conferuntur, ut filius & pater, dux & miles. Alia non omnino quidem, ſed quaſi cum aliquo conferri dixerunt, ut nox & dies dextra & ſiniſtra, lux & tenebræ. Alia gentis, ut Ligur, Sabinus, Etruſcus. Alia patriæ, ut Romanus, Tyburtinus, Mutinenſis, Salernitanus, Camers. Alia interrogandi, ut quis, quot, qualis, & quantus. Alia infinitatis, quorum ſunt eadem exempla, quæ interrogandi, & ſono uocis graui ab illis diſtinguuntur. His germana ſunt relationis eiuſdem exempli cum interrogandi & infinitatis, ut eadem exempla tribus his poſtremis generibus conueniant. Quædam alia multitudinis, ut gens, populus, turba. Quædam diſtributionis, ut alter, uterque, uteruis, utercunque, alteruter, ſinguli, bini, terni, centeni, milleni. Quædam ficta, ut grus, turtur, grunnitus, balatus. Quædam ordinis, ut primus, tertius, centeſimus, milleſimus. Quædam numeri, ut unus, duo, centum, trecenti, mille. Quædam dici uoluerunt abſoluta, quæ per ſe intelligantur, ut Deus, Mundus, Cœlum. Quędam temporis, ut annus, menſis, dies. Quædam loci, ut propinquus, longinquus, proximus, uicinus. Nunc reliqua ſunt quæ Patronymica dixerunt. Hæc proprie à Græcis patrum nominibus fiunt, per quam raro à Latinis. Poetæ ſolum his (præter comicos tamen) utuntur. Nam, quod à Cicerone æacidarum genus dictum eſt, non patronymicum, ſed familiæ nomen eſſe uoluit, à Romanis nominibus Memmiadem Lucretius, ornandi gratia nominauit, & uirtutem Scipiadæ Horatius, & Scipiadas cladem lybiæ Virgilius, quod heroico in uerſu dici aliter uix poſſet. Ducta inuenimus etiam à nominibus matrum, fratrum, ſororum, auorum, patriæ, Regum. Quatuor hæc literarum terminationes apud nos habent, Priamides, Atlantias, Libetris, Nerine. Sed poſtremi exempla non adeo ſunt multa, ut Adraſtine, Acriſione, Nerine, ab Adraſto, Acriſio, Nereo. Ex his quædam perincommodè à forma latinæ declinationis ducuntur, & neceſſe eſt ad Græcam ea rationem potius,

Nominaquę dicunt patronymica.

rius referre, ſed ego maxime, Latinis poetis uſitata, quoad eius fieri poteſt, ad latinas nominum declinationes accommodabo. In prima igitur à ſingulari genitiuo formatur, diphthongi corripienda ſyllaba, quæ antecedit ultimam, & in locum ultimę ſuſtituendo DES, ut Anchiſes Anchiſæ Anchiſiades, altera breui ſyllaba ante breuem poſita, ne contra uerſus heroici legem una ſit breuis inter duas longas, ut;

Tros Anchiſiade facilis deſcenſus auerni.

In ſecunda eodem à genitiuo ſingulari, ut Priamus Priami Priamides, Menœtius Menœtij, Menœtiades. Ergo, quæ duo II. habent in genitiuo ſingulari, uocalē ultimam uertunt in A breuem. In tertia à datiuo, ut Neſtori Neſtorides, Antenori Antenorides. Sic Amphitrionides atq; huiuſmodi cætera, niſi quod ſyllabam quæ antecedit ultimam, inter duas longas non recipit uerſus, (ut dixi) heroicus, quū ea ſit breuis. Quamobrem coacti ſunt poetæ, Amphitrionides dicere. Ac tanti eſt in eo uerſus breuē inter longas uitare, ut etiā auferant ſyllabam à nominibus quibuſdam, ut Deucalides, pro Deucalionides ponant, & à nomine Latino Scipiades, pro Scipionides. Hæc de maſculinis dicta ſint, à quibus fœminina formantur duabus literis ablatis à fine, quæ antecedunt ultimas, ut Anchiſiades, Anchiſias, Priamides Priamis, Menœtiades, Mœnetias. In quibuſdam uero nominibus à tertia declinatione, Atlantias, & Phaethontias poetæ dixerunt ut Virgilius

Tum Phaethontias muſco circundat.

Etenim ſunt hæc à maſculinis Atlantiades, Phaethontiades. prouidendumq; fuit, ne Atlantis, Phaethontiſq;, nominatiuus fieret in uocem cadens primitiui nominis maſculini, quæ ut ambiguitas uitaretur, Aeneis quoq; dictū eſt, pro Aeneas, & Pelias pro Pelis. Videndum hic recte à nominibus Tydeus, Prometheus, Peleus, Atreus, Coroneus, multiſq; id genus hāc terminationem habentibus nominatiui, patronymica fieri duabus in unam ſyllabis κατὰ συναίρεσιν in genitiuo coeuntibus, Tydides, Prometides, Pelides, Atrides, Coronides, producta ſyllaba, quæ proximā antecedit à poſtrema, ut in Virgilio ſæpe legimus;

-Tydide, mene Iliacis occumbere campis; &;

Atridas, Priamumque.

A quibuſdam uero eiuſdem formæ nominibus, patronymica per contrarium ſuperiori διαίρεσιν formantur, ut Achilleides, Teſeides, quæ quum à poſtrema tertiam producant, non eadem ratio-

ne ſunt omnino, qua ſuperiora. In illis enim (ut iam dixi) binæ breues in ſingulas coeunt lõgas, ut τυδέϊ τυδείδης, ἀτρέϊ ἀτρείδης, πηλέϊ πηλείδης, κορονέϊ κορονείδης. In his uero, ex binis uocalibus prior longa eſt, altera breuis, ut;

Vexatus toties rauci Theſeide Codri.

Sunt enim hæc ex Ionica ratione declinandi, ut Ἀχιλλῆια ἀχιλληίδης, θησηίδης. Cæteris autem ex nominibus penultima ſyllaba (ſic enim Varro loquitur) apud nos, & Græcos ſemper breuis eſt, Priamides, Agamemnonides, Neſtorides, ut;

πάτερ ἡμέτερε κρονίδη.

Et noſter Latinus;

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum uidit.

Poſſeſsiua ſunt ut Regius, Euandrius, Aeneius, Agamemnonius. Horum nec una forma, nec eadem ſignificatio eſt. Sunt enim, ut Italicus, Aſiaticus, Libicus, Parthicus, Ciuicus, idque genus plurima. Sunt, ut argenteus, aureus, lapideus, marmoreus, iligneus, abiegnus, quernus, colurnus, & omnia ſimiliter his cadentia, ad materiamq; referuntur, ut lapideus murus, plumbea pila, ſcortea ueſtis. Materiæ uero partẽ illa notant quandã, herbaceus, hordeaceus, teſtaceus. Tametſi cum prioribus numerantur etiã igneus, uirgineus, arbuteus, ideſt, quod naturam habeat ignis, quod pertineat ad uirginẽ, ut uirginea manus, uirgineus pudor, & arbutei fœtus apud Virgiliũ, qui ex arbuto ſunt nati. A ficu Horatius trũcũ dixit ficulnum, ut;

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.

Cato uerò ſenior frondem ficulneam ut à quercu querneam non quernam; ſic enim ſcribit; Bubus frondem ulmeam, populneã quernẽã, ficulneam uſque dum habebis præbeto. Fibulas etiam iligneas hic auctor fecit, ut; Fibulæ unde fiant aridæ, ilignez, ulmeæ, nuceæ, ficulneæ facce uti in ſtercus, aut in aquam conijciantur. Horatius uerò glandem ilignam fecit, quamuis tribus modis hæc dici ſoleant, ſalignus, ſaligneus, ſaligenus. Sunt quoque pauimentitius, cæmentitius, lateritius, ſtramentitius, craticius, aſcriptitius, cõductitius, fœneratitius, pignoratitius, cõmentitius, fictitius. Priora quinq; à nominibus profecta, cũ cæteris ferè eiuſmodi omnibus, ad materiæ ſimilitudiniſque ſignificationem accedunt: reliqua uero à ſupinis uerborum, (ut grammatici nominant) ad paſsionem, ut res cõducta, ficta, aſcripta, pignori, fœnoriue data intelligatur. Sunt à Græcis Pythagoreus, Epicureus, & ſimilia multa, quæ propter Græ

cam

eam diphthongũ ſecũdas ab ultimis producunt ſyllabas. Sunt,ut mã datarius,legatarius, oſtiarius,lignarius,ſtatuarius,& ſubſtãtiua, tabulariũ,pomariũ, roſariũ,armamentariũ.Sunt ex his innumera, adminiſteria quædã pertinentia,aquarius,olearius,carbonarius,ueſtiarius,ſolearius,unde fiunt omnia pene opificũ nomina. Subſtantiua autẽ,ut ſacrarium,ærarium,pęnariũ,loca ſunt,ubi ſacra, ubi æs, ubi pęnus,ubi deniq; res ipſæ reponuntur:ſæpius etiã,ubi uel natę ſunt, uel educatæ,uel ſeruatæ,uel magnã in copiã auctæ,ut pomariũ,roſariũ,uiuiariũ,ſeminariũ,plantariũ,auiariũ.Cibaria aũt,donaria, & ſimilia his pauca,pro ipſis rebus,cibiſq;,ac donis capere ſolemus.Sũt ẽt huius formæ calcaria,& ſulfuraria, unde ad cæterarũ officinas rerũ nomina ſimilia,fingere acõmodareq; poterimus,ut uitraria,lignaria,ſpecularia,uaſaria. Sunt etiam illa, ſacramentum, indumentũ, fundamentum,teſtamentum,ferramentum ueſtimentum, unguentũ, paludamentum, facta nomina unius productione ſyllabæ. Nata ſunt enim ab ijs quæ uſu carent apud nos ut à ſacrando ſacramen, induendo indumen, fundando fundamen, ſic teſtamen, ueſtimen,unguen illa forma nominum.

Solamenque mali de collo fiſtula pendet

&

Hoc Priami gęſtamen erat

Quanquam ſunt etiam ſine origine uerborum,ut paludamentum,ferramentum;

Significationis notæ ſunt illa, à uerbis quibuſdã nata,accuſatorius, petitorius,gladiatorius,declamatorius,& quæ ſunt id genus:rurſum quæ à nominibus,tributarius,depoſitarius,munerariuſq;: unde palã eſt,quæ ſunt à uerbo, quartã habere uocalẽ in tertiis ab ultima ſyllabis; quæ aũt à nomine,primã,ut uas potoriũ,à poto,eſcariũ ab excalentis rebus.Quare etiã auditorium,tectoriũ,amatoriũ, portorium, & his cognata plurima,ab audiendi,tegendi,amãdi,portãdiq;uerbis deriuata. Sunt præterea huiuſmodi multa,fictilis,coctilis,teſtilis,altilis, ſutilis, ſculptilis,futilis,apertilis; item fuſilis, penſilis, raſilis, flexilis,exilis. Quæ ex his in participium reſolui paſsiuum queunt, eundem habent cum participio intellectum, ut ferrum tortile, ueſtiſque ſutilis, quod hæc ſuta, illud uero tortum ſit: quæ autem nequeunt,illud ſaltem quibunt, ut in præſentis temporis participium reſoluantur, unde à neutris uerbis res uolatilis,ſeſsilis,exiliſq;,ideſt uolantes, ſedentes, exeuntes. Sciſsilis autem, & uerſatilis, & fiſsilis, & ſolutilis res eſt,quę ſcindi, uerſari, findi,ſoluiq; poteſt,eodem

penè ſenſu, quo illa eſt forma nominum, amabilis, nauigabilis, permeabilis, penetrabilis, quæ amari debeat, uel nauigari poſsit, quam ſit penetrabile etiam agendi natura præditum, ut;

-Penetrabile frigus adurat.

Sed è ſuperiorum genere, ſunt aquatilis, ſaxatilis, fluuiatilis, umbratilis, vulgata omnibus. Illa uero, ſitibundus, errabundus, moribundus, concionabundus, ludibundus, quæ A. Gellio, Terentio Scauro doctiſq; hominibus olim digna ſunt uiſa, de quibus diſputetur, nunc ſciunt omnes multo plus in ludibundo, ac ridibundo, quã in ludente, & ridente, ut his ludendi, ridendique abundantia quædã notetur. Rei copiam ſignificant etiam illa vulgo nota omnibus, temulentus, uinolentus, corpolentus, macilentus, ſanguinolentus, opulentus, pulueruIentus, & huius formæ nomina. Multa enim ſunt, quale M. Tullii illud eſt exemplum; Auſtro leniſsimo ad Hydruntem ludibundi peruenimus. Ad atticum uerò, idem auctor nouo more quodam, à nominibus etiam huiuſce formę nomen deduxit; Quum complicarem (inquit) hanc epiſtolam, noctuabundus ad me uenit cum epiſtola tua tabellarius. Tranſeo ad illa, ſeditioſus, ſtudioſus, mulieroſus, libidinoſus, uinoſus, idq; genus multa, quæ hominẽ ſeditionibus, ſtudijs, mulieribus, libidini, aut uino deditum ſignificant. At ingenioſus, animoſus, lacertoſus, aquoſus, uitioſus, ſaxoſus, neruoſus, quĩ ingenio, animo, lacertis, aqua, uitijs, ſaxis, neruiſque abundat. A quarta uerò declinatione ſunt fructuoſus, quæſtuoſus, vultuoſus, ſaltuoſus, flexuoſus. Sed, quod tortuoſum quoq;, & monſtruoſum, & montuoſum dicatur, nec mirandũ eſt ab rõne diſceſsiſſe quædam, & à Virgilio ſcimus ita ſcriptũ eſſe,

. Et te montoſæ miſere in prælia Nurſæ.

Videndum hic erit, quæ agendi naturam habeant, ut ſtomachoſus, faſtidioſus; quæ patiendi, ut inuidioſus, odioſus; quæ utranque, ut formidoloſus, operoſus, laborioſus, uoluptuoſus, religioſus, & nonnulla ex his etiam, quæ ante recitaui, perſonis, attributa ad agendum, rebus uero adiuncta ad patiendũ pertinẽt, ut nõ idẽ ſit glorioſa res, glorioſa uictoria, quod glorioſus homo, glorioſus miles. Significationis apertæ ſunt etiam imperioſus, famoſus, moroſus, curioſus, celebroſus, pannoſus. Huc addunt eiuſmodi in uocem cadentia, ut Antoniaſter, & Fuluiaſter apud M. Tullium pro eo qui Antonio ſit aut Fuluio aliqua inre ſimilis quemadmodum in ſtirpibus quoque mentaſtrum ſiliquaſtrum, quod ſiliquæ referat, aut mentę ſimilitudinem: addunt illa pauca gratuitus, fortuitus.

Sunt ut egenus,alienus,terrenus,& illa, quæ ſecundam ab ultima ſyl labam corripiunt, oleaginus, faginus, myrtinus, lentiſcinus, adamantinus, craſtinus, hornotinus: contra producunt illa paternus, maternus, fraternus, uernus, æternus, acernus, alternus, infernus, externus, ſupernus, hibernus, & à temporis aduerbio heſternus. Sed quoniam de oleaginus, & faginus mentio facta eſt, illa quoque mihi ueniunt in mentem à nominibus arborum ſimiliter nata, à ſalice, populo, ilice, quercu, abiete, fieri, ſalignus, populnus, ilignus, quernus, abiegnus, ficulnus, & ſiue à corylo ſiue à corno, non nulla facta mutatione literarum, colurnus. Sunt ut ciuilis, hoſtilis, iuuenilis, anilis, & diuerſè cadentia, cœleſtis, caſtrenſis, paluſtris, ſolaris, lunaris, ſolſtitialis, equeſter,pedeſter. Addere ſuperioribus licebit Pythagoricus, Platonicus, Ariſtotelicus, adhuc illa edax, bibax, loquax, dicax: item bibones, comedones, labeones, lurcones. Multa etiam eiuſmodi, ut mortalis, triumphalis, capitalis, extemporalis, adipalis, hoſpitalis, & una litera mutata, conſularis, militaris, manipularis, ſingularis,nec pauca illam in uocem cadentia cenſorius, uxorius, prætorius. Pauciora ſunt latina illius modi, aquaticus, uenaticus, fanaticus. Non pauca tamen erunt hęc ſi illo more dicamus, quo bellum Parthicum noſtri dixerunt, bellum. Sequanicum, Macedonicum, Perſicum, Punicum, Gallicum. Plura autem,ut illa,æditimus,legitimus,finitimus,& producta ſylla ba quæ antecedit ultimam bimus, trimus, quadrimus. Sunt quoque ſagittarius, fundibularius, baliſtarius,buſtuarius,tumultuarius, ſexaginarius, centenarius, ſaltuarius, & ſylueſtris, paluſtris, terreſtris; item placidus, acidus, horridus, hiſpidus: pauca uero illius formæ ſuperbus, acerbus: præter hæc hornus, diurnus, noctur nus, & ueſpertinus, matutinus, & menſtruus, annuus, cernuus: denique fugitiuus, tempeſtiuus, aſſumptiuus, definitiuus, deliberatiuus, quam formam nominum ad nimis multa grammatici tranſtulerunt. Dicimus autem hic tempeſtiua conuiuia, magiſteria à maioribus inſtituta, ut apud M. Tullium Cato Maior; Me uero & magiſteria delectant, à maioribus inſtituta, & is ſermo qui more maiorum à ſummo magiſtro adhibetur in poculo. Sunt etiam ut ſpiraculum,miraculum,tabernaculum: Sunt ut tertianus,quartanus, ſeptimanus, decumanus. Sunt ut uadimonium, teſtimonium, patrimonium. Itemque Senatorius, conſolatorius, accuſatorius, petitorius, oratorius. Sunt poſtremo Rheginus, Peruſinus, Venuſinus, Canuſinus, Placentinus: quia tertia uocalis

H 3 eſt in

eſt in primitiuorum nominibus, Rhegium, Peruſia, Venuſia, Canuſium, Placentia. A Roma enim, & Mantua, cæteriſque huiuſmodi urbium nominibus, unde ea uocalis abeſt, eſſe debuit Romanus, Mantuanus, Capuanus, Piſanus, Cumanus, Volaterranus. De ueterum uſu tamen hæc petenda ſunt, quorum longa eſt, nec ſatis firma præceptio. A Parma enim fit Parmenſis, ut à Mediolanum Mediolanenſis, & à Bononia, neque ut à Placentia, nec ut à Mantua, ſed Bononienſis, ut à Brixia fit Brixienſis. Nec Vria quidem ut à Placentia, aut Peruſia patrium nomen facit, quamuis tertiam habeat uocalem, ſed Vritanus, ut Formiæ Formianus, aut Ancon Anconitanus, Drepanum Drepanitanus, Salernum Salernitanus, Neapolis Neapolitanus. Quæ tertiam habent, quam dixi, uocalem generis fœminini, raro nomen faciunt, ut à Mantua Mantuanus, neutrius uero, etſi à Tuſculo paucíſque huiuſmodi Tuſculanus fiat, & ab Aſculo Aſculanus, plura tamen ſunt, ut à Mediolano Mediolanenſis, & Tarento Tarentinus. Græcæ ſunt rationis Troezenus, Cyzicenus, Damaſcenus. Rauenna autem, & Ferentinum, & Aquinum, & Arpinum, & alia quædam ciues habent ſuos Rauennates, Ferentinates, Aquinates, & Arpinates, ut illa, quæ non patriæ ſunt, Primates, Optimates, Cuiates, noſtrates, ueſtrates. Rudiæ uerò, neque ut à Mantua, neque ut à Brixia, neque ut ab Vria, neque ut à Tarento, ſed ſimile, & æquale ſibi patrium nomen faciunt, quod illis eſt commune cum paucis, ut Rudius, quo uſus eſt M. Tullius pro Archia poeta. Sunt illa à Græcis etiam nominibus, Hydruntij, Hiericuntij, Emauntij, Opuntij. A Rhegio Brutiorum, ſunt nominum forma communi cum Græcis, Rhegini: alio autem à Regio Galliæ Ciſalpinæ Regienſes, ut à binis Cumis Cumani, & Cumenſes, quemadmodum Varro auctor eſt à ternis Atheuis, differentiæ notandæ cauſa, dicendos fuiſſe Athenæos, Athenienſes, Athenæopolitas. Romanenſes autem ſunt, & Hiſpanienſes, qui Romæ, aut in Hiſpania uerſantur, ut Romanenſis homo, Hiſpanienſis exercitus: nec raro. dicimus etiam, Tarraconenſes literas uel Mediolanenſes, Mediolano allatas, uel Tarracone, ut Hiſpanienſem fugam, Britannienſe naufragium. Nec miremur, à propriorum quoque nominum quibuſdam fieri, ut à Pompeio, & Sylla Pompeianus, Syllanus, à Iugurtha uero, & Meſſalla, Iugurthinus, Meſſalinus. Sunt etiam noĩa comparationis: huius tres quidam ſunt gradus, poſitiuus, ut fortis, diligens: comparatiuus, ut fortior, diligentior; ſuperlatiuus, ut fortiſ-

Nominũ cõparatiões poſui hoc loco uoluit ordo naturæ.

fortiſsimus, diligentiſsimus. Formantur autem comparatiua à nominum adiectiuorum, quæ, ut recte Sergius, Donatuſque dixerunt, qualitatem ſignificant, uel quantitatem, primo caſu, deſinente in tertiam uocalem, ut doctus docti doctior, fortis forti fortior. Nam qualitas quantitaſue, quùm ea ſit quæ maior eſſe, uel minor, queat, neceſſe fuit uoces habere, quibus illarum diuerſi gradus dicerentur. Quare deminutiones etiam, ideſt, ὑποκορισμοὶ, & aliorum nominum, & eorum quæ ad comparationes pertinent, fuerunt, maiuſculus, grandeiuſculus, ut Plautus in Rudente;

Non hercle adoleſcens iam hos dies compluſculos
Quenquam iſtic uidi ſacruficare

Hanc tamen legem non ſequuntur, bonus, malus, magnus, paruus, multus, quorum ſunt comparatiua melior, peior, maior, minor, plus. Hoc poſtremum in ſingulari nomen eſt ſubſtantiuum neutrius generis, in plurali trium generum nomen adiectiuum, ut hi & hæ plures & hæc plura, quorum ſuperlatiua fiunt optimus, peſsimus, maximus, minimus, plurimus. Sunt autem comparatiua & ſuperlatiua nomina à præpoſitionibus quibuſdam. Intra, interior, intimus: Vltra, ulterior, ultimus: Citra, citerior, citimus: Infra, inferior, infimus: Supra, ſuperior, ſupremus: Poſt, poſterior, poſtremus: Prope, propior, proximus: ab aduerbio pridem fortaſſe ut uolunt prior & primus. Adiectiua nomina; quæ literam habent in ſecunda à poſtrema ſyllaba uocalem, raro comparatiua fiunt, aut ſuperlatiua, ut arduus, tenuis, conſpicuus, ſtrenuus, exiguus. Cauendum igitur à comparationibus huiuſmodi, etiam ſi Tenuiora ſæpe, & Tenuiſsima cum Cicerone dicamus. Varro etiam ab eo quod eſt aſsiduus, non ſemel aſsiduiores fecit, ut; His mulieres adiungere quæ ſequantur greges, ac cibaria paſtoribus expediant, eoſque aſsiduiores faciant, utile arbitrati ſunt multi. Sequitur in his uel ſi ipſam quinta uocalis, uel quintam tertia, ſed magis rata præceptio eſt, ſi quinta, uel ſecundam, uel tertiam ſequatur, ut in his terreus, arboreus, idoneus, aureus, argenteus, ligneus, neceſſarius, proprius, egregius, uarius, itemque lacteolus, aureolus, unde nec fiunt omnino comparationes ullæ, nec ſi factæ inueniantur, eas imitari oportebit. Idem iudicium ſit, illis de nominum formis, ludibundus, ridibundus, magnanimus, flexianimis, ſemiſomnis, modicus, tetricus, aquaticus, luſcus, fuſcus quæq; hanc terminationem habent, duplex, triplex, furtiuus, demonſtratiuus, maturinus, clandeſtinus,

marinus, terrenus, corniger, armiger, mortiferum, lętiferum, vulgaris, memor, properus, ridiculus,& quæ ratio ipſa, uſus,& obſeruatio diligens plurima docebit. A nouus comparatiuum non ducimus quanquam ſit ab eo ſuperlatiuum inuſitata apud antiquos uoce, Nouiſsimus. Ita enim Varro teſtatus eſt; Nouiſsimum pro extremo, mea memoria, ut Aelius Gallus, ſic ſenes alii, quod nimium nouum uerbum eſſet, uitabant. A quibus autem fiant comparatiua, ſuperlatiuaque, uel non fiant, ipſa nos conſuetudo ſermonis admonebit. In his aduerbio magis, aut maxime comparationum loco utimur, ut magis arduus, maxime ſtrenuus, maxime illuſtris, quamuis non conſilio, ſuperlationem huius poſtremi uitatam ab auctoribus eſſe credam. M. Varro enim in libris de Re ruſtica ſuperlatione eiuſmodi eſt uſus: De antiquis illuſtriſsimus quiſque paſtor erat, ut oſtendit græca & latina lingua, & ueteres poetę qui alios uocant πολύαρνας alios πολυμήλους alios πολυβούτας qui ipſas pecudes propter caritatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt. Ea uox igitur non diſplicuiſſe Ciceroni, ſed non occurriſſe potius credenda eſt. Sunt quædam præterea, à dico, à loquor, à facio, à uolo, maledicus, grandiloquus, magnificus, maleuolus, idq; genus alia, quorum comparatiua ſunt maledicentior, grandiloquentior, magnificētior, maleuolentior, à participiis, quæ ſunt inuſitata, maledicens, grandiloquens, magnificens, maleuolens: ſuperlatiua maledicentiſsimus, grandiloquentiſsimus, magnificentiſsimus, maleuolentiſsimus, beniuolentiſsimus: quanquā Terentius Mirificiſsimū protulit in Phormione. A ſex nominibus adiectiuis, nomina ſuperlationum duo LL ſeruant in ſecundis ſyllabis à poſtremis. Eſt enim à facilis, facillimus, agilis, agillimus, gracilis, gracillimus, docilis docillimus, humilis, humillimus, ſimilis, ſimillimus. Eadem ratio eſt compoſitorum, indocilis, difficilis, diſsimilis, indocillimus, difficillimus, diſsimillimus. Habet gradus hic ſecundas à poſtremis ſyllabas, ferè huiuſmodi à doctus doctiſsimus, à ſaluber ſaluberrimus, à propè proximus, à poſt poſtremus, ab infra infimus, à minor minimus. Sunt etiam (quod nemo ignorat) huiuſmodi aduerbia comparationum, & ſuperlationum à neutro genere ſingulari, prudentius, prudentiſsime, fortius fortiſsimè melius optime, peius peſsimè, à magnus tamen, fit magis, & maxime, à paruus, minus & inter ſe diuerſa minimum & minime. Harum utriuſque comparationum ratio tractatioque eſt huiuſmodi, ut comparatiuo demus auferendi caſum: dicimus enim,

Cæſar

Cæſar clementior Pompeio, aut magis clemens quam Pompeius. Ita enim loquimur ſæpe etiam ut Plautus; leuior quam pluma, uel magis leuis quam pluma: doctior Platone, uel doctior quam Plato, magiſue doctus quam Plato. Sic loquendum eſt quoties ea nomina ſunt, unde comparationes dictum eſt minus uſitatè fieri ut magis arduus, magis tenuis. Sin comparandi forma non deſit crudelior Verres Phalaride: elegantior Vergilius Homero: prudentius in republica uerſabatur Sulpitius Catone, pertinacius Cato, ſanctiſsime, integerrimeq; omnium Cicero. Superlatiuo enim iungimus genitiuum pluralem, ut; Lælius Romanorum omnium ſapientiſsimus: uel ſingularem eorum dumtaxat nominum, quæ multitudinem ſignificant, ut M. Tullius pro Rabirio. Virum unum totius Græciæ facile doctiſsimum Platonem. Semper utendum eſt comparatiuo in omni genere ſermonis, ubi comparatio quęcunq; inſit, niſi quum ea fit ad plura generis eiuſdem. Hæc uia breuiſsima eſt, & planiſſima ad ueram comparatiui, & ſuperlatiui differentiam cognoſcendam. Nec ignoro, contra hanc multa eſſe à multis diſputata. Mihi uero non puto faciendum, ut pluribus rationes illorum, uel argumenta diſſoluam. Immo ne meam quidem, uel doctorum hominum potius, aut antiquitatis diu confirmabo ſentētiam. Vnum illud non uerebor dicere, ſi hoc diſcrimen ſuſtuleris comparationum, ut ſine delectu inter plura ſui generis, ſecundo gradu utendum ſit, uidebere ſuperlatiuum non ualde neceſſarium putare, & nouam intolerandamq; in latinam linguam confuſionem ac tenebras inducere. Nam quid ais? Vtrum omnia ſui generis per comparatiuum dici putas, an quædam? Vtrum poſſe ais, an debere? Si poſſe reſpondes, profectò mihi liberum eſt, uti nec ne iſta libertate uelim: ſin debere, nec omnia debere, ſed quædam, tibi fuerant hęc diſtinguenda: ſin omnia, te non ego iam, ſed maiorum auctoritas, & omnium doctorum hominum conſuetudo refellit. Verum ego meum ſequar inſtitutum, ut cum grammaticis nolim diſputare. Quare nec illud oſtendam, exempla, quibus hoc probare conati ſunt, uel non allata unde oportebat, uel habere ad quæ nullo negotio reſponderi poſsit. Mittamus igitur illorum maledicendi, aut repugnandi cupiditatem, & quoties in Romana lingua ſtatuere per nos aliquid non poſſumus, crebriorem loquendi doctiſsimorumque hominum & antiquitatis uſum pluris quam grammaticorum omnium præceptiones, argumentaue faciamus. Itaq; uniuerſo generi alieno, comparantes aliquid, non uereamur dicere, Scipionem Carthaginenſibus fortio-

Acutè falſam in comparationibus tractationem refellit.

rem:

rem: totum uero ad ſuum genus collatum, Romanorum omnium Cæſarem fortiſsimum quamuis loco ſuperlationum, comparationibus interdum Græci abutantur, inter plura generis eiuſdem, ut Ariſtoteles de ſenſu, & ijs quæ ſenſibus cognoſcuntur; αὐτῶν δὲ τούτων πρὸς μὲν ἀναγκαῖα, κρείσσων ἡ ὄψις. Eſt autem fortiſsimus, prudentiſſimus, ditiſsimus ferè, qui ſingulos fortitudine, prudentia, diuitijsq; ſuperat: itáq; intelligendum eſt, quod afferunt grammatici pro huius loci exemplo, medium eſſe longiſsimum digitorum, & comparationis huiuſmodi quamplurima. Rarò enim accidit ita loqui, ut ab uno ſuperari uniuerſos dicamus, quemadmodum Iuppiter in fabulis gloriatur, ſi cathena de cœlo ſuſpenſa conentur omnes Dij ſe ad terram trahere, ſibi uni fore plus uirium, quam illis eodem tempore pugnantibus uniuerſis. Et profectò, ſi ditiſsimum Romanorum dicimus Craſſum, aut humani generis ingenioſiſsimum Platonem, non id intelligi uolumus, in illo diuitiarum & in hoc ingenij pluſquam in cunctis mortalibus fuiſſe.

Significatio uera ſuperlationis.

Rectè igitur, aut in ueterum aut noſtris ipſorum in ſcriptis uidendum erit, utrum ſuperlatiuus ad ſingula, an ad uniuerſa referatur. A natura enim utranq; uim habet. Nam ſi dicatur (id quod apertiſsimum erit exemplum) Romulus primus Rex Romanorum, Tarquinius ultimus, aut nouiſsimus, aut poſtremus omnium fuit, nemo tam excors, non uidet aliud quodam eſſe genus quam illud; plurima omnium in philoſophia ſcripſit Ariſtoteles. Non enim hic, ſolus Ariſtoteles plura ſcripſit, quam cęteri ſimul omnes. quod ſtultiſſime diceretur, ſed plura quam ſinguli, plura (exempli gratia) quam ſolus Plato, ſolus Zeno, quam per ſe Theophraſtus, quam de cęteris alius quiſquam. Romulus uerò ita primus, & Tarquinius ita poſtremus fuit, ut, ſi mille, aut infiniti reges alij fuiſſent ſimul uniuerſi, neq; hoc poſteriores, neq; illo priores eſſe potuiſſent. Hoc tamen poſui exemplum, quia ſatis belle dicitur, & apte ad rem demonſtrandam, nec ignoro equidem, nec ignorare quenquam uolo genus omne comparationum inter qualitates fieri, uel quantitates debere, potius quā ad ea quæ ſunt ordinis referri. Nòn enim ut qualitas qualitatem, uel quantitas alia aliam ſuperare poteſt, ſic recipit etiam natura ut magis primus magiſue poſtremus quiſquam aut ſecūdus aut ſextus alio alius eſſe poſsit. Sed quia non ualde exemplis abundat hic locus feratur quod modo poſui, quodq; ualde eſt, ut iam dixi, rei demonſtrandæ accomodatum, & ſi uerior illa comparatio eſt, quam de gloriatione Iouis afferebā. Ita propemodum ſi dicas, Venerem, aut

Exēplū corrigit.

aut Solem omnium ſydcrum eſſe luminoſiſsimum, diuerſæ omnino comparationes fiant, quod Sol omnium ſydcrum lumen ſimul uincat, Venus autem dumtaxat ſingulorum. Hactenus ergo duo ſunt quidam ſuperlatiui gradus conſtituti, unus quo ſuperantur ſingula, alter, quo uniuerſa, quibus tertium addere neceſſe eſt quum ſignificamus aliquid non ipſum toto ſuo genere eſſe præſtabilius, ſed unum eſſe de cæteris quæ ſunt in eo præſtabiliora, ut ſi græcos robore animi & corporis Achilles uincat, non uereare tamen, alios etiam græcorum fortiſsimos nominare, ut; *Significare poteſt ſuperlatio tribus modis.*

-Danaûm fortiſsime gentis

Tydide.

Soſipater enim Cariſius ita exiſtimauit ex Terentij Scauri ſententia

Troiæ qui primus ab oris,

dictum eſſe non quod Aeneas anteuerterit omnes qui in Italiam uenerunt, ſed quod is unus fuerit è primis, illo propemodum ſenſu quo dicimus etiam in primis, cum primis, inter primos, ut ſciamus hac loquendi forma, non unum uel Diomedem, uel Aeneam, ſed plurimos etiam eodem in genere, loco ac tempore primos fortiſsimosq; poſſe nominari. Hanc in ſuperlatiuo dubitationem Virgilius quum intelligeret, quo expreſsius aliquo in genere unum ſignificaret eminentiſsimum, aliquando inter plura ſui generis, uti comparatiuo maluit, ut;

-Cunctis altior ibat

Anchiſes

Soluta uero in oratione quidam ita huic uitio medentur ut comparatiuo, huiuſmodi nomina iungãt adiectiua, Reliquus, Cęteri, Alius, minusq; uitioſum putent ſic loqui, Cæteris hominibus Cato ſapientior. Cõis autem uſus oratorũ, adiuuat ſententiam, ut quum ſuperari ab uno ſolo genus totum ſignificant, Ciceronis quod ante poſui exemplum ſequantur. Virum unum totius Græcię facile doctiſsimũ Platonẽ, iniquitate Dionyſij, Siciliæ tyrãni cui ſe ille cõmiſerat, in periculis inſidijsq; eſſe uerſatũ accepimus. Vt Plato igitur, non unus ex alijs Græciæ doctiſsimis uideretur, ſed ſolus græcos omnes, qui doctiſsimi tum uiuerent, aut ante uixiſſent ſuperare, tria uerba poſuit quibus ad hunc ſenſum faciendum adiuuaretur oratio, ideſt, Vnum, Facile, Totius Græciæ. Sic etiam doctiſsimus Romanorum oĩum dicitur: ſic inter omnes ciues prudentiſsimus, ex omnibus qui uiuũt clementiſsimus Cæſar. Oĩum quos literis uel fama accepimus

huic

huic imperio infeſtiſsimus Annibal. Omnium quos terra ſuſtinet crudeliſsimus Verres. Hoc loco Virgilius comparatiuo eſt uſus, ut;

Pygmalion ſcelere ante alios immanior omnes
Quos inter medius uenit furor

Item poſitiuo, ut;

O felix una ante alias Priameia uirgo
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori.

Hactenus uideor mihi à ueterum ac doctorum hominum auctoritate, latini ſermonis uſu, rationeq; ipſa nihil diſceſsiſſe. Quamobrem niſi quid ſermonis conſuetudo ſit ignoramus, errare in loquẽdo, nullo pacto poſſumus: uſus modo conſuetudiniſq; ratio teneatur, non ea quam ſibi quiſq; falſam propoſuit, ſed quam ueteres ipſi rectiſsime cognitam, conſtitutam, & ex dialecticorum artificijs, & ſapientum ingenijs definitam nobis reliquerunt. Qui hanc uiam ſequuntur minimè hærere in eo poſſunt quod Poeta inter plura ſui generis dixiſſe uiſus eſt;

Quam Iuno fertur terris magis omnibus unam.
Poſthabita coluiſſe Samo

uel in eo quod Quam appoſuerit ſuperuacaneum, atq; huic tamen adiunxerit auferendi caſum, ut;

Hæc tantos mente furores
Concipit aut grauiora timet quam morte Sichæi.

Nec illud quenquam mouebit quod res eadem uel perſona ſæpius etiam ad plura genera pertinet. Hinc dicimus Lælium eſſe omnium hominum ſapientiſsimum: nec tamen quia græci etiam ſint homines fit, ut græcorum quoq; ſapientiſsimum eſſe Lælium dicamus, nec plurimo quæ in dubium grammatici uocant. Deniq; & rectiſsima quæ dicta eſt conſuetudo & ratio ſeruetur, ut in ſuperlationibus id quod ſuperat eodem ſit genere cum ijs pluribus quæ ſuperantur, ut Plato philoſophorum doctiſsimus. Hac in oratione, unus plurimis, philoſophus philoſophis, & ex ea parte qua philoſophus eſt cum philoſophis confertur. Quæ autem à grammaticis contra hæc omnia quæ dicta ſunt diſputantur, ea pro nihilo habenda exiſtimabimus. Nec illud comparationum præceptis repugnabit, quod ita ſcripſit orator in Bruto; ut eloquentium iuris peritiſsimus Craſſus, iuris peritorum eloquentiſsimus. Scęuola putaretur. Craſſus enim & Scæuola, ambo iuris periti & eloquentes hic eſſe dicuntur,

cuntur, non minus quam ſi ita loquamur, ut unum Scæuolam iuris peritorum eloquentiſsimum, & eloquentium iuris peritiſsimum dicamus, ubi quid eſt quod noſtris præceptionibus contrarium eſſe uideatur?

Quàm uerò pro ualde ſuperlatiuo iungi debet, ut quam doctiſsimus, quam ſapiētiſsimus, & per aduerbium quam doctiſsime, quam ſapientiſsimè. Præpoſitio Per pro ualde, poſitiuo, ut perdoctus, perſapiens, perdoctè, perſapienter. Perquam ſimul iuncta, iterum poſitiuo, ut perquam doctus, perquam ſapiens, perquam docte, perquam ſapienter. Quod ſi Quam pro Quantū ponatur, dandum eſt poſitiuo; ut Scio quā crudelis oratio, quam acerbæ tuæ ſoleant eſſe literæ, nec ſum oblitus quam egeris iracundè, & meminiſti quam te leniter ſim paſſus: niſi interueniat queo, poſſum, ualeo, licet, aut aliud ſimile uerbum. Tūc enim ſuperlatiuo utendū eſt, ut; Scripſi ad te quamplurimis de rebus potui. Quambreuiſsime, accuratiſsimeq; potero ad tuas reſpondebo literas. Vbi eſt Quam, poteſt eſſe Vt, quemadmodum pro Cluentio dictum eſt; Appellat hilari uultu hominem Balbus ut blandiſsime poteſt. Quod autem hæc duo ad quātitatem (ut dixi) relata, ſine huiuſmodi potentiæ uerbis aliquando eſſe poſita uidebuntur, illud inſpicere tamen oportebit, ſi non expreſſa, at ſignificata ſaltem ea uerba, & modo quodam in ſenſu latentia intelligi debere, ut in Aulularia Plautus

Quam ad probos propinquitate proximè te adiunxeris
Tam optimum erit.

Non diſsimile prorſus eſt quod male afferunt quidam à Varrone, Quam paucisſimos reliqueris, tam optimi in alendo fient propter copiam lactis. Seu grecè. n. loquamur, ſeu latinè, fit ſæpius ut uel potentiæ, uel debitionis uerba in ſermone uideantur prætermiſſa. Nec arbitror hic multis eſſe diſputandum, quando uel pueri ſciunt eſſe morem diſertiſsimo cuiq; ſic loquendi; Neque ijs qui mea opera uti uellent probarem me non ualere, quia febrim non haberem, fugi in Tuſculanum. Vide etiā ex infinitis illud Platonis in Sympoſio; πάντες γὰρ ἴσμεν ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ ἔρωτος ἀφροδίτη, ταύτης μιᾶς οὔσης εἷς ἂν ἦν ἔρως. Quare eadem in fabula poeta idem ita ſcripſit;

Acceſsit animus ad meam ſententiam,
Quam minimo ſumptu filiam ut nuptum darem.

Nemo enim ignorat quæ ſunt illiusmodi; Mihi Cuſpius, quam maximas, quam primum, quam ſæpiſsime gratias agat. Paſsim hæc ſe offerunt, idque genus quamplurima, & ſæpe hæreas neceſſe.

eſt niſi debitionis uerba, aut potentiæ, ut iam dixi hic & in ſimilibus aliquando intelligamus deeſſe. Quoties uerò Quam pro uehementiæ aduerbio poſitiuis eſſe præpoſitum uideatur, attendi uelim diligenter, & uideri num ad quantitatis, an admirationis uim potius referri debeat, quod ſi omnino fieri non poſsit, ipſaq; ſententia prorſus repugnet, ſuadeo tamen eam loquendi formam parcius imitari. De Quam uerò pro ualde nihil opus eſt afferre exempla ueterum. Diximus autem comparatiuo ſextum dari caſum oportere, ut Achilles fortior Troianis. Quod ſi duabus propoſitis rebus perſoniſue, ita loquamur ſæpius, duorum fratrum amiſit natu maiorem, & (quod grammatici uſu iam triuere) manuum dexteram eſſe meliorem, non tamen genitiuus is comparandi, ſed diſtribuendi naturam habet, quem diſtributio uel duorum, uel plurium poſtulat etiam ubi comparatio nulla ſit, ut fratrum, aut è fratribus, alter naufragio perijt alter in itinere comprehenſus eſt. Animantium aliæ ſunt uolucres, aliæ natantes, aliæ terreſtres. Hanc diſtribuendi naturam habet, Quis noſtrum fortiſsimus, ubi genitiuus non eſt à comparationis natura. Lex autem Latini ſermonis, ut Cæſar fortiſsimus Romanorum dicatur, ex eo eſt, quod is eſt fortiſsimus Romanus. Aliter enim fortiſsimus illorum, inter quos ne fortis quidem ſit, eſſe uel nominari quomodo poteſt? Nam genitiuum præterea ſuperlationi, fortaſsis non male ſentiat qui poſſeſsionis cuiuſdam ſignificandæ cauſa tributum exiſtimet, ut fortiſsimus Romanorum dicatur, qui etiam remota ſuperlatione, Romanorum ſit, aut ciuis, aut ratione qua uis alia generis illorum. Itaque Scipio Carthaginenſium fortiſsimus non dicitur, quia is Carthaginenſium ullo modo non ſit, neque fortiſsimus, neque fortis, neque alio pacto ad illorum genus referatur, unde Carthaginenſium is eſſe dici poſsit. Quare nec ſapientiſsimus Lælius ſuorum ciuium dicitur, neque ego meorum, neque ipſe tuorum, ſi neque ego meus, neque ipſe tuus, aut aliquis quiſquam ſuus eſt ciuis. A ſuperlationibus ergo, poſſeſsionum pronomina Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, item Alius, Cæteri, Reliquus auferri oportebit, ne quis dicendum putet; ſuorum ſociorum omnium Ariſtoteles acutiſsimus fuit, impediente pronomine poſſeſsionis.

A ſpecie ad genus comparatio, quibus eſſe debeat.

A ſpecie ad genus comparatio quum fiet, non dubium comparandi nomen illud adiectiuum, poſſe ad ſpeciei nomen accommodari, ut equus eſt quatrupedum pulcherrimus. Membrorum omnium eſt manus præſtantiſsima, nec ratio tamen

aliqua

aliqua impediet, quin pulcherrimum quoq; & præſtantiſsimum dicatur, id quod eo loco probauit Iſocrates; σύμβουλος ἀγαθὸς, χρησιμώτατον, καὶ τυραννικώτατον ἁπάντων κτημάτων ἐστίν. Cum ſuperlatiuo iungitur Quiſq;, ut prudentiſsimus quiſque, infimus quisque propenſus in alteram partem. Vt quiſq; optime natus inſtitutusq; eſt. Cæſar de bello Ciuili; Nominatim ex omnibus ciuitatibus nobiliſsimo & fortiſsimo quoque euocato. Hoc Cæſaris exemplo admonemur, dici Quiſque de ſingulis hominibus, ut contra omnis refertur ad uniuerſos: quanquam loca poſſunt eſſe quædam aliquando ubi nihil aut parum interſit, utrum, omnes docti an doctiſsimus quiſque dicere uelimus. Iungitur etiam quiſque his nominibus numerorum, primus, tertius, quartus, quintus. Dicimus enim primo quoque tempore, tertio quoque die, decimo quoque anno. Quinto quoque anno in Sicilia cenſetur. Tertio quoque uerbo orationis ſuæ me appellabat. Vndique ſuppeditant exempla, quibus probare hoc poſsis. Quisque iungitur cum Quotus, ut; Quotusquisque fidem ſeruat, aut ſolidam uirtutem colit? Quotus enim quisque epiſtolam paulo grauiorem ferre poſsit? De diuinatione; Quota enim quæque res euenit prædicta ab his? Hoc in orationis genere, non de omnibus, ſed maiore de parte negatio eſt. De omnibus enim ſi negandum ſit, ita loqui neceſſe erit, quemadmodum Cicero de finibus; Quis eſt enim, aut quotuquiſque, cui mors quum appropinquet, Non refugiat timido ſanguen. Aut nullus inquit aut pauciſsimi. Omnis, adiectiuum, non comparatiuo ſolum, uerum ſuperlatiuo quoque iunctum, ſæpius repertum eſt. Cicero ad Lentulum grauiſsimas omnes iniurias Craſsi, uoluntaria quædam ſe obliuione contriuiſſe ſcribit. Hoc ego non probarem niſi & rectum eſſet, & frequens, & neceſſarium loquendi genus. Idem auctor ad Trebonium; Omnes ferè familiariſsimi eius, quaſi deuincti magnis meis ueteribus officijs, me diligenter obſeruant. Pro Cornelio Balbo; Quis dubitet, de fœderibus, & de toto iure pacis & belli omnibus uiris peritiſsimis, imperatores noſtros anteferre? Ne illud quidem rectè quis dubitauerit, an cum ſuperlatiuo poni ſimul gradum conueniat poſitiuum, ut; Iter feci nocte longiſsima & obſcura. Quis enim hoc non uideat natura etiam fieri ſæpius, ut ne dici quidem poſsit aliter? Nam perſona aut re propoſita cui duo quædam ſint attributa alterum altero maius, immo alterum perexigui momenti, alterum longe eminentiſsimum, neceſſario ſic loquendum

Poſitiuū nomen et ſuperlationis eodē loco ſimul eſſe queunt.

Loquendum erit, ut ueritatis ratio habeatur, quæ pluris eſſe debet quam falſa præceptio, ne diuerſorum graduum nomina coniungamus. Sit.n.ſermo nobis introductus aliquo de homine qui plurimũ ualeat fortitudine, non expers omnino literarum, ut plurimi ſemper ſint neceſſe eſt, qui una re aliqua à paucíſsimis, aut etiam à nemine, in alia à quamplurimis, aut ab omnibus facile ſuperentur. Hunc tu uel falſo literatiſsimum & fortiſsimum, uel diminuta laude uirtutis, literatum & fortem nominabis. Quare neceſſario etiam diſertiſsimi Romanæ linguæ auctores, ita ſæpius loquuntur ut M. Tullius ad filium; Altera eſt res, ut quum ita ſis affectus animo (ut ſupra dixi) res geras magnas illas quidem, & maxime utiles, & quę loci ſunt illius. Natura enim accidit ſæpius non modo ut ſuperlatiuo, ſed cõparatiuo etiam poſitiuus iungi debeat, quemadmodũ Thephraſtus ὁ μὲν ἀσφόδελος μακρὸν καὶ στενώτερον καὶ ὑπόλισχρον ἔχει τὸ φύλλον. Hoc deniq; admonendum putam quia dubitare hic poſſe adoleſcentes credidi, qua in re aliquando hærere doctos etiam cognoui. Memini enim reprehendi ab homine huius ætatis literatiſsimo ſtudioſoq; noſtri locum epiſtolæ meæ in quo mortẽ optimi ac diuini adoleſcentis dolerem. Nec alienum eſt ab uſu comparatiui illud genus apud M. Tullium: Maiorem opinione hominum cepi dolorem. Sũt cogitationes iſtæ maiores fortuna ueſtra: rem aggrederis maiorem ingenio & uiribus tuis: expectabantur maiora quam pro exitu rerum. Nec dicere neceſſe eſt poſuiſſe ueteres aliquando ſimplicia

Simplicia p cõparatiuis.

etiam nomina pro comparatiuis, ut in Rudente Plautus;

Eò taceant quod tacita bon'ſt mulier ſæpe quam loquens.

Græcos hic imitati ſunt qui ſæpius ita loquuntur, ut Homerus;

βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι

Illi etiam qui diuino afflatu inſtincti rem diuinam literis mandauerunt; λέγω ὑμῖν, ὅτι οὕτως χαρὰ ἔσται ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις. Vt, & Ita, uel Sic ſuperlatiuo iungi debent, Quò autem & Eò, uel Hoc, uel Tanto, Quanto, Aliquanto, Multo, & ſimilia comparatiuo. Nec ullum erit in ſenſu diſcrimen uſum ſint, ex his quæ ſuperlatiuo iungi debent an quæ comparatiuo ut poſsit arbitratu cuiuſquam dici; Quanto quis indoctior, tanto inſolentior eſt: uel; ut quiſq; indoctiſsimus, ita inſolentiſsimus eſt. Nec dubitandũ eſt quin loqui ita etiã poſsimus; Quãto quis eſt alijs indoctior, tãto inſolentior, uel; Vt quiſq; oĩum indoctiſsimus, ita inſolẽtiſsimus. Cicero de Oratore; Vt quiſq; optime dicit, ita maximè dicendi difficultatẽ pertimeſcit. Pro Q. Roſcio; Quo

quiſque

quiſq; eſt ſolertior,& ingenioſior,hoc docet iracundus. Item alibi; Vt in quoq; oratore plurimum eſt, ita maximè is pertimeſcit. Pro A. Cæcina; Vt quæq; res eſt turpiſsima,ſic maximè, & maturiſsimè iudicanda eſt. C. Cæſar primo libro de bello ciuili in extremo; Vt quiſq; acerbiſsime crudeliſsimeq; dixit, ita quam maxime ab inimicis Cæſaris collaudatur. Idem auctor; Vt quiſq; eſt genere copijſq; ampliſsimus, ita plurimos circa ſe ambactos clienteſq; habet. Ergo Quiſq;, & comparatiuo & ſuperlatiuo iungi diuerſa tamen in loquendi figura conſueuit. Tantum uero & Quantum, & Aliquantū, & Multum,propria ſunt poſitiui: at ſiquando inuenias comparatiuis hæc,aut ſuperlatiuis coniuncta,ſcias eſſe tum pro aduerbijs uſurpata,ut; Quantum quiſq; turpior, tantū impudentior eſt. Plurimùm tamen,ſunt nomina,quocirca dicendum potius; Quanto quiſq; turpior,tanto impudentior eſt. Frequens eſt in antiquorum ſcriptis,dimidio maior,aut multis partibus maior, uel multis partibus plures, ut Cicero ad Lentulum, Perſpiciebant enim in Hortenſij ſentētiam multis partibus plures ituros. Quare, infinitis etiam partibus eſſe maius aliquid,aut altius, aut melius dicere licebit. Eſt & communi in uſu; multo doctiſsimus,multo ſtultiſsimus, multo omnium furioſiſsimus, & Socrates multo omnium patientiſsimus, continentiſsimuſq; fuit. Præterea, multo, tanto, & cætera quæ dicebam eſſe cōparatiui adiungere ſolemus,uel his præpoſitionibus ante & poſt, infra,ſupra,intra,uel aduerbijs, aliter, contra, ſecus, uel nominibus adiectiuis,alius,diſsimilis, diuerſus, alienus, aut uerbis, excellere, uincere,præſtare,male, ſuperare,alijſq; multis, tale quiddam ſignificantibus, ut; Multo ante quam profectus es, &; Te aliquanto ante (ut ſpero) uidebimus: quæ à Cicerone ſunt loquendi formæ.

Longo poſt tempore uenit.

Multo aliter euenire intelligit

Cicero ad Atticum; Nec me quidem contemno, in eoque iudicio multo ſtare malo, quam omnium reliquorum. Nihil tamen impedit quominus,tantum,& quantum, & multum his dare poſsis. Aduerbijs etiam comparatiuis quibuſdam, aut ſuperlatiuis,caſum adiungimus aliquando uerborum, unde ea nata ſunt, ut longius à mari: longius à ſtudijs: propinquius mari; uicinius templo: propior muris: proximè Alpes: proximè urbem. Vulgatum eſt enim Salluſtij exemplum; Proximè Hiſpaniam Mauri ſunt: & Ciceronis; Cum ſuis copijs quamproximè Italiam ſit. Nihil eſſet neceſſe quamproximè Italiam eſſe. Officium meū putaui,exercitum habere quampro-

ximè hoſtem:& in Antonium Propius urbem. Accuſandi enim,aut alij caſus,uel ipſis à uerbis reguntur, ut; Prope Hiſpaniam: Extra Europam: Habere opes, amittere exercitum: aut à ſignificatione uicinitateq; uerborum, ut; proximè Hiſpaniam: & in mentem alicui uenire illius temporis, ut ueteris amicitiæ; Pridie eius diei; ut, Plautus illud etiam genus uſurparit in Amphitruone;

Quid tibi hanc curatio eſt rem, uerbero?

& in Aulularia;

Quid tibi ergo meam me inuito tactio eſt?

Ex his quæ jam diximus cognoſci etiam poteſt, neutrius generis comparatiua loco eſſe aduerbiorum, ut melius dicere, peius audire, turpius loqui, honeſtius uiuere. Itaque palam ſic loquimur; Clementiam Cæſaris imitabor libentius, quam arrogantiam Pompeij. Hinc aduerbia fiunt ſuperlatiua in ſecundam exeuntia uocalē, optimè,peſsimè,turpiſsimè,honeſtiſsimè, ut; Sceleratiſsimè omniū feciſti. Ad comparatiua etiam referuntur magis,& minus, & plus: ad ſuperlatiua maximè,minimè, plurimum. Magis aduerbium eſt ſemper,minus, & plus nunc aduerbium, ut; Minus diligit quam cæteri, nunc ſubſtantiuum nomen,ut minus diligentiæ, quam laboris. Plus habet uirium,quam doctrinæ. Maximè autem,& minimè,ſemper aduerbia ſunt, ut maximè omnium laborat: Minimè omnium ualet, Ponitur minimè etiam extra comparationes, ut; Minimè laboro, quicquid ſentias de me, aut loquare. Minimum,& plurimū, uel comparandi ſunt aduerbia, ut minimum ex omnibus patriam curare: Plurimum uero omnium de republica ſolicitum eſſe:aut etiam loco nominum ponuntur ſubſtantiuorum, ut minimum ſtudij,plurimum uenuſtatis. Comparatiuorum ſæpe nulli ſunt caſus, eaque nullam ad rem aliam referimus, & ferè loco habenda ſunt poſitiuorum. Superlatiua quoque eundem hunc in modum poſita, ut fortiſsimus, doctiſsimus, prudentiſsimus, pro ualde fortis, multum doctus, uehementerque prudens capere ſolemus. Sed quando ad plura ſui generis tantum ſuperlatiuo utendum eſt, illud uidere oportet, eodem de genere comparationem dici, non quum res,aut perſonæ ſimpliciter, ſed quum inter ſe ipſarum qualitates rerum, attributaue comparantur. Nam ſi à Catone ad ſenatores cæteros comparatio fiat, non ſtatim eodem de genere comparatio dicenda eſt. Sic enim ſolus Cato Stoicus in ſenatu, tum non recte dicas ſtoica ſapientia Catonem maximè omnium eſſe præſtantem. Ac ſtudioſi latinitatis non indocti homines illud præterea in dubium

uocant,

uocant, quo in genere unum ſit quiddam eminens, ad plura inter ſe omnino paria collatum, ſuperlatiuúmne in eo eſſe, an comparatiuum debeat. Nam ſuperlatiuum nomen, eſſe non poteſt quo in loco magnitudinis duo ſoli ut in hoc exemplo ſunt gradus: Comparatiuum autem non datur ijs quæ ſunt generis eiuſdem. In rebus igitur quæ ſunt unius exactiſsimi ponderis & menſuræ, ut pluri mis in templo, uel porticu, uel theatro columnis una dumtaxat ſuperante cæteras, comparatiui, aut ſuperlatiui collatio nulla eſſe poteſt, eiuſmodi, ut hæc maior columnis, uel maxima columnarũ dici queat. Age (ut reuertar ad exempla ordinis) uenerim ego ſolus in templum, poſt me autem plurimi aut infiniti: ſi eodem tempore ſimul uenerint, comparatio hic ſolum erit inter duo, ſin diuerſo, fiet inter plura ſui generis, ut in templum ego uenerim primus omnium. Quamobrem ad nomina adiectiua quæ ante iam poſui confugiendum erit, ut nihil adiuuante hic ſuperlatiuo, columnã hanc, cæteris maiorem, aut reliquis altiorem, aut alijs proceriorem dicamus. Ex his autem aduerbijs, longè, multò, facile, ualde, ſimilibusq;, aliud cõparatiuo, aliud ſuperlatiuo, aliud utriq; adiungitur, ut; Longè omnium in dicendo grauiſsimus Plato. Multo oĩum ingenioſiſsimus Ariſtoteles. Multo ſuauior in loquendo Theophraſtus. Facile Sylla deterrimus. Totius Græciæ facilè doctiſsimus Plato. Valde ſapiens, & literatus Varro. Tria ſuperiora ponimus cũ ante, poſt, aliter, cõtra, & quæ ſolere iungi cũ tanto, quanto, multo, & cæteris, quæ propria eſſe dicebam comparatiui. Pręterea, in primis, cum primis, inter primos: in paucis, cum paucis, inter paucos, dãda ſunt ferè poſitiuo, ut; Homo in primis diſertus: Familia in primis honeſta. Atq; inter duo utendum eſſe cõparatiuo, inter plura ſuperlatiuo, & comparatiuo dandum eſſe Vtrum, ſuperlatiuo Quid, ne admoneri quidem oportebat, ut; Duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius, pluribus uerò quid ſit honeſtiſsimum dicamus. Verum de comparatiuis & ſuperlatiuis nõ dicam plura, ſi ad extremum, de Amplius, de Plus, de Minus iterum aliquid monebo. Hęc igitur ſi ad uerba, uel ad nomina adiectiua, aliudue tale quemadmodum aduerbia referantur, nihil difficultatis habent, ut; Nolo amplius laborare, ſcribere, dormire, quieſcere, luctari, & quod ueteres dicebant amplius pronunciare. Minus prudenter fecit, minus doctè ſcripſiſti, minus elegans oratio, minus acute reſponſum. Nomina etiam fiunt ut iam dixi ſubſtantiua ut minus prudentiæ, minus conſilij, minus literarum, plus doctrinæ, plus ingenij, plus diuitiarum

quam humanitatis. Quoniam uero aduerbiorum ſunt loco inter- dum, non mirum eſt dici; Plus uiginti homines affuerunt: Amplius octo milia ueteranorum deſiderata ſunt: Plus decem talenta, Minus decem drachmæ ſunt erogatæ. Sed comparandi natura quum ſpectanda eſt, his caſum tribuimus comparationum, ut plus uiginti hominibus, amplius octoginta milibus ueteranorum, plus decem talentis, minus decem drachmis. Quod autem accuſatiuus aliquando his adiunctus uideatur, erit is plurimum à uerbis, aut præpoſitionibus, aut more Græcorum ex ratione temporis, loci, ſpatij, menſuræ, ut; Non plus uiginti dies nauigauit: Amplius tres annos ad urbem non uenit: Nō plus quinq; paſſus ambulauit. Nec ſcio deniq; an illud admonendum ſit, quaſdam eſſe orationes, quibus ſuperlationi plus tribuitur, quale Plauti exemplum eſt.

Omnium hominum exopto ut fiam miſerorum miſerrimus: alias uero ubi comparatio fit pluris ut; Vale igitur mi Cicero tibiq; perſuade eſſe te quidem mihi cariſsimum, ſed multo fore cariorem, ſi talibus monimentis, præceptisq; lætabere. Aperta quidem omnibus ratio eſt, ſic fuiſſe Ciceroni, ſic Plauto loquendum, ſed cognoſci etiam uolui mutuo cedere ſibi hos duos cōparationum gradus. Sed redeo iam ut reliquis de nominum formis exponam. Alia nomina diminutionis fecerunt, ut Regulus, parteculus. Nec difficile erit cuiquam uidere qua mutatione, uel additione literarū ex unaquaq; nominum forma declinatione aut genere, nomina hæc ducantur, ut uncia unciola, filius filiolus, pallium palliolum, piſcis piſciculus, latro latrunculus, uirgo uirguncula, mater matercula, corpus corpuſculum, uerſus uerſiculus, genu geniculum, dies diecula. Quædam huius formæ nomina integram ſignificationem habent, ut uehiculum, periculum, tendicula, redimiculum, cuniculus, pediculus, auunculus. A ſecunda tamen declinatione uel prima, quæ unam de quatuor liquidis habent in fine, diminutiua faciunt ut umbra umbella, & culter cultellus. Nam tabula tabella, & oculus facit ocellus, & primum primulum, & fœmina fœmella, lamina lamella, pagina pagella, fiſcina fiſcella, & uinum uillum. Mamma mamilla, mala maxilla, hala haxilla, palus paxillus, ſignum ſigillum, tignum tigillum, qualus quaſillus. Addere huc licebit etiam, deſtera deſtella, ſiniſtra ſiniſtella, dolabra dolabella, feneſtra feneſtella, libra libella, mitra mitella, terebra terebella, teſſera teſſella, flabrum flabellum, flagrum flagellum; raſtrum raſtellum. Item à patina patella, ſitula ſitella, matula matella, poculum pocillum, oſculum oſcillum,

Ad alias redit nominum formas.

lum, anulus anellus, ruma rumella, geminus gemellus, ut bonus etiā facit bellus, catena, catella. Sunt etiam non à primogeniorum forma, ſed alijs à diminuendi nominibus profecta, ut porcellus non porcum habet unde ſit natum, ſed porculum, ut nauicella à nauicula potius quam à naui ducitur. Eandem rationem habet naſcendi, ſed aliam ſignificandi, bouillus, ouillus, caprillus, ſuillus, & ſiqua ſunt id genus alia, nihil ad ſuperiorum diminutiones pertinentia. Sequitur ex his tamen ut ex plauſtro fiat ploſtellum, agro agellus, & à ſaturo etiam ſatullus, ut M. Varro de Re ruſtica libro ſecundo. Hoc item faciunt mane antequam matres in pabulum exeant, ut agni ſatulli fiant lacte. Diuerſa ratio eſt aliarum declinationum. Frater.n. fraterculus, & anus anicula. Vſus tamen antiquitatis obſeruandus eſt. Nam à prima, & à ſecunda declinatione anima quoq; facit animula, & forma formula, & ſarcina ſarcinula multorumq, huiuſmodi. Solam hic igitur conſuetudinem debere eſſe magiſtram putabimus. Sunt etiam quæ uel imitationem, uel diminutionem ſignificāt, ut Antoniaſter, Fuluiaſter, item ſurdaſter, & recaluaſter, multarūq; rerum nomina hanc in uocem cadentia. Docent hoc loco, ut alia nomina ex alijs naſcantur, ut prudentia, duritia, ſapientia, continentia, cubile, ſedile, ceruical, exul, oliuetum, calcar, præſidiū, lacunar, à ſuis primigenijs. Appellātur hæc denominata, ut ſuperiora etiam dicta ſunt à doctiſsimis quibuſdam potius diminuta. Sed rem nimis longam, neq; ſatis certam, aut neceſſariam perſequuntur. Nihil.n. eſt negotij uidere, utrum pudicus à pudicitia, an pudicitia à pudicus natum ſit, ut lætus etiam & lætitia, miſer & miſeria, cliens & clientela, dulcis & dulcedo, habitus & habitudo, aſper & aſperitas, auctor & auctoritas. Nam hic dubitare quæ à quibus naſcantur nemo poteſt. Qua uero mutatione, adiectione, detractione literarum hoc in omnibus fiat, per ſe quiſq; ſexcentas præceptiones poterit notare. In obſcuris autem uel rationem, ſiqua modo appareat, uel conſuetudinem ſequetur.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. IIII.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

HINC, alias ad nominum formas redit, ac deminutiuis de nominibus noua quædam à ſe excogitata proponit. Genera nominum cognoſcendi (ut res patitur) certam rationem tradit. Caſuum uoces, & nomina declinandi quinq; formas uſq; ad finem libri perſequitur.

AC uideor mihi tanta in uarietate nominum, formis, cognatione, gradibus, uſuque uetere comparationum, & infinita penè in ſubtilitate rerum nimis iam diu eſſe uerſatus. Sunt hæc omnia (ut antiquis etiam grammaticis uiſum eſt) uno illo ex fonte, quem græci quoque auctores ſpeciem dixerunt. Hanc nos cum doctis omnibus primam fecimus eorum quæ nomen conſequuntur. Hanc ſumus unam hactenus perſequuti, unde nobis tam multa ſunt nata quæ ſcriberentur, ut cætera ſuſtinere unus liber non poſſet. Quamobrem de nomine quæ ſuperſunt, uiſum commodius eſt ad hunc librum differre ut minus multa quùm dicenda ſint eodem loco, uberius poſsim de ſingulis & paulo accuratius diſputare. Sed placet mihi, quemadmodum adhuc feci, ijs de rebus uitijsque dicere quæ niſi corrigantur, nihil eſt quod hæc ſermonis latini præcepta colligere debeamus. Duobus in ſuperioribus libris, illorum inſania obſtinatioq; mentis reprehenſa eſt, qui in latinitatem ſunt inuecti probatumq; in omne futurum æuum ubicunque religio erit, in Italia, Hiſpania, Gallia, Britannia, Germania, Sarmatia, & ultra Oceani littora omnia, ſimul cum omni mundo eſſe uicturam. Putemus enim aliquo in

in tempore, illius de æternitate, & regno orbis terrarum generi humano, ſic à Deo reſponſum fuiſſe.

Huic ego, nec metas rerum nec tempora pono,
Imperium ſine fine dedi.

Non uacat mihi iſtos homines, ut uolo, utq; poſſum refellere, nec tam ſæpe ac tam longe à propoſito aberrare, ijs tamen qui nec plene & ſordiſsime hanc diſcendam putant, proximo libro qui ſequitur, alijs qui omnino tollendam clamitant, quùm ad præcepta uerſus componendi uentum erit aliquid reſpondebo. Nunc uero quemadmodum primo libro ſumus polliciti, de ijs dicendum eſt qui ad literas miſsi diſcendas, naturæ, iudicij, aut prauæ conſuetudinis uitio, impediti ſunt ne quid ex bonis literis diſciplinisue cæteris conſequantur. Ac primum uaria ſunt hominum ingenia, ſenſus, mores, uoluntates, nec in malis eadem peruerſitas naturæ, nec in bonis, tantum una eſt uirtus quam laudare poſsis. Alius acumen habet, alius memoriam, alius utrumque, alius neutrum. Hic cito diſcit, ille diu retinet. Sunt qui utrunq; habent hanc opem à natura: ſunt quibus labor eſt maximus pàucisſima diſcendi, eaq; ſtatim affluxere. Sunt hæc naturæ, illa autem uoluntatis & multorum. Aſsiduitate enim in ſtudijs, & fructum legendi, ad literas quidam uidentur eſſe nati, alij ab ijs alieniſsimi quas uel contemnunt, uel ſeſe ad eas cogere non poſſunt. Alios nullo unquam, in momento temporis, uel in congreſsibus, uel ſolos eſſe uideas in ſermone aut cogitatione ulla de literis. Tarditatis uitia ſunt illorum qui multum ſudantes ægre aut ſerò aut ne ſerò quidem perueniunt quò ducere illos conere. Illud uerò apud præceptores maximè olim uidebatur in quorundam ingenijs eſſe mirandum, qui natura ſic auerſi erant à uoce ac ſermone doctoris, ut mentem nullo pacto cogere ad audiendum poſſent. Magno emerem ne hoc genus uidiſſem: ne in barbarie quidem aliqua uellem credere humani ſenſus ita parcam ſolere eſſe naturam. Sed ij tamen oſcitantes, dormitanteſque moleſtiam ferre illam audiendi non poſſunt: furtim oculos atque uultum ſæpius à te auertunt. Vt minitantes ictus, ut ſplendidiſsimarum obtutum rerum, ut ſolem ipſum acies reformidat, ita illorum cogitatio & mens, uocem ac ſpiritum loquentis, occulto ſenſu quodam auerſans, conniuensque pertimeſcit. Alijs obeſt uelocitas naturæ, mentiſque feruor nimius, cum leuitate coniunctus. Pleroſque fallit inanis perſuaſio qua ſeſe tanquam plurima didicerint mirantur.

tur. Mitto ignauiam, aut impatientiam laboris, inanitates ingeniorum, aliarum delectationes rerum, ſui ſenſus, iudicijque amorem, atq; arrogantiam, & ipſos in doctores audaciam & linguæ procacitatem, ruſticæ ac ferinæ mentis barbariem & in animis quorundam aliatæ rationis odium, alienas à uero mentes, & plurima naturæ uitia aut uoluntatis, quę niſi à præceptoribus corrigantur aut in ſe quiſq; animaduertat, ei, aut nulli poterunt labores eſſe ſatis ad diſcendum, aut literæ bonæque artes acceſsionem afferent ad uitia naturæ, ut ſalutarius foret his nunquam literas uidiſſe. Qui autem hæc uitia aut non habuerint aliquando, aut nata ſecum, exuerint, & integri amanteſque ad præceptorem ueniunt ij mirandum in modum præceptoris uoce, conſilijs ac nutu etiam ipſo adiuti, non ſolum docti ſed graues & iuſti, locum inter homines diuinitati proximum conſequuntur. Horum igitur gratia tantum, hos libros ex tua frater uoluntate & ſententia aggreſſus, redeo ut nominum de generibus numeris figuris & caſibus abſoluam. Genera nominum proprie tria ſunt, maſculinum, ut hic ſplendor, fœmininum, ut hæc arundo, neutrum, ut hoc templum. Tria hæc trium generum nomina, à doctiſsimis quoque ueterum, & optimis latinæ linguæ auctoribus inuenio eſſe uſitata, ut ne M. quidem Tullius, aut Varro, hæc uitanda exiſtimarit. Hic enim auctor ſic in libris de Re ruſtica ſcripſit. Non ut aduenæ uolucres, pullos faciunt in agro ciconiæ, in tecto hirundines, ſic aut hic aut illic turdi, qui cum ſint nomine mares re uera fœminæ quoque ſunt neq; id non ſequutum, ut eſſet in merulis, quæ nomine fœminino mares quoq; ſint. Quatuor adhuc alia grammatici fecerunt

Genera nominum.

commune duum generum ut homo, uel trium ut uetus, promiſcuum ut uultur, incertum ut dies, & finis, margo, cortex. Nam quia ſingula genera proprias uoces non habent, una uox data eſt, uel duobus ut homo & leuis, uel tribus ut anceps & uetus. Tum quia animantium ſexus cognoſci non poterat ut inſectorum, ut uolucrum, ut piſcium, ut immanium ferarum quibuſdam ex his tam maribus quam fœminis datum eſt maſculinum genus, ut hydrus, ſcombrus, gurgulio, tabanus, gracchus, paſſer; quibuſdam uerò fœmininum ut aſpis, formica, murena, ueſpa, cornix. Neceſſario igitur, ut etiam Varro ait ſic de his conſtituerunt auctores illi primi latinitatis. Illud non neceſſariò ut quædam genere nunc maſculino, nunc fœminino dicerent, ut finis & alia non multa. Nam dies aliud alio genere ſignificat. Hoc poſtremum genus incertum

certum nominarunt. Cognoſcendi genera ſiqua eſſe alia præter au ctorem conſuetudinem ratio poteſt, illa ſit prima quæ maximè à natura eſt ut uirorum nomina ac Deorum, & quæ ad Solos uiros, Deos que pertinent dubitari non debeat quin uirili genere dicenda ſint, ut Cato, Vulcanus, orator, poeta, philoſophus, geometra, paſtor, conſul. Idem ferè ſit iudicium de montium, de fluuiorum, de uentorum, de menſium nominibus, ut Apenninus, Tyberis, Boreas, December. Ratione ſimili ac de ſuperioribus dictum eſt, fœminis quoq; ac Deabus & Nymphis muliebre genus dari oportuit nominũ quæ uel propria ſunt, uel appellatiua, ut Lucretia, Venus, Mineruа, Iuno, Mater, Saga, Regina, Soror, Venatrix, Glicerium, Philotiũ πολυδεύκιον, σωκρατίδιον. Quanquam huius formæ apud græcos neutra ſeu propria ſint ut φίλτατον πολυδεύκιον ſeu appellatiua ut νήπια τέκνα apud Homerum, noſtro in ſermone ad muliebre genus adiectiuum accommodantur, ut;

Mea Glycerium quid agis?

Apud nos paucisſima huiuſmodi, neutro genere pronunciantur ut Scortum & mancipium. De uirili autem genere nihil eſt quod nos quidem in hac forma nominum præcipere debeamus. Cætera ad uiros ac fęminas pertinentia communis eſſe generis neceſſe eſt, ut conuiua, auriga, aduena, comes, dux, princeps. Videndum eſt præterea quæſpecies ſequantur genus, quæ non ſequantur. Nam quia genere fœminino arborem dicimus & inſulam eodem ſunt genere quercus, pinus, ilex, acer, item Sicilia, Rhodus, Creta, Sardinia, Baleares. Vt etiam prouincia eſt, & regio & terra, ſic Italia, Hiſpania, Gallia, & Aegyptus; ut fluuius & amnis, ita Liris, Aufidus, Brenta, Padus, Anio, Tyberis. At uero non quemadmodum Roma, Fauentia, Mutina, & illa uoce Berithus. Tyrus, Damaſcus, ita Sulmo, Puteoli, Saguntum, Patauium, muliebre ſequuntur, ideſt ſuum generale nomen. Quin & eorum quæ iam dicta ſunt ſæpius nos fallet ratio. Quare illud meminerimus poſſe nos quidem ex his doceri multa, ſed errorem caueri tamen diligenter oportere. Præcipi uniuersè adhuc poteſt, pomorum nomina atque fructuum exceptis baccarum, nucum & admodum paucis neutrius eſſe generis, ut fraga, mora, pruna, ceraſa, pira, ſorba. Diſcrepant aliquando adiectiuorum genera à ſubſtantiuis ut;

Aliquid monſtri alunt ea quoniam nemini obtrudi poteſt

Itur ad me

quo in genere infinita ſunt illiuſmodi

Tran-

Tranſtulit in Eunuchum ſuam
&
Triſte lupus ſtabulis
&
Vbi illic eſt ſcelus qui me perdidit
&
Monſtrum hominis non dicturus?

A maſculinis quibuſdam, aut communibus duorum generum tertię declinationis ueniunt fœminina declinationis primæ ut à fidicen fidicina, antiſtes antiſtita, hoſpes hoſpita. Permagni autem facienda ea ratio eſt, quæ ad ſenſum, atque naturam (ut iam dixi) genus accommodare nos cogit. Nomina enim quæ nullum aliud unquam niſi id quod neutrum dicimus, habuerunt, ad perſonas relata, genere incipiunt eſſe quo perſonæ, ut;

Significatio potius nominum aliquando intuenda eſt quam uoces.

Taces monſtrum hominis? non dicturus?
& in Andria idem Terentius;
Aliquid monſtri alunt, ea quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me.
Hinc ſunt illa;
Tranſtulit in Eunuchum ſuam,
uti dicatur etiam, Phormio uendita, Amphritruo acta, Eunuchus placita, Miles plautina. Neceſſariò etiam duo nomina ex ijs quæ ſubſtantiua dicuntur, ſæpius genere diſsident, ut Sulmo oppidum, Brunduſium ciuitas, Puteoli municipium. Ergo & numero, Athenæ ciuitas, Formiæ caſtellum, itemque illa, centaurus nauis, Danubius flumen. Duorum generum ſunt quædam à natura, ut Sulpitius, Tulliolam Ciceronis hominem fuiſſe natam ſcripſit. Plautus etiam in Perſa quum de puella loqueretur;
Qui hic commercaris homines liberos
Alia uerò diſcretum habent genus, ut leo leæna, draco, dracæna, equus, equa, lupus, lupa, tametſi lupum fœminam fuiſſe dictam. Varro eſt auctor, unde factum puto ut lupis in uſu manſerit potius, quam illa declinandi forma quæ eſt aſinabus, & mulabus, quod nomen lupæ quondam non fuiſſet. Et fęminarum quidem nomina, maſculorum nominibus coniugata eſſe debent, ut Iulius, Iulia, Fuluius Fuluia, Lucius Lucia, Marius, Maria, Deus, Dea, ceruus, cerua, niſi quod Fauni, &, Satiri fęminas, Nymphæ, uerò maſculos non habent. Denique à boue bos & fęmina, ut;
Ille meas errare boues

Sed à tauro, taura in uſu non manſit. Diſcreti ſunt generis quæ ante dicebam hoſpes, hoſpita, antiſtes, antiſtita, fidicen, fidicina, tibicen, tibicina, contra quam ſacerdos & uates, & alia quorum uox una eſt utriuſque generis. Pauca apud nos mutauerunt genus quod erat in ſermone græcorum, ut, κρατὴρ cratera κηρὸς cera ἀμφορεὺς amphora κύλιξ calix. Atque ego oſtendi iam quæ minus incerta ſunt: nec mirabimur tamen, ſi quid à doctis contra eſſe factum uidebitur. In alijs uerò multiplex minuſque rata præceptio eſſe poteſt. Genus quidem tenere certum nihil eſt negotij ijs qui ueterum in libris uerſantur, ſed cauſam afferre cur hoc aut illud genus eſſe debeat, aut rationem tradere, qua omnia aut quam plurima queant ſimilia cognoſci nemo poteſt. Reliqua ex lectione auctorum ad ſingulas declinationes relata ſuas de quibus iam præcepta dabimus, cognoſcentur. Nimis enim ſubtilis, ac ſpinoſa nec ſatis conſtans tractatio, eſſet, ſi uelim ex ultimis uocalibus conſonantibuſue literis genera nominum docere, quod ſi adiuuare poteſt aliquid, malo tamen ad ſiqua poſſim altiora minuſque exilem doctrinam exercendaque ingenia rudes excitare. Numeri duo ſunt ſingularis ut hoſpes, pluralis ut hoſpites. Detur mihi uſitata, & neceſſaria à doctis hominibus uenia, ut nouis hæc duo etiam uerbis exponam, & ſingularem pluralemue numerum dicere ne extimeſcam. Nam ſi rethoricis in libris, nemo Quintilianum reprehendit, quod in hanc ſententiam, ſingulariter etiam & pluraliter dicere eſt auſus, quanto magis hoc mihi, ſæpius intra fines grammaticæ manenti, hæc dicere quæ ſunt minus dura permittendum erit? Quare maſculinum quoque genus & fœmininum; illo eodem auctore, & ex Varronis exemplo ſæpius iam dixi, & primitiuam deriuatiuamque ſpeciem, & alia quædam artis propria uocabula, ante mille annos à doctis hominibus nouata hactenus uſurpare, & quoties poſt hac oportebit, aut uiſum erit non uerebor. Sed redeo ad quæ ſunt propoſita. Sæpe ex his duobus numeris alterum pro altero uſurpamus, figura illa quæ συνεκδοχὴ nominata eſt, ut Pœnus & Romanus, apud Liuium, & hiſtoricos pro toto exercitu Pœnorum, aut Romanorum dicitur, ut etiam poetę & Virgilius;

Hoſtis habet muros, ruit alto à culmine Troia

Sed modeſtiæ cauſa, cum illo multitudinis, hunc unitatis numerum commutamus ut oratores uiſi ſumus, in cauſis floruimus, rempublicam ſeruauimus, nec nos pœnitet quantum glorię

gloria conſequuti ſumus. Vna de re uel perſona aliquid ſtomacho ſe dum loquimur ad genus totum, & hunc multitudinis numerum conuertimus, ut;

Non perpeti meretricum contumelias

Plautus in Curculione uno de liberto ſummano luſco;

Quos tu mihi luſcos libertos, quos ſummanos ſomnias?

Dualem uerò ſermonis græci proprium latinitas non recepit uſquã niſi ijs tantum in nominibus quæ vnitatis & multitudinis per naturam ſunt expertia, ambo, duo, bini, alter, uterque, neuter, alteruter. Sunt autem partium orationis dumtaxat illarum quæ declinari, & perſonas habere aliquo modo poſſunt. Quare modus uerbi infinitus, & gerundia illa quæ dicuntur ſubſtantiua, & ſupina quibus perſona deeſt omnino, carere etiam numero debuerunt. Nec moueor quod ſunt aduerbia quædam pertinentia ad numeros, ſemel, quater, decies, millies. Quod enim ad hanc rationem attinet, quæ eſt de partibus orationis, non eſt ſæpius inclamare, idem quod multos inclamare, & illud ſæpius, unitatis numero, uel multitudinis adiungi poteſt, ut ſæpius audiui, & ſæpius audiuerunt: numerus autem partium orationis quæ declinantur eiuſmodi eſt, ut niſi ad parem ſibi numerum accommodari minimè poſsit, ut legit Ariſtoteles Platonem: deambulant Peripatetici in Lyceo. Quædam habent ſolum unitatis numerum, ut inuidia, ſanguis, iuſtitia, gloria: quædam multitudinis, ut ſcalæ ſuppetiæ, nugæ, plurima utrunq;, ut mons, flumen, labor, montes, flumina, labores. Sunt illa porrò ſemper unitatis, aut ſemper multitudinis, uel à natura ipſa uel à con ſuetudine doctorum. Nomina enim rerum uel perſonarum propria non patitur ulla ratio ad numerum tranſire multitudinis. Nam una eſt Italia, unum Latium, una Roma, unus Romulus, unum Capitolium, unus Tyberis, quorum ſtultè quis multitudinis numerum cogitaret. Singularia ſunt Luna, Sol, Mundus, Cœlum, Deus, quanquam & mundos eſſe innumerabiles quidam putauere, & ſoles eſſe uiuos aliquando plures in monumentis extat literarum, & eſſe innumerabiles Dij in fabulis notantur. Caſu tamen accidit plures ut Romuli, Scipiones, & Bruti nominentur, itemque ut prima in Italia dicatur perinde ac ſi plures eſſent Italiæ, ut prima etiam in prouincia M. Tullius, &;

Primiſque in faucibus Orci

Virgilius dixit.

Conſuetudinis uerò ſunt, puluis, ſanguis, Athenæ, Puteoli, cumæ, & quæ

& quæ iam dixi, Scopæ, nundinæ, pugillares. Nihil enim repugnãte natura, pulueres, & ſanguines, uel Athenam, & Puteolum, & cumam noſtri maiores dicere potuiſſent. Iam uero illa nomina Tellerij, pietatis, Virtutis, Iuſtitiæ, quoties Dearum eſſe uolumus, numerum habere multitudinis non debent. Scio tellures, pietates, iuſtitias, non eſſe dictum aliquando, ſed nunc altera, nouaq; ratio accedit, cur dici non debeat, quia deſinunt nomina eſſe generum uel formarum. Hordea tamen, & lentes, & fabas, & quædam ſimilia iure ſuo poetæ dixerunt. Etenim quæ menſura aut pondere continentur potius quam numero, ijs dari multitudo non conuenit: quamquam numerus frumenti, numerus hordei, numerus uini rerumque ſimilium à doctiſsimis ueterum dici conſueuit. Eodem carent numero multitudinis, metallorum nomina, auri, argenti, æris, plumbi, electi, uitri, & chriſtalli: unitatis uerò ſuculæ, Hyades, Virgiliæ, piſces, & gemini ſigna Zodiaci, & feſtorum nomina, Floralia, Conſualia, Palilia, Lupercalia, Manes, Calendæ, Nonę, Idus. Dicuntur, multa ſingulariter, & quæ una ſunt, pluraliter, (ſic enim ueteres etiam loqui ſolent) ut populus, concio, exercitus, & contra Veij, Falerij, Thebæ, Mycenæ, ſed hic eo ſum breuior quod ad nominum declinationes quum uenero, de his aliquid præterea dicendum erit. Figuræ etiam duæ ſimplex ut doctus, prudens; compoſita ut indoctus, imprudens. Figuram igitur eſſe docti homines in grammatica dixerunt, uerborum ſimplicium, aut compoſitorum diſcrimen. Componuntur autem modis quatuor. Ita enim Varro hæc diſtinguit, ut ſint quædam ex duobus integris, ut ſuburbanus, ex duobus corruptis, ut municeps, ex integro & corrupto ut ineptus, ex corrupto & integro ut armipotens. Nec duobus tantum, ſed pluribus etiam uerbis quædam componuntur, ut inexpugnabilis, imperterritus. Quæ duobus ex nominatiuis compoſita ſunt utrinque declinantur, ut Eques Romanus, Tribunus militaris: quæ autem nominatiuo conſtant & alio caſu, tantum à parte nominatiui, ut Magiſter equitum, ſenatus conſultum. Nec deſunt compoſita nomina pro ſimplicibus, ut rutacæſa, ſarta tecta pacta conuenta, & his non multa plura. His tamen duabus, tertiam adiunxere etiam grammatici figuram, quam de compoſitam, ideſt παρασύνθετον dixerunt. Ea ijs in uerbis locum habet, quæ alijs à compoſitis ueniũt ut quæ dixi inexpugnabilis, & imperterritus. Ego tamen ut ſe ſe res habeat non laboro. Eſto ſanè (ut uolunt) hæc tertia adiuncta, Omnes autem partes orationis (interiectione excepta) componun-

tur, niſi fortè quis participium quoque neget componi, cuius ea ratio eſt ut aliis uerbis in eandem orationis partem coeuntibus non ſæpe iungatur. Nam peruertens, ingrediens, colluſtrans, & mille ſimilia non à ſimplicibus nata ſunt participijs uertens, gradiens, luſtrans, ſed ipſis à uerbis uertendi, gradiendi, luſtrandi. Multa grammatici hoc loco diſputant, uere illi quidem & acutè, ſed ego ueritatem & acumen quæro tantum illud, quod ſermonis latini ſcientiam adiuuare poſsit. Nulla enim apud me, nulla apud animum cuiuſquam grammatica eſſe debet, quæ non ad ea proſit quorum cauſa inuenta eſt. Illud præcipiunt non prorſus inutiliter quod nomen duobus conflatum ſit caſibus obliquis, id neutra ex parte declinari, ut huiuſmodi homo, huiuſmodi homines, huiuſmodi hominum, huiuſmodi hominibus. Affinia ſunt his, eiuſmodi, iſtiuſmodi, cuiuſmodi, quæ tamen ignorari à quoquam nec debent, nec poſſunt, ut ne illud quidem Alteruter ex duobus nominandi caſibus, aliter quam reſpublica, eques Romanus, tribunus militaris, non utrinque ſed poſteriore ſolum ex parte declinari, ut alterutrius, propterea quod genus muliebre, atq; neutrum, non ut uirile duabus integris nominãdi uocibus cõponatur. Alterutra enim, & alterutrũ hiatus uitãdi cauſa dicẽdũ fuit, ubi alterutra, & alterũ utrũ analogiæ ratio poſtulabat. Caſus ſex, Nominatiuus Cato, Genitiuus Catonis, Datiuus Catoni, Accuſatiuus Catonẽ, Vocatiuus, Cato, ablatiuus Catone. Septimũ caſum eſſe dixerũt quoties ablatiuo ſine prępoſitione materiã, aut inſtrumentũ quo res fiat notamus, ut;

-Sinus lacrimis impleuit obortis: &;
-Nec duro poteris conuellere ferro.

Huic ſeptimo, quibuſdam placuit octauum adiungere, ut;

Inferretque Deos Latio.

Caſibus porrò nomina dedimus ea, quæ non ſolum Fabio Quintiliano, & antiquiſsimis grammaticorum, ſed M. etiam Varroni uſitata cognouimus. Neque enim eſt cur non ijſdem quibus olim noſtri maiores nominibus contenti ſimus. Nec laudo, quod antiquitate reprehenſa, temere uidentur ſibi quidam inueniſſe meliora. Quid enim latinitas eſt, ſi ea quæ nobis eſſe debet grauiſsima. ueterum auctoritas, corrigenda uideatur? Mihi quidem certè uolo ſanctum eſſe quicquid circa ſæculum Varronis placitum literatis hominibus fuiſſe ſciam, ut ne illud etiam dicatur grammaticæ, ut philoſophiæ, cæteriſq; artibus, propria quædam uocabula conceſſa olim fuiſſe, vel à communi vſu remota, vel ſenſu paulo aliter commuta-

mutata. Non uertendum igitur his nominibus uti, & caſus, & rectos, & obliquos, ideſt. ὠθείας πλαγίαςque & tranſuerſos dicere, ſi & ratione ipſa, & Varronis etiam auctoritate hæc nituntur. Immo hercule Cicero nobis eſt auctor ſæpius, ut obliquos etiam caſus dicere, & agendi, patiendiq; uerba proloqui aliquo modo poſſimus, & uerba neutra ſine metu barbariſmi, & alia quam plurima latiniſſimè dicamus. Caſus autem nominãtur non quod à recto cadãt. Sed quod uſitata honeſtaque uerbi translatione in ſyllabas cadere has, aut illas uerba dicimus, declinato à græcis, uerbo πίπτειν unde à philoſophis quoque & ipſo Ariſtotele πτώσεις dicuntur: quare, & ὁμοιώπτωτα noſtri ſimiliter cadentia uerterunt, quod niſi falſum eſt, rectus etiam caſus nomine carere non debuit. Illud uide etiam ſi quod eſſe uolumus argumentum quod nihil intereſſe illi iudicarunt utrum ea ſimilitudo, caſibus tota an rectis, an miſtione vtrorumque fiat, vt etiam ſæpe hæc, & ὁμοιωτέλευτα, altera pro alteris acceperint. Caſuum igitur, vel vnæ tantum ſunt voces, ut frugi, ammi, gummi, thlaſpi, vel binæ, vt fors, unde caſus auferendi ſolus declinatur, forte: vel ternæ, vt cœlum, cœli, cœlo: vel quaternæ, vt liber, libri, libro, librum: uel quinæ, vt magnus; uel ſenæ, vt vnus in quo ſunt omnes caſuum diſcretę uoces. Nunc ſingulis de caſibus videro ſi quid præcipere vtiliter poſſim. Ac duo ſunt omnino in quibus neceſſaria præceptio eſt: vnum quod in vocibus, poſtremiſque tantum in ſyllabis, alterum quod in ſignificationibus, & caſuum tractatione uerſatur. Illud prius, quas terminationes habeat, & in tertia præſertim declinandi forma, ubi maxima varietas eſt, quas in uocales, aut in conſonantes cadant vnitatum nominatiui, non multis quæram. Etenim hæc, res eſt ea quæ nec breuiter, nec ſplendidè, nec ſatis, magno cum fructu explicari poteſt. Obliquos igitur quanta fieri diligentia poterit quantumque opus erit ſcrutabor. In his enim poſita declinandi ratio eſt qui propriè declinantur, & ex gignendi caſu, & auferendi maximè, qui noſtræ linguæ proprius eſt, caſus cœteri cognoſcuntur. Quamobrem illa priora nunc perſequar, ſiquid in ijs eſt quod prodeſſe putem. Itaque ſermonis græci ſunt illa, Marſyas, Getas, Chęreas, Soſias, Midas, nec pauca huius formæ, quæ ſi integra ad nos veniunt longas retinent ſyllabas poſtremas, ſin auferatur his quinta ſemiuocalis, noſtro more nos ea correptè pronunciabimus: eadem ſit rõ nominum quæ in ſecundã vocalẽ noſtri homines verterunt, vt Penelope, Alcythoe,

Quædã ſunt uetera quę habeatur pro nouis.

Rectus etiam caſus dici rectiſsimè poteſt.

Lybie,

Libye, Calliope. Hæc in primam uocalem terminare ſi uolumus, ut Alcythoa, Nauſicaa, aut Beroa dicatur, iam non græci ſed noſtri ſermonis (quod ad poſtremas attinet ſyllabas) ratio ſeruabitur, quod ipſi etiam græci tenent quoties fit ex his πηνελόπεια, καλλιόπεια unde noſtri etiam poetæ fecerunt;

Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Sed magis idoneo loco, & plenius dici reliqua poterunt, quum ad formas uentum erit declinationum. Nunc ſingulis de quibus iam dixi caſibus uidendum eſt, quid uarietatis, adiumenti, aut luminis, ad orationem propriè afferre poſsint. Proprium eſt nominatiti ſemper eſſe cum uerbo, ut Cato ſcribit, Fabius docetur, unda inčaneſcit. Proprium genitiui aut actionem ſignificare, ut ſtudium Platonis, aut perpeſsionem ut ſcientia iuris, aut poſſeſsionem ut epigrammata Catulli, uel regi à uerbis, ut miſereor tui, egeo librorũ, uel ſimilem eſſe ablatiuo, ut magni ingenij, uel magno ingenio adoleſcens. Itaque dicimus indifferenter ubi adeſt nomen ſubſtantiuũ, nullo conſilio, & nullius conſilij hominem, magna ſapientia, & magnæ ſapientiæ, ſtultitia ſingulari, & ſtultitiæ ſingularis. Nolim tamen eodem loco ſimul hos duos eſſe caſus. Nam quod exempla quædam genitiuo ablatiuoque uariata eſſe uideantur, non eſt recipiendum in præcepta, & communem in conſuetudinem loquendi. Aliqua enim ex ijs uideri poſſunt genitiuum habere nullius cōmercij cum ablatiuo, quale fortaſſe illud ſit; Lentulum noſtrum, eximia ſpe, ſummæ uirtutis adoleſcentem, quum cæteris artibus quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui fac erudias: ut in adoleſcente non tam ſummam uirtutem, quam adhuc ætas non ferret, quam ſummę ſpem uirtutis laudaret. Genitiuo dici illa ſolent; Nuſquam gentium, ubi terrarum, aut unde locorum, itemq; nullus gentium, ut; O Dij immortales (Cicero inquit) vbi nam gentium ſumus? & Terentius

Genitiui, & reliquorũ caſuum tractatio.

An quiſquam gentium eſt æque miſer?

Sunt hæc in ore omnium; nec minus illa habent uenuſtatis quæ M. Tullij ſunt ad Atticum; Quam honeſta, quam expedita tua conſilia, quam euigilata tuis cogitationibus, qua itineris, qua nauigationis, qua congreſſus, ſermoniſque cum Cæſare: eundem ſenſum alibi hunc in modum expreſsit; Video te diſtentiſsimum eſſe, qua de Butrotijs, qua de Bruto. Pertinēt ad gignendi caſum, boni cōſulere: æqui bonique facere, ut idem auctor ad Atticum Trãquilliſsimus autem animus, qui totum iſtiud bonique facit, & Terentius;

Cæte-

Cæterum equidem, iſthunc Chreme æqui boniq; facio.
etiam abeſſe bidui, ut; Hæc dictaui ſedens in rheda quum in caſtra proficiſcerer à quibus aberam bidui. Sic etiam loquutus eſt Cornelius Tacitus & alij boni auctores, quidam ut græco more dicerent. In Aegyptum proficiſcitur cognoſcendæ antiquitatis: In urbem ingreſſus eſt, depellendæ ſuſpicionis, uel teſtimonij dicendi, uel conciliandi ſenatus, quibus in locis illi ἕνεκα uel χάριν ut nos cauſa animo, ſtudioq; gratia intelligimus. Proprium datiui, aliquid rebus uel perſonis acquirere, ut; Attulit mihi epiſtola tua dolorem, attulit uoluptatem, aut παρελκόντων loco poni, ut Cicero ad Atticum; Hic tibi roſtra Cato aduolat: & in Lucullo; Vos autem mihi ueremini ne labar ad opinionem, & aliquid aſciſcam & cõprobem incognitum; & Virgilius;

Depreſſo incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere uomer:

& T. Liuius; Ad illa mihi per ſe quiſq; acriter intendat animum. Hic ſunt etiam illa habere quæſtui, habere contemptui: Item prędæ, honori, uoluptati, deriſui. Accuſatiui eſt pendere à uerbis, ijs quæ κατηγορήματα uocantur, ut habere cauſam: diſcere literas: uel à præpoſitionibus, ut iuxta littus, prope uiam: uel dici abſolute ad ſignificationem temporis, ut;

Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.

Abſolute etiam illo more; Magnam partem apud me hoc anno fuiſti. Huc pertinent illa latum unguem tranſuerſum digitum: latum pedem, ut; Mihi non licet tranſuerſum (ut aiunt) digitum diſcedere. Pueri Siſennæ credo qui audiuiſſent quæ in illum teſtimonia eſſent dicta, oculos de iſto nunquam deijcere, neque ab argento digitum diſcedere. Vocatiui autem in ſyllabas cadere ſemper nominatiui, præterquam ſi generis maſculini ſint nomina ſecundæ declinationis, ut Romanus Romane. Noſtri tamen Atticos imitati ſunt aliquando, ut caſum hunc eundem facerent cum recto, ut;

Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum

Eſt eiuſdem, ſibi nominatiuum ſubſtituere, ut;

Nate meæ uires mea magna potentia ſolus

Deus uerò, unam duntaxat habet uocandi & nominandi uocem. Appoſitionem uocant grammatici hoc genus, & propriè hoc loco tria quæ ſequuntur uocatiuum, participio præſentis temporis, à uerbo ſubſtantiuo græcè, uel articulorum adiectione dicerentur.

tur. Ablatiui denique eſt pendere, aut à uerbo ut utor diligentia, aut à præpoſitione ut homo ſine literis, aut à materiæ inſtrumentiue ratione aliqua, ut res plena uento, plena mendacijs, terra proſciſſa uomere, nauis onuſta auro, uel præda: aut regi (ut grammatici loquuntur) abſolute, qualia ſunt illa uulgata omnibus; Te repugnante res confecta eſt: aut ſignificare tempus, ut Cicerone & Antonio Coss. extincta coniuratio eſt. Duas hic oportet eſſe res uel perſonas, ut auferendi caſu altera eſſe poſſit: qua de ratione tota, mihi quùm ad participia uenero dicendum erit. Horum caſuum numeri nonnulla cum ratione diſſentiunt aliquando à numeris uerborum, ut;

Pars in fruſtra ſecant:

Sæpius numeri inter ſe nominum, hinc adiectiui, inde ſubſtantiui re pugnant, ut;

Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis,
Quam plurimis & minime multos lædere,
In his poeta hic nomen profitetur ſuum

Idem poeta in Adelphis

Aperite aliquis actutum:
Mille ſunt huiuſmodi, auctorum omnium.

Prima nominũ, declinandi forma.

Sunt autem quinque formæ, huiuſmodi in caſus, declinãdi nomina, quas uocãt declinationes, quarum prima eſt maſculinorum, fœmininorum & communium, in Ae diphthongum cadente genitiuo datiuoque ſingulari, ut hic poeta, hæc muſa, hic & hæc aduena: huius poetæ, muſæ, aduenæ. Placuit autem in hac re mihi communem ſequi morem ut ex forma genitiui caſus reliquos, & omnium declinationum genera oſtenderem, non quia non eſſe ratio alia uideretur ſed quia ex duabus neutram pluris facerem & hanc magis uſitatam eſſe cognoſcerem. Alia enim uia quondam fuit illa M. Varronis ut ex unitatis auferendi caſu potius qui eſt latinitati proprius declinationum formas uideremus. Poterunt illæ quidem ex numero multitudinis etiam cognoſci. Differunt enim inter ſe etiam genitiui multitudinis, ut Muſarum, templorum, felicium, genuum, dierum. Sin tamen (Varro inquit nono libro de lingua latina) à ſingulari quis potius proficiſci uolet, id illum facere oportebit ab ſexto caſu qui eſt proprius. Latinis enim non eſt caſus alius. His literarum diſcriminibus, facilius reliquorum uarietatem diſcere poterit, quod ij habent exitus aut in A, ut ab hac terra, aut in E, ut ab hac

lance,

lance, aut in I, ut ab hoc leui, aut in O, ut ab hoc cœlo, aut in V, ut ab hoc uerſu. Ego uerò utranque uiam oſtendi iam, non ut utra magis placeat, ſed utraque ſimul uti poſsimus: ac ne illa quidem quæ dicta eſt genitiui multitudinis repudiandam putemus. Tanto enim certior declinatio erit quanto plurium ex ratione caſuum cognoſcetur. Videri tamen fortaſſe hoc loco Varro poterit declinationem quæ apud nos quinta eſt, ſuam in ſecundam eſſe complexus, id quod grammatici ueteres, quique poſt illum inſequuti ſunt homines docti (ut ego quidem arbitror) imitati non ſunt quia ſe duabus rebus impediri cogitabant, caſuum diſsimilitudine, & ſyllaba ablatiui poſtrema quæ eſt in lance, & ſimilibus correpta in pernicie, uerò, die, ſpecie, & acie, producta. Ex una autem quæ nunc tertia eſt duas fecit, unam quæ ablatiuum ſecunda uocali terminaret, ut patre, urbe, corpore alteram quæ tertia, ut humili, tenui, leui: hoc facere illi neceſſe fuit, quia ex uoce ablatiui quum formas declinandi cognoſcere nos uellet, ex duabus uocibus ablatiui, duæ illi declinationes conſtituendæ fuerunt. Verum hinc ad ἀνομαλίας accedo. Sunt primæ declinationis illa uel græca, uel græcè declinata, Penelope, Danae, Libye, unde genitiui Penelopes, Danaes, Libyes, quamuis fiunt etiam Penelopæ, Danæ, Libyæ, à nominandi Penelopa, Danaa, Libya. Ab illis autem quæ ſunt apud Græcos, Aeneas, Aminthas, Marſyas, Anchiſes idque genus plurima Aeneę fecimus Aminthæ, Marſyæ, Anchiſæ. Hæc ipſa detracta à nominandi caſu conſonante poſtrema, Aenea etiam, Amintha, Marſya, Anchiſa, quemadmodum Scythа, Soſia, Geta, Sophiſta quæ tamen Scythes etiam & Soſias, Getas, & Sophiſtes à noſtris dicta ſunt. Illa etiam pauca extitere, quorum obliqui nunc in primam, nunc in tertiam declinationem ueniunt, Orontes, Heraclides, Thucydides, Mithridates, Tygranes, unde fiunt etiam raró Orontæ, Heraclidæ, Thucydidæ, Mithridatæ, Tygranæ, & ſi cõmuniora ſint Orontis, Heraclidis, Thucydidis, Mithridatis, Tygranis. Quę autem circa numeros omnium declinationum ἀνομαλία eſt, non tam ex præceptis, quam ex uſu teneri debet. Videro tamen ſi qua mihi inſigniora ueniant in mentem: gloria fuga, & fama numero non declinantur multitudinis. Aquæ callidæ, epulæ, exequiæ, exuuiæ, excubiæ, inſidiæ, induciæ, inferiæ, ſalinæ, ſcalinæ, reliquiæ, thermæ, balneæ, tenebræ, diuitiæ, cunæ, clitellæ, quiſquiliæ, minæ, manubiæ,

biæ, nugæ, nuptiæ, ualuæ, facetiæ, feriæ, ſuppetiæ, repetundarum inficias, officiæ, inimicitiæ, deliciæ, copiæ, blanditiæ. In caſibus ſolis gignendi unitatem, ἀνομαλίαι ſunt, aulai, aquai, aurai, familias, eſcas, terras, pro aulæ, aquæ, auræ, familiæ, eſcæ, terræ. Adhuc illa Aenean & Anchiſen, pro Aeneam, & Anchiſem, & caſus uocandi Anchiſe, & Aenea quinta detracta ſemiuocali, itemq; gignendi multitudinis in uſu poetarum, Troiugenum, caprigenum, omnigenum, Aeneadum, Dardanidum, Auſonidum. Denique in generibus etiam numeris obliquis, & rectis caſibus, uel forma declinandi, quicquid mutatum erit, auctorum nos obſeruatio diligens admonebit. Vrbium nomina quæ in plurali tantum, declinantur plura ſunt alia præter hæc uulgata, Thebæ, Athenæ, Mycenæ, Piſæ, Senæ, Venetiæ, Lupiæ: multo etiam plura aliarum rerum, quas ante iam dixi. Quod ſi id genera ueniendum ſit erunt in his feſtorum nomina uel religioſorum dierum, Parentalia, Vulcanalia, Vinalia, Palilia, Taurilia, Lupercalia, Orgia, Liberalia, Bacchanalia. Certorum ſunt generum illa etiam quæ numero carent multitudinis, metallorum nomina, argentum, aurum, plumbum, ferrum, orichalchum, & quæ ad fruges pertinent, far, ador, panicum, faba, cicer, milium: itemq; ad liquida, mulſum, oleum, uinum, muſtum, acetū, ſapa, mel defrutum. Nec mirandum tamen quod hordea ſint apud Virgilium, & æra, uina, defruta, mella, & quædam alia, uel quia per uſum licet, uel quia auctoribus maximis concedenda ſunt. In his arenam C. Cæſar & Cornelius Fronto poſuere, id quod aptè Virgilius fecit ut non ſeruaret, ut;

Furit æſtus arenis.

Propria Deorum, uel hominum, uel rerum nomina, aut elementorum, numerum habere multitudinis per naturam non poſſunt: accidit autem ut pluribus de rebus aut perſonis fiat ſermo quibus idem nomen ſit, quocirca duos Mercurios, alteram Sulpiciam, plures Scipiones, tertium Catonem, quinq; Veneres, plurimos Ioues dicere oportebit. Nec rarò ex proprijs, fiūt quæ appellatiua grammatici. i. προσηγορικὰ uocant ut quū Cæſares, Mœcenates, Marones, Tullios, aut Nerones quoſdā uocamus. At rerū nō eadē oīno ratio eſt, ut ita ſit in uſu plures Italias, Romas, Capitolia, Auētinos, Tybereſue dicere. Leuctra, & Bactra, & Gargara, & ſimilia his plurima antiq. fecerūt & urbiū aut regionū propria, Cumas, Puteolos, Cyrceios, Venetias, Ligures, Inſubres, Hirpinos, Brutios, Salētinos, Pelignos, Boios, Venetos, Morinos, Turdulos, Garamātas. Terras et penetrare ultimas,

& in

& in terris omnibus auditam eſſe alicuius famam, ideſt cunctis in partibus terræ dicimus. Vna enim terra eſt ut unum cœlum quo etiam terra continetur, tametſi Lucretius & alij quidam cœlos etiam numero multitudinis pro cœli orbibus dixerunt. Vt quædam uerò multitudinis, quædam unitatis carent numero, ſic alia alios caſus deſiderant. Nec frugibus enim & lateribus, rectum, nec uerubus genitiuum dare uel datiuum ſingularem poſſumus. Inueniemus etiam, quæ latinè declinandi formam non habent ullam, ut Caliſthò, Supplıò, Didò. Noſtri enim auctores latinam his uocem præter nominatiui, à græcis acceptam non dederunt: alia autem in ſermonis latini uoces omnes uerterunt ut Iuno, Mercurius, Iuppiter, Minerua, Pollux. Non enim hanc ſonis literarum, aut ſyllabis tantum, quas habebat ἥρα, ἑρμῆς, ζεὺς, παλλὰς πολυδεύκης, ſed ui etiam qua prius fuit, amiſſa, aliam apud nos uim ſignificandi adepta ſunt, quam eſt in cratylo Platonis à Socrate diſputata. Media quædam ratio illorum eſt, quæ non nullam Græci, & noſtri ſermonis formam retinent, ut Achilles, Vliſſes, Apollo. Muliebris erunt generis multa quę ex ſono uocis, & forma ſyllabarum, falsò ad uirile genus pertinere uidebuntur, ut myrtus, arbutus, pyrus, lentiſcus, quorum ſunt contraria pirata, uerna, poeta, nauta, & nomina uirorum, Panſa, Galba, Perpenna, Dolabella. Hæc ſunt, & ſimilia his quæ numero carent alterutro: nunc ea uideamus, quæ genus declinationemue mutant. Illa ἑτερογένη hæc ἑτερόκλιτα dicuntur, ut uerba etiam ἀνόμαλα quæ à declinandi lege communi receſſerunt, ut paciſcor & ferio, quorum præterita eſſe poſſunt pepigi & percuſsi. Itaque genus mutant, locus, Menalus, Gargarus, Tartarus, carbaſus, ſibilus, intubus, iocus, quæ tranſeunt à uirili ad neutrum, loca, Menala, Gargara, Iſmara, Tartara, carbaſa, ſibila, intuba, ioca, ſed ioci tamen ſæpius dicuntur, nec argumentorum locus tantum, & media ex philoſophia locos proferre dicimus, uel tractare, ſed poetis illud etiam permittimus;

Deuenere locos, ubi nunc ingentia cernes,
Mœnia;

Mutantur à neutro ad muliebre, epulum, balneum, porrum, frenũ, Argos, unde fiunt epulæ, balnea, porri, freni, Argi. Sunt autem ἑτερόκλιτα iugerum, uas, filia, unde quum deberet eſſe iugeris, tamen iugeribus dixerunt, & contra uas unde uaſibus erat per naturam, uaſis tamen facere, ut à filia, Dea, equa, liberta, ſemper, aut

plurimum diſcernendi generis cauſa, filiabus, Deabus, equabus, libertabus, ut ab euentu permiſſu, iuſſu, contra quam ratio poſtulabat, euentis, permiſsis, iuſsis. Vulgus etiam & pelagus duo ſunt quæ genus aliud natura obtinent, aliud uoce præ ſe ferunt. Verum quæ ſunt huiuſmodi, & propriam uel numeri uel generis, uel declinationis formam non ſequuntur, omnia colligi uix poſſunt, nec ualde operæ prætium putaui & ex uſu antiquitatis, & auctorum cognoſcemus. Quamobrem redeò ad quæ inſtitueram, & quæ propriè ad hunc primæ declinationis locum pertinent. Huius formæ nomina ſunt arbitror, nouem adiectiua, quæ legitimum hunc genitiui ac datiui caſum non ſequuntur, unus una unum, unius, uni; ullus ulla ullum, ullius, ulli; nullus nulla nullum, nullius, nulli; ſolus ſola ſolum, ſolius, ſoli; totus tota totum, totius, toti; alius alia aliud, alius, alij; uter utra utrum, utrius, utri; neuter neutra neutrum, neutrius, neutri; alter altera alterum, alterius, alteri. Item illa, nequa, necuius, necui; aliqua, alicuius, alicui; ſiqua, ſicuius, ſicui; tametſi unæ etiam, & ullæ, & nullæ, & ſolæ, & totæ, & aliæ, & alteræ, in Terentio & uſu eſſe antiquorum ſciamus & grammatici etiam ueteres nomina ac uerba non tam neutrius, quam neutri dicant eſſe generis. Erant etiam aliorum quoque nominum genitiui apud nos olim fœminini, quorum ultima ſyllaba more græcorum claudebatur, ut leda ledas, terra terras, latona latonas. Obſoleuit quęcunque tum ea ratio fuit, quæ ſolum in patre familiâs & matre familiâs, nunc manet, quem genitiuum ultima circumflexa ſyllaba pronunciamus ne pluralis accuſatiuus credi poſsit, quidam uerò poſtrema hæc duo acuta penultima dici maluerunt. Eſt quoq; poetarum genitiuus, aulai, terrai, aquai, ut;

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Tertius caſus eſt idem omnino qui ſecundus, quartus uerò ſeçuam, ſagam, Deam. A Græcis tamen, poetæ ſæpius Aenean, & Anchiſen dicunt, liquidarum tertia ſequente ultimam uocalem, ut Virgilius;

Isq; ubi tendentem ad uerſum per gramina uidit.
Aeneam, alacris palmas utrasq; tetendit

& in tertio Aeneidos

Anchiſen facio certum, remq; ordine pando

Noſtri quondam adimebant huius formæ nominatiuo græcorum nominum, poſtremam conſonantem, ut Soſia, Geta, Chærea à nobis etiam dicatur, unde illa noſtro in ſermone, perpetua extiterunt, poeta,

poeta, Sophiſta, Scytha, Sarmata, lanista: quare etiam accuſandi caſum his latinum dedere, poetam, Sophiſtam, Scytham, Sarmatam, laniſtam, ut Aeneam quoque, & Anchiſam dixerunt. Caſum uocandi apud nos idem eſt quem fecimus nominandi, e græcis tamen detracta ſemiuocalium quinta, & longa manente ſyllaba poſtrema, ut;

Nox ruit Aenea nos flendo ducimus oras

Quæ uerò ſunt eiuſmodi qualia Chriſes, & Anchiſes, communi more græci ſermonis, Chryſe uocatiuum faciunt & Anchiſe, ut;

Coniugio Anchiſe Veneris dignate ſuperbo:

& ſæpius inculcat Heſiodus,

Εργάζευ μέγα νήπιε πέρση,

quod ex uſu Atticorum feciſſet Chryſes, Anchiſes πέρσης. Voces denique auferendi ex nominibus latinis alia in eandem primam cadunt uocalem, alia in ſecundam, utranque longam, ut ſcæua, muſa, conuiua: ex græcis alia in eandem primam, alia in ſecundam, ſimiliter longas, ut Hiarba, Chryſe. Qui uerò multitudinis, recti aut uocandi ſunt caſus, ij nulla re differunt à gignendi atque dandi qui fuerunt unitatis, ut poetæ Deæ, conuiuæ. Genitiuus eſt conuiuarum & Nympharum, una ſyllaba adiuncta ad longam ablatiui ſingularis ultimam uocalem. A coniunctis nominibus quibuſdam, & ijs quæ uocant patronymica, eadem ſublata ſyllaba parem cæteris caſibus genitiuum reddunt poetæ, faciuntque cœlicolum, Dardanidum, Aeneadum pro cœlicolarum, Dardanidarum, Aeneadarum, circumflexa poſtrema ſyllaba. Datiuus præterea ablatiuusque numeri pluralis unam habet eandemque maſculini generis & fœminini uocem, ut nauta nautis, uia uijs, & ijſdem ex nominibus, ut ſeruus & ſerua, ſeruis. Ne igitur ambiguitas eſſet generis, quorundam ex his alia uox data eſt fœminino, ut Dea Deabus, filia filiabus, nata natabus, equa equabus, aſina interdum aſinabus, mula mulabus, liberta libertabus. Seruatum hoc à latinis auctoribus (quod nemo ignorare poteſt,) paulo ante nos, literati homines, & Q. Palæmon quondam admonuit. Duæ etiam & ambæ duabus faciunt & ambabus, ut reliqua genera duobus & ambobus. Marcus Cato eabus & antiqui etiam dextrabus dixerunt.

Accuſandi caſus eſt conuiuas, poetas, Nymphas

Secunda declinatio ad uirile genus pertinet, ut liber, ad muliebre, ut

 fagus,

Secunda forma declinandi.

fagus, ad neutrum ut cœlum. Huc referimus græca mulierum apud Comicos uſitata nomina, Philenium, Glycerium, Philotium, quæ faciunt omnia genitiuos in tertiam uocalem, libri, fagi, cœli, Glycerij: datiuos in quartam ut, libro, fago, cœlo, Glycerio. Sunt etiam huius formæ, illa itidem græcorum, Perſeus, Delos, Claros, adhuc latina trium generum, triumq; uocum diuerſarum adiectiua, lætus, læta, lætum, quorum tamen maſculinum genus & neutrum dumtaxat eſt ſecundæ declinationis, fœmininũ primę. Gignendi igitur, tertia, dandi uerò quarta uocali terminatur ut uiri uiro, patroni patrono, fagi fago, templi templo. Orpheus tamen unde apud nos fieri debebat Orpheo apud Virgilium ex ratione græci ſermonis factum eſt Orphei duabus in unam ſyllabis coniunctis, id quod in datiuis omnibus fit huiuſcemodi græcorum nominum Ὀρφεὺς ὀρφεῖ ὀρφεῖ, τυδεὺς τυδεῖ τυδεῖ, θησεὺς θησεῖ θησεῖ. Auferunt ultimam ſyllabam poetæ à genitiuis qui duplicatam in uocalem tertiam finiuntur, ut;

Lingua Catonis & Enni

&

Hic tamen ille urbem Patauí.

Quartus eſt uirum, patronum, fagum, ut à quibus dictum eſt græcis quoque nominibus, Orpheum, Peleum, Tideum, Theſeum, ſed poetæ in his græca uoce potius utuntur, ut Orphea, Pelea, Tydea, Theſea unde cadunt uocatiui in diphthongum ſecundæ uocalis uel poſtremæ, ut;

Telephe uel Peleu male ſi mandata loqueris

& Virgilius;

Illa quis & me (inquit) miſeram & te perdidit Orpheu.

Ablatiuus, ex uirili, aut muliebri genere quarta uocali terminatur eadem prorſus uoce qua datiuus, ut uiro, patrono, fago. Multitudinis autem nominatiuus ac uocatiuus, libri, fagi, & ex ijs quę neutra ſunt prata, ligna, templa. Quæ ſunt illius modi apud grecos Ἀλέξανδρος, Ἀγρὸς, Μένανδρος, in hanc ueniunt formam declinandi, ager, Alexander, Menander. Seruant poetæ illos nominum caſus;

Panthus, Othriades, arcis, Phœbiq; ſacerdos

&

Quo res ſumma loco Panthu

Pauca ſunt neutra quæ uirilem habent uocem, pelagus, uulgus, uirus; nam chaos græcè potius dicitur, & quemadmodum uirus, alios

in

in caſus non declinatur. Frequens in poetis eſt uel dandi caſus ut Orphei, uel accuſandi ut Orphea, Theſea, Ilionea, uel uocandi Orpheu, Theſeu, Ilioneu: caſus hic apud nos ſecunda ferè uocali terminatur, ſed (quod ante iam diximus) nominatiui formam ſequitur in multis, ut populus, fluuius, Deus. Nec miretur quis huius declinationis muliebria eſſe quædam, colus, domus, aluus, humus. Numero autem multitudinis carere per naturam debuit, mundus & cœlum non minus quam Luna, Sol, phęnix, ſæpius etiam æuum, ſolum, lutum, macellum, barathrum, uitrum, fœnum. Hic nomina uirorum propria quædam in geminam tertiam uocalem faciunt genitiuum unde altera ſublata uocatiuus extat ſeu uocalis loco ſit prius, ut Iulius, Iulij, Iuli; Antonius, Antonij, Antoni; Caſsius, Caſsij, Caſsi; ſeu conſonantis ut Cocceius, Cocceij, Coccei; Pompeius, Pompeij, Pompei; Proculeius, Proculeij, Proculei; quibus in ultimis binę uocales poſtremæ ſingulas coeunt in ſyllabas, quod niſi fieret, fortaſſe in obliquis, corripienda prior uocalis eſſet, quæ per naturam longa eſt. Ita enim uertitur à gręcorum doctiſsimis πομπήιος κοκκήιος προκυλήιος. Coeunt uero ut dixi, quemadmodum ex illo Horatij uerſu Priſcianus oſtendit.

Durus ait Vultei nimis attentusq; uideris.

Filius quoq; facit in uocatiuo fili, quamuis appellatiuum nomen. De quo ſic ueteres, excepto Scauro omnes præceperunt. Finitur autem nominatiuus latinè quinque modis, ut patronus, uir, liber, ſatur, templum. Ex nominibus quæ ſunt ſimilia quatuor poſtremis, erit idem uocatiuus cum recto, ex ijs autem quæ primo, ueniet in ſecundam uocalem breuem, ut patrone, Tite, Catulle, raro ad uocem nominatiui, idque pauciſsimis ex nominibus apud poetas, ut ſupra iam dictum eſt;

Corniger Heſperidum fluuius regnator aquarum.

In huiuſmodi nominibus fiet ſingularis accuſatiuus ſecunda de ſemiuocalibus ad ultimam uocalem nominatiui appoſita. De neutris uero nihil dicere neceſſe eſt. Semel enim atq; uniuerſæ dictum ſit, horum omnium quacunq; in forma declinationis, nihil accuſatiuum & uocatiuum à recto unquam poſſe differre. Ex his quæ propoſui pro exemplo nominibus, diuerſa ratio eſt obliquos declinandi. Nam ſi id ſequare quod uir facit in genitiuo uiri, ſatur ſaturi, templum templi, indeq; cæteri caſus, liber quoq; faciet liberi, libero, liberum. Quæcunq; igitur ſint nomina in ER ſyllabam finita, uel ſecundæ ſint, uel tertiæ declinationis, uidendum eſt ut rectè ex

nomina-

nominatiuo, fiant cæteri caſus totidem ſyllabis cum recto, ut Creber crebri, Alexander, Alexandri, Periander, Periandri, contra uero περιττοσυλλάβως tener, teneri, exter, exteri, idq; genus multa. Multitudinis autem accuſatiuus ac uocatiuus ſeu maſculini generis, ſeu fœminini per tertiam uocalem longam dicitur, ut liber libri, & laurus lauri. Genitiuus eſt librorum ultima adiecta ſyllaba ad caſum ablatiui quo ex genitiuo ſublata ſyllaba quæ antecedit ultimam remanet ſæpius poetarum conſuetudine librûm, uirûm, puerûm, circumflexa poſtrema, pro librorum, uirorum, puerorum, ut Virgilius;

Deiphobe armipotens genus alto à ſanguine Diuûm

& Terentius

Omnes uos oratos uolo,

Ne plus iniquûm poſsit quam æquûm oratio

Quin aliquando oratoribus etiam ſic loqui permiſſum eſt, quemadmodum M. Tullius in Verrem; Nemo iam Dolabella neq; tui neq; tuorum liberûm quos tu miſeros in egeſtate, atq; in ſolitudine reliquiſti miſereri unquam poteſt. Nominum uerò quorundam hic genitiuus rarò aliter pronunciatur, ut nummûm, ſeſtertiûm, modiûm, medimnûm, talentûm, iugerûm, & præfecti fabrûm dicuntur magis quam fabrorum. Datiuus atq; ablatiuus huius numeri eſt uiris, libris, ſaturis, patronis, templis. Feſtorum dierum nomina, tam ſecundæ quam tertiæ declinationis habent genitiuum numeri pluralis ut ſaturnalium & ſaturnaliorum, datiuum uerò & ablatiuum, tertiæ ut floralia floralibus, terminalia terminalibus, compitalia compitalibus, lupercalia lupercalibus, liberalia liberalibus. Etenim ſunt hæc, re uera tertiæ declinationis potius quam ſecundæ, id quod indicant nomina unde nata ſunt, floralis, terminalis, compitalis, lupercalis, liberalis. Itaque poſtulat analogiæ ratio, ut floralium, terminalium, compitalium, non floraliorum, terminaliorum dicatur uel compitaliorum. Quod ſi uſu receptum eſt, ut quorundam ex his, præter morem tertiæ declinationis genitiuus fiat, non tamen ſumat ſibi quiſquam ut omnia quæ uelit ex his nomina modo quo dictum eſt in declinationem transferat ſecundam. Sunt enim plurima quæ uix, aut ne uix quidem à tertia unquam receſſerunt, ut feralia, floralia, liberalia, & multa in quibus neminem audere uelim, plus quam auctoritas auſa eſt antiquitatis. Domus quoque domibus facit, quanquam ſit accuſandi caſu domos, quemadmodum ambos, & duos, atque hinc duobus &

ambobus. Iam uero ſum delapſus ad accuſatiuum generis maſculini qui ità ſit, litera quinta ſemiuocali addita ad uocalem ablatiui ſingularis ultimam, ut uiros, libros, patronos, qua litera ex nominibus quibuſdam paucißimis aliquando ſublata ambo dicimus & duo pro ambos & duos ut apud Virgilium,

Si duo præterea taleis Idea tuliſſet

Horatius quoq; iiſdem penè uerbis

Si duo præterea diſcordia uexat inertes

Plautus in Aſinaria

Quid nunc, quoniam ambo, ut eſt lubitum, nos deluſiſtis,
Datisne argentum?

Horatius,

Præterea, ne uos titillet gloria iure
Iurando obſtringam ambo

Putat etiam Soſipater Cariſius, à Virgilio ſcriptum eſſe

Nam ſæpe ſenex ſpe carminis ambo
Luſerat.

Cicero ad Gallum; Præter duo nos loquimur iſto modo nemo. Neſcio an multo plura ſint huiuſmodi, niſi quis dicat huius etiam eſſe loci, quod ſupra ex Virgilio allatum eſt;

Interſe coiiſſe uiros, & decernere ferro.

Sed profectò agitur hic de multis: alia uerò quæ iam recitaui exempla binis tantum de perſonis loquuntur. Fortaſſe enim ueteres illi, ſaltem his paucis, in nominibus rationem ſequuti ſunt numeri illius quem græci dualem dixerunt. Tertia declinatio generum eſt omnium cadens quamplurimas in uoces, ut quàm diuersè nomina in uocales, conſonantesque finiuntur, ſeu latina, ſeu græca, tanta ſit hic uarietas nominatiui ſingularis. Mittit genitiuum unitatis in uocalem tertiam, quam ſuccedens ſtatim quinta de ſemiuocalibus efficit breuem, ut pater patris, pietas pietatis, mons montis, datiuum in tertiam uocalem puram eandemque longam, patri, pietati, monti. Per quam raro tertia in hac forma declinandi, eſt cur de obliquis patrioue caſu dubitare poſsimus. Hic enim ſemper in tertiam cadit uocalem, & quintam ut iam dixi è ſemiuocalibus, ut Catonis, uirginis, corporis, uidendum tamen ſiqua propria ſubſit interdum ratio declinandi. Non enim ut princeps principis, ita præceps præcipis facere debuit. Cauſa obſtitit non ea ſolum quod

uitanda

uitanda erat ſimilitudo cum præcipiendi uerbo, ſed illa uehementior quod princeps conflatum eſt nomen à Primo & Capio ut ex uerborum natura unde natum eſt, principis tantum facere debuerit. Alterum uerò ut (Palæmon idem eſt auctor) præpoſitionem habuit Præ, & nomen caput, & ex his princeps extitit, utq; inde principis & principium, ita hinc præcipitis, & præcipitium ut fieret ratio coegit. Quamobrem uides etiam, analogia, quantum etymologiæ præceptionibus adiuuari debeat. Hic ergo ſingularis genitiuus eſt patris, matris, cubilis. Quam plurima ſunt autem ex his quorum obliqui una creſcunt ſyllaba ſupra caſum nominandi, ut hominis, ciuitatis, corporis. Habet hoc ipſum apud nos quinta etiam declinandi forma, ut fidei, ſpei, diei. Auctores Græci qui hæc tractant ſic loquuntur, ut quæ ſunt huiuſmodi περιττοσυλλάβως, quæ uerò aliam in ſyllabam non creſcunt ἰσοσυλλάβως inclinari dicant. Huius tertiæ nos Marius, Victorinus Afer admonuit eſſe quæ duas etiam augentur in ſyllabas declinando, ut Anceps ancipitis, biceps bicipitis, præceps præcipitis, ſuppellex ſuppellectilis. De ſecundo caſu quem ueteres patrium dixerunt cuius rationem obliqui ſequuntur, ſic præcipere oportet. In quartam uocalem terminata ut Curio, Pollio, Virgo, teſtudo, non eandem genitiui rationem habent. Nam ſi conſonans ante uocalem nominis poſtremam nulla ſit, uocalis ea manet eadem, & manet ſemper longa in obliquis, ut Curio, Leo, Ardelio, Pollio, mulio, unde circumflexæ extiterunt ſecundæ ab ultimis ſyllabæ, Curionis, Leonis, Ardelionis, Pollionis, mulionis niſi quod Anio facit Anienis, quarta in ſecundam uocalem mutata. Ratio erit eadem ſi prima conſonans uel quarta uocalem antecedat, ut carbonis, Narbonis, Libonis, buſonis, gorfonis, quamuis turbo faciat turbinis. Sin antecedat conſonantium tertia, genitiui, ſingularis quæ ſyllaba antecedit ultimam declinando fiet breuis, ut cardinis, ordinis, excepto nomine cerdonis, pedonis, Didonis, quod poſtremum ex lingua peregrina ſequi rationem latinitatis non debuit. Quod ſi quinta eam uocalem præcurrat cõſonans præter quam ligo unde eſt ligonis, ut Pollio Pollionis, ita pronunciabimus cætera, ut uirgo uirginis, Carthago Carthaginis, & uligo, fuligo, ſalſugo, intertrigo, uertigo, gorgo, lanugo. Quæ primã de ſemiuocalibus eo loco, uel ſecundã, uel tertiam, uel quartã, uel quintã, uel ſextã de mutis uel poſtremã hebebunt, in ijs producetur ſyllaba quæ antecedit ultimam, ut Milo, pulmo, Varro, Piſo, uappo, Cato, Iuno. Homo enim unde nunc eſt hominis, olim

faciebat

faciebat homonis, & homoni, ut afferunt ex Ennio ueteres grammatici.

Vulturis in ſyluis miſerum mandebat homonem.

Apollo uerò ad ſermonis græci rationem referri debuit. Sed illud patet hic latiſsimè, nominum illorum, quæ uerbalia uocantur ſemper illam quam dixi uocalem in obliquis manere, & manere lõgam, ut Oratio, cognitio, concretio, e quibus infinitis nullum eſt omnino quin faciat orationis, cognitionis, concretionis. Quunq; ſint hæ quas dixi rationes, hanc producendi, uel corripiendi ſyllabam in obliquis, de græcorum nominibus etiam ſimul cognoſcere potuimus. Mitto enim de ijs quæ tertiam ſemiuocalim habent cum poſtrema de mutis, ut Laomedontis, Laocoontis, Xenophontis, quorum ſyllabæ ſecundæ ab ultimis poſitione ſola producuntur, non etiam ui literæ quæ erat in his longa per naturam. Illa quidem certe χάρων, στράβων, πλάτων, θράσων, σίμων, δευκαλίων, ἀμφιτρύων, ἐνδυμίων, ita obliquos faciunt, quemadmodum, Carbo, Pollio, Varro, Cato. Verum ſatis hæc proprijs de nominibus dicta ſint, quæ ſola in uſum latinitatis uenire poſſunt. De cæteris enim longior apud eos ratio eſt, & multiplex, neq; ad præſens inſtitutum neceſſaria. Nec miremur tamen quædam, uel noſtra ea ſint uel græcorum aliter pronunciata eſſe à doctis ut Britonis, Santonis, Teutonis, quando certiſsima ratio eſt eorum quæ ſunt à me hactenus demonſtrata. Neq; minus infinita ſunt, uel minus indigent præceptionis, illius formæ nomina, quæ ortum habent eundem à ſupinis, orator, auctor, lector, declamator. Hinc ſunt ad mulieres pertinentia, uenatrix, bellatrix, altrix, accuſatrix. A nutritor autem fit media ſublata ſyllaba nutrix. Commodè hæc ducuntur à ſupinis quæ literam habent poſtremam de mutis, laudatum, monitum, lectum, auditum, à quibus laudator, monitor, lector, & auditor fiunt. Quod ſi erit in his quinta ſemiuocalis, aut poſtrema, non patietur id nomen coitio literarum. Aliqua ſunt enim illius modi ſupina defenſum, conuulſum, depexum, inflexum. Hinc M. Tullius, expulſum, & expulſor quum feciſſet, nec tale nomen quale eſt uenatrix, & accuſatrix fieri indidem poſſet, pro quinta ſemiuocali mutam poſtremam ſubſtituit, ut expultrix fieret: eodem libro, à tondendi uerbo, tonſum tonſorumq;, & hinc muliebre nomen tonſtriculam fecit, ut; Regiæ uirgines, ut tonſtriculæ tondebant barbam, & capillum patris. Poſſeſtrix etiam, & aſſeſtrix, & à plaudendo plauſoreq; plauſtrix dicta eſſe, Nonius Marcellus eſt auctor. Vox eadem,

eadem, ſed origo diuerſa eſt, marmor, æquor, memor, arbor, quæ obliquos faciunt (id quod omnes ſciunt) marmoris, æquoris, memoris, arboris, quemadmodum illa propria græcorum Neſtor, Crantor, Hector, Caſtor. Quumque ſint hæc quaſi rationes producendi uel corripiendi hanc ſyllabã in obliquis, græca etiam ex his quæ dixi cognoſcere potuimus. Verum ſint hæ à me ſatis, & præceptores ipſi proponant ſuis auditoribus plura, quæ difficultatis aliquid uel in recto, uel in obliquis caſibus habere uidebuntur. Quod genus erit fortaſſe gummi, ammi, thlaſpi, epigramma, Amathûs, Oedipus, Aeneis, Thebais, Meſos, ac de noſtris etiam frugi, plus, annales, Vulcanalia, Camers, Ferentinâs, & quæ numerari uix poſsint. Moneant Calypsò, Didò, Inò, Alectò, Sapphò, Caliſthò non eſſe latinè à noſtris declinata, & quamuis alij poetæ latinam his uocem dederint, alij græcam ſint ſequuti, Virgilium tamen hac uoce ſola contentum fuiſſe. Singularis accuſatiuus eſt patrem, cardinem, Iunonem, ſed quorum nominum ſyllaba IS extrema eſt nominatiui, ut peluis, reſtis, ſecuris, puppis, turris, eorum accuſatiuus erit uel peluim, reſtin, ſecurim, puppim, turrim, uel peluem, reſtem, ſecurem, puppem, turrem. Burim, tamen, & ſitim, & tuſsim in uſu magis eſt quam burem, ſitem, ac tuſſem. Claſsis uerò, uallis, piſcis, canis, uermis, panis, aliter quam claſſem, uallem, piſcem, canem, uermem, panẽ, & unguem facere accuſatiuos non poſſunt. Eandem rationem ſequuntur comis, fortis, utilis, hilaris, triſtis, debilis, atque huiuſmodi adiectiua omnia quorum ſecunda finitur uocali neutrum genus: item græca Leucaſpis, Tanais, Tigris, Acis. Conſtans præceptio eſt eorum quæ ſunt à nomine πόλις declinata, ut nunquam amittãt ullo in caſu tertiam uocalem. Ad ſimilia enim græci, ea uocali quæ ſecunda apud nos eſt non utuntur: Solam ad caſus omnes tertiam adhibent. Ergo ſuperiora quæ dixi, Leucaſpis, Tanais, Tygris, Acis, Phillis, Daphnis, & omnia huius formæ, quæ in numera ſunt uocari in dubium non debent. Cato autem latinos accuſatiuos lentim facit, & ſementim, ut; Vbi ſementim facturus es, ibi oues delectato. Vocatiui ratio breuis eſt qui nulla omnino litera diſcrepat à nominatiuo, niſi græcorum nominũ, à quibus poſtrema conſonans remouetur, ut leucaſpi, Tanai, Tigri, Aci, Phili, Daphni. At uero ablatiuus à neutris appellatiuis nominibus, quorũ nominatiuus cadit in ſecundam uocalem, ut monile, mare, cubile ablatiuus fiet potius monili, mari, cubili, credo quod inter hos duos caſus diſcrimen poſtremæ ſyllabæ quærendũ fuit. Nomina enim quæ neutrius generis grã-

matici

matici dixerunt caſus habere ſimiles quatuor non poſſunt.Ratio eadem eſt habita in adiectiuis,quorum neutrum genus, ut iam dictum eſt ſecundā hēt in fine uocalē,ut forte forti, come comi, utile utili, hilare hilari,triſte triſti, debile debili, uile uili, putre putri, ſuaue ſuaui, dulce dulci.Idē ablatiuus erit ſi prima aut quarta ſemiuocaliū finiantur nominatiui ſubſtantiuorū,ut ceruicali,tribunali,calcari,lacunari,lupanari.Nā dubitari non debet quin per ſecundā uocalē ſint quondam hæc in recto caſu pronunciata,quomodo à pedeſtre nominatiuo fit pedeſtri,a ſalubre ſalubri,à nominibus menſiū Septēbri,Octobri,Nouembri,Decēbri,& à græcis quę antedixi, leucaſpi, Tanai,Aci,Tygri.Vtroq; aūt modo finiuntur quæ una uoce ſignificant omnia genera,ut par pare & pari,uetus uetere & ueteri, audax audace uel audaci,felice uel felici,terete uel tereti,hebete uel hebeti,locuplete uel locupleti.Huc referuntur omnia etiam cōparatiua. A maiore enim dicimus & à maiori,à minore & à minori. Cauſam putant eſſe ueteres grāmatici,docti homines, quod maior & minor & ſimilia his,communia trium fuiſſe generum apud ſcriptores antiquiſsimos,Priſcianuſque eius rei ex Valerio Antiate,Caſsio Emina, & Claudio Quadrigano affert exempla.Duę res ergo magnum afferunt momentum ad huius uocem ablatiui cognoſcendam.Vna ſi nomen triū ſit generū,aut fuerit aliquando à primo latini ſermonis ortu,ut etiā ſenatuſconſultū prior & bellū punicū poſterior ſcriptores olim dixerunt: altera ſi uox ablatiui diſcernenda ſit, à neutris generis nominatiuo ut ſequeſtre ſequeſtri, celebre celebri, illuſtre illuſtri,uel ſi aliter atque ueteres fecerunt,nunc ſyllaba detracta ultima nomen ſcribatur, ut ceruical eſt hodie quod aliquo in tempore ceruicale,tribunal quod tribunale,calcar,lucanar,& lupanar, quod calcare, lacunare, lupanare. Vtramque uocem ſeruant Capenâs, Ferentinâs, Arpinâs, Caſenâs, Larinâs, & quæ ſunt id genus multa, item uictrix,ultrix quemadmodum auis,nauis,ciuis, anguis,unguis, pinguis quęq; ſimilē his hēnt nominatiuū ut ēt ignis,uectis, amnis. At poſtis,claſsis,pauper,hoſtis uocalē habēt ſecundam in fine.Quæ à nomine caput ortum habent,ut biceps,triceps,præceps,anceps,caſum hunc tertiam in uocalem terminant,ut bicipiti,tricipiti,pręcipiti,ancipiti: in ſecundam uero generis fęminini comparatiuo,& quos grammatici abſolutos uocant non à uerbo aut præpoſitione pēdentes ablatiuos,ut flante auſtro,aut flantibus Eteſijs nauigare, impendente pluuia ſerere,imminente bello urbem relinquere, ut;

Teſta quum ardente uidebis

Scintillare

Scintillare oleum & putreis concreſcere fungos.

Q. uerò Palæmon ita rem terminauit, ut quibus in adiectiuis nominibus uirile genus ac muliebre nominandi caſus, in tertiam uocalem, & quintam de ſemiuocalibus exeat, ut agilis, facilis, amabilis, ipſam in uocalem tertiam finiri ablatiuus debeat, ut agili, facili, amabili, & quæ ex his in ſecundam uocalem terminentur, ea conſuetudine potius, quam ratione tueamur. Itaq; nos & hæc ab illo tradita, & quæ ante iam diximus, & quæ ſolo uſu recepta ſunt, rectiſsimè cognoſcemus. Sermonis enim latini illud perpetuum eſſe debet, ut plurimum ratione quidem & arte, ſed multo plus, auctoritate & uſu quam rectiſsimo nitatur. Vſu tamen & ratione ſimul, conſtant illa etiam, quæ abundant in obliquis una ſyllaba, quam præcurrat ſemiuocalis tertia, uel quarta, uel tertia mutarum, uel poſtrema in caſu gignendi, ut ſanguinis pulueris, cuſpidis, capitis, ſamnitis: hæc alium habere ſextum caſum non poſſunt, niſi ſanguine, puluere, cuſpide, capite, ſamnite. Erunt ſimilia his aſpis, cinis, clamis, iaſpis, pecten, cardo, uirgo, aries, marmor, fur, augur, pœan, tibicen, lien, & infinita cum proprijs nominibus hominum, Annibale, Iuuenale, Annale, Martiale, Laterenſe. Finis tamen & ciuis & ſi finem dumtaxat, & ciuem faciant in caſu accuſandi in auferendi fine & fini, ciue & ciui fecerunt, ut Plautus in Perſa;

Atticam hodie ciuitatem maxumam
Maiorem feci, atq; auxi ciui fœmina

M. Cato de re ruſtica; Ad ſummũ qua fini culleum capiet, pertũdito.

Pluralis nominatiuus eſt patres, ciuitates, uirgines, ueteres, dulces in ſyllabam cadens longam à genitiuo ſingulari quæ breuis erat, paulùlum declinatam. De neutris uero ſic ſtatuas neceſſe eſt. Quorum ſingularis ablatiuus eſt in ſecundam uocalem, id uertitur in primam breuem, fitq; à corpore corpora, tempore tempora, uetere uetera, & à maiore minoreue, maiora ac minora; quorum in tertiã correpto eo propter aliam aſſumptam uocalem cui adhæret, fit hic nominatiuus à ſedili ſedilia, à dulci dulcia, à forti fortia, à ſublimi ſublimia. Genitiuus ab eodem quem dixi fit ablatiuo, isq; ſecundam ſi habeat uocalem, ea in quintam conuerſa & ſubiecta ſecunda ſemiuocali, genitiuus erit patrum, uirtutum, ciuitatum, uirginum, ueterum, dulcium, corporum? ſin tertiam, erit monilium, ſedilium, illuſtrium, cœleſtium; ſin ſit ex ijs nominibus quæ uocalem excepta ſecunda habere aliam non poſsit, ea in tertiam conuerſa, additiſque ijs literis quæ ſunt huius genitiui, propriè fit ex arte artium, ex parte partium.

partium. Aliter enim fieret genitiuus quemadmodum à corpore corporum, & uetere fit ueterum, quod quum foret abſurdum, fit quoque à fronde frondium, à monte montium, à colle collium, à fonte fontium. Quæ uero à capite ortum habent nomina, ſine tertia uocali pronunciantur, à principe principum, municipe municipum, forcipe forcipum, mancipe mancipum. Huius tamen generis, eiuſmodi ſi ſint nomina quæ duabus nominatiuum ſuperent ſyllabis, ut biceps, triceps, anceps, unde bicipiti, tricipiti, & ancipiti, tertia erit uocali, in ſyllaba quę antecedit ultimam, ut bicipitium, tricipitium, ancipitium. A ciuitate, & uicinitate innumerabilibusq; huiuſmodi, fit ex uſu quidem ciuitatum, & uicinitatum, etſi eſſe grammatici aiunt oportere ciuitatium, & uicinitatium. A uigili uigilum, quia fortaſſe, ut quidam ſuſpicantur, ſyllaba quæ antecedit ultimam huic genitiuo detracta ſit. A memor, memore & memori, ſupplex, ſupplice & ſupplici, artifex, artifice & artifici contra rõnẽ genitiuus eſt memorũ, ſupplicũ & ar ificum. Vires, & penates, quę multitudinis tantum numero ſunt prædita, genitiuum habent uirium & penatium. Nam ſi habeant etiam unitatis, ut uirtutes & affinitates, dicendum erit uirtutum & affinitatum, ut à conſule cõſulum, capite capitum, ſic etiam à boue boum, qui genitiuus bouum potius eſſe debuiſſet, ſicut in datiuo & ablatiuo plurali bobus dicitur pro bouibus. A quibuſdam neutris græcorum, fiunt more ſecundæ declinationis, ut poematis, emblematis, ænigmatis, peripeſmatis, Cicero ad Atticum; epigrammatis quæ in amalthco poſuiſti contenti erimus; Idem ſæpius in Verrem; Duo pocula cum emblematis. Etiam à maſculini generis forma, ut delphin, & elephas, ad noſtræ potius linguæ morem delphinis, elephantisque dicimus. Nec tamen hi ſoli caſus hoc habent, nec de uoce datiui & ablatiui multitudinis aliud erat quod præcipere deberem. Quædam enim tota latina fecimus, ut delphinus etiam dicatur, & Arabus, & elephantus. Accuſatiui eadem ratio quæ uocatiui, quamq; nominatiui eſſe iam oſtendimus, ut patres, homines, corpora, ciuitates. Illa enim græca ſunt, Syrteis, Sardeis, Tralleis, & alia quædam his affinia. Noſtrorum denique ea breuis ratio, ut quæ in genitiuo plurali tertiam habent uocalem in ſyllaba quæ antecedit ultimam, ut urbium & ciuium ea, tum urbes & ciues faciant accuſatiuos, tum urbeis & ciueis. Sunt qui negent ſeruatum hoc eſſe quondam à poetis aut oratoribus, & antiquitatem omnem & Virgilium ſcripſiſſe;

De accuſatiuo perſequitur mul itudinis, utrum in ES, an in IS, an EIS terminari ſyllabā debeat,

Vrbisne inuiſere Cæſar

Vna uocali tertia, prorſus reiecta ſecunda. Terentius uero Scaurus diſcrimen cenſet eſſe faciendum inter multitudinis numerum & unitatis, ut non ſolum accuſatiui plurales, duarum uocalium diphthongo ſcribi, uerum etiam recti, eandem ſequi rationem debere uideantur. Mihi quidem & grauis eſt illius auctoritas, & commoda ratio uiſa eſt, quæ ſunt adeo ſimilia inter ſe, & confuſa diſcernendi. Atque ut ex iudicio meo quoque interponam aliquid, res mihi plus dubitationis habere uideretur, & obeſſe Scauro magis poſſet, ſi nuſquam alibi duabus his uocalibus noſtra lingua uſa eſſet, nulloque in ſeculo tale quiddam eſſe factum appareret. At nos primo libro docuimus, ita ſcriptum eſſe à Plauto ut non aliter illius nomen fabulæ, quam Meenæhmei & Capteiuei legi poſsit. Dicebam eſſe in marmoribus antiquis plurima eiuſmodi monumenta literarum, ut docteis hominibus & boneis amiceis. Afferebam ex M. Varrone, ſacriſque Argiuorum quod legebatur olim VIAM DEXTERIOREM IN FIGLINEIS. Quintilianus etiam eſt auctor fuiſſe quondam à Lucilio præceptum, ut iam puerei uenere ſcriberetur, & Seruius, & Terentianus hanc rationem diphthongi tuentur. Quamobrem ſiquis eſſe in tractandis diſciplinis coniecturæ locus debeat, credibile eſt maiores illa diphthongo uſos eſſe hac etiam in parte ubi magis eſſet neceſſaria. Sed Quintilianus tamen tollit omnino ex declinatione ſecunda hunc ſcribendi morem, nec Lucilio præcipienti, nec antiquitati, ideſt his quæ dixi monumentis aſſentitur. A tertia autem declinatione, quam dixi diphthongum, bonus auctor grammaticæ, Terentianus minime excluſit, immo etiam præter diſcrimen quod eſſe inter accuſandi & nominandi caſum debeat, ex uerborum quoque natura fieri ſcribit, ut ſyllabæ quædam aliter quam duabus his coniunctis uocalibus, dici non conueniat, exemplumque oſtendit ex uerbo eundi, quod non à doctorum inſtituto, ſed à propria ratione, in primas etiam ſyllabas, diphthongum accepit. Quando enim à principio, eius uerbi ſecunda uocalis abeſſe non poteſt, ea ne à cæteris quidem ſyllabis auferri debet. Itaque à prima perſona eo, ſecunda ac tertia ſit coniunctis in diphthongum uocalibus, eis, eit, ut apud Virgilium dicatur,

Eitur in antiquam ſyluam.

Quare

Quare multitudinis fiet numerus, eimus, & eitis, ut commode hinc, & nulla mutatione literarum, ſyllabis tamen diſiunctis, perſona tertia naſcatur, eunt. Pugnant hæc prorſus cum doctiſsimi hominis Quintiliani ſententia, nec ego adhuc ſtatuo aliquid, ſed opiniones doctorum diſcordes inter ſe cognoſci uolo. Verum hactenus quidem utrum Terentiani & Lucilij ſententia, an Quintiliani uera ſit nihil ad nos attinet ſcire. Omnino enim relicta nunc eſt quæcunque tum ea ratio ſcribendi fuit, quum primis etiam in ſyllabis ac medijs & ſecunda nominum declinatione, diphthongo noſtri homines utebantur. Itaque ipſi hæc auctores uiderint: à nobis uerò alienum illud non putabimus quod uſq; ad memoriam noſtram, aliquod ante ſeculis diſputari cœptum eſt, an tertiæ declinationis quem dixi accuſatiuus multitudinis, duarum eiuſmodi coniunctione uocalium diſtingui à nominandi caſu numeri eiuſdem, uel à gignendi unitatis debeat, quotidie ea de re quæritur à doctis, neque dum conuenire unam in ſententiam poſſunt, & ſuam quiſque rationem ſcribendi tuetur. Terentianus quidem à natura duas hic etiam, unam in ſyllabam uocales iungi duobus uerſiculis oſtendit;

Sic oueis plureis, & omneis ſcribimus pluraliter,
Non enim nunc addis E, ſed permanet ſicut fuit

At Priſcianus quam plurima auctorum, & Virgilij præſertim exempla congeſsit ubi in uocalem tertiam accuſatiuus hic ſolam terminatur: quoddam uerò à nominum genere in ſecundam, ut uirtutes, matres, ciuitates: ſed in uocales duas finitum aliquid nullo prorſus ab auctore attulit, neq; is tamen contrarias Lucilij, Victorini Afri, Terentiani, aut aliorum qui ante ſcripſerunt hominum doctiſsimorum ſententias refellit, nec aliquam de Quintiliano mentionem fecit. Nos tamen obſoleuiſſe patiamur hodie uſum ſcribendi illum quicunque olim fuit in Lucilio, ut puerei, & capteiuei diceretur, quem nec Plautus quidem ipſe cœteris in ſcriptis obſeruauit. Neque enim (ut equidem puto) auſa poſteritas fuiſſet, clariſsimi ſcripturam poetæ, auctoritatemque immutare: nec illud ſequamur quod à Terentio Scauro accepimus, quodam tempore, populoi Romanoi, etiam quartæ uocalis & tertiæ diphthongo ſcriptum fuiſſe pro populi Romani, res multa quæ remotiſsima antiquitas tenuit in quibus auctores diſſentirent nondum ſatis conſtituta ratione ſcribendi. Hodie enim illud ratum eſt apud omnes, ut uocalis tertia, ſi in caſu gignen-

di multitudinis non ſit, eam ne in accuſandi quidem eſſe oportere, ut matrum, oratórum, conſulum, unde in ſolam cadunt ſecundam uocalem accuſatiui; matres, oratores, conſules, iiſdem literis omnino quibus nominandi & uocandi. Sin in ſyllaba quæ antecedit ultimam ſit uocalis tertia, hanc ipſam in tertiam, uel in ſecundam uolunt cadere multitudinis accuſatiuum, eiuſmodi præſertim nominum, quæ eundem habent cum recto genitiuum unitatis, ut nauis, & fortis, unde ſunt nauium, & fortium, atque hinc uel naues & fortes, uel nauis & fortis. Quare etiam dulces & dulcis, lites & litis, plures & pluris, pingues & pinguis, manes & manis, tres & tris, ſalubres & ſalubris, acres & acris, imbres & imbris dicendum erit. Hęc enim duo poſtrema, quemadmodum celer, ſeptember, & reliqua huiuſmodi menſium nomina eundem cum genitiuo rectum habere poſſunt. Nam quæ, de ſemiuocalibus quarta terminata ſunt, eandem quæ dicta eſt rationem ſequuntur, ut imber, imbres & imbris. Adhuc illius formæ nomina fons, fons, frons, dens, mens, lens, ingens, bidens, tridens, ars, pars, unde fontes, & fontis, fontes, & fontis, cæteraque ſimiliter dicuntur. Quæ uerò talia ſunt ut ciuitas, lenitas, temeritas, non ferè aliter quam ciuitates faciunt, lenitates, temeritates. Alia ſunt multa ut rapax, minax, audax, furax, ſupplex, inops, artifex, fœlix, iudex, pontifex, quæ tametſi non ferè amittant unquam à genitiuo multitudinis tertiam uocalem, rapaces tamen faciunt, & minaces, audaces, furaces, ſupplices, iudices, atque hunc in modum omnia. Etenim ex his quædam ſi ubi dictum eſt illam uocalem ſeruent, eaſdem prorſus creabunt uoces cum his nominibus quæ dicuntur ſubſtantiua ſi pro genitiuis multitudinis iudicium, ſupplicium, pontificium, uel artificium dicere uelimus. Hæc ferè ſunt quæ ex ratione ipſa cognoſcere uel ſcriptorum uſu, & poetarum, præceptiſque literatorum hominum colligere potuimus. Sed me hercule etiam ex his multa aurium iudicio moderabimur, & nunc acres, nunc acris uiros ex Valerij probi ſententia dicendum erit. Eſto enim dixerit Virgilius,

Hic feſſas non uincula nauis
Vlla tenent:

Alio tamen loco uidetur ſecunda uocali ſonum reddere pleniorem, ut;

Naues

Naues quæ ſorte paratæ
Corripiunt, onerantq; auro.

Contra, Saluſtianum illud principium offendiſſet aures duorum ſimilitudine uerborum, quod uocali tertia uariatum eſt; Omnes homines qui ſtudent ſeſe præſtare cæteris animantibus. Quoties uero nulla ratio eſt quæ mutare nos cogat aliquid, non dubitandum erit quin ſecunda uocali potius quam tertia uti debeamus. Quod autem ad copulationes uocalium in diphthongi ſonum attinet, non poſſumus Terentiani ac doctorum hominum auctoritati repugnare: ſin auctoritas illorum hoc duntaxat loco non ualde grauis cuiquam eſſe uideatur, at grauiſsimum tamen erit ab ijs teſtimonium, Romanos illis temporibus illo more loquutos fuiſſe. Non enim Terentianus aut Lucilius, aut cæteri, latinitatem ſuis in ſcriptis corrigere uolebant, & Romanis tanquam leges dare quomodo eos loqui uellent, ſed nos & poſteritatem docere quomodo illi tum loquerentur. Nullum eſt igitur argumentum quod Priſcianus hac de re uerbum non fecit. Noluit enim is plura colligere, & contentus fuit illo modo, rem, poetarum ferè exemplis terminare. Quod ſi mutatá poſt Lucilium ea ratio eſt latinitatis, & Quintiliano aſſentimur à ſecunda declinatione diphthongos auferenti, illud profectò conuelli non poteſt, ſic tum Romanos loquutos eſſe, ut Lucilius præcepit, & poſt ſeculum Terentiani mutationem ſermonis aliquam non eſſe factam. Quando igitur is fidem facit ætate ſua non alienam à Romanis hominibus tertiæ declinationis diphthongum fuiſſe, confiteri neceſſe eſt huiuſmodi accuſatiuos, nunc ſecunda uocali, nunc tertia, nunc ambarum copulatione terminatos eſſe, nec ridendum prorſus qui græce ſimul, & noſtræ linguæ rationem ſequutus, Tralleis, & Sardeis, & Syrteis, & ſimilia duabus iunctis quibus dixi uocalibus pronunciare uelit. Illi uero genitiui quibus non uoluntate cuiuſquam, ſed tota ſermonis conſuetudine de medio imminuta ſyllaba eſt, non idem poſſunt quod cæteri. Etenim ſiquid aliud ratio poſtulet non quæram, certè aliter quam ciuitatum, improbitatum, calamitatumq; nemo dicit. Quare ſolum ciuitates, improbitates, calamitateſque dictum eſſe ne miremur. Parenteis uero pro parentes, & forteis pro fortes non ualde ſanè ſcribi uelim, neque ita mirum debet uideri ex nomine adiectiuo, cui minus contra naturam eſſe potuit, ſiquando parentium quis dixit, ut legentium

ſimiliaque omnia, quum ciuitas, improbitas, calamitas, & mille huiuſmodi alium genitiuum prorſus ignorent. De ablatiuo, ne admonere quidem neceſſe eſt, uocem illius eandem eſſe cum datiuo, patribus, montibus, ciuitatibus. Caſus uocandi ut in alijs ferè declinationum formis non diſceſsit hic à uoce quæ nominandi fuit. Quarta declinatio tota latina eſt, generis maſculini ut currus, fœminini ut manus, neutri ut genu. Hic genitiuus fit currus, & manus, ſyllabis ultimis producendis. Tota enim ferè declinatio hæc olim hunc habuit gignendi caſum, aut eundem prorſus cum ſecunda; nominum præſertim ex genere uirili, Senati, fructi, ornati. Hic olim ueteres & nunc poetæ interdum detracta uocali poſtrema à datiuo unitatis curru dicunt & metu pro currui & metui, ut;

Quarta declinandi forma.

Parce metu, Cytherea:

& Plautus in Rudente

Hi ſcœni enim, atq; hæ arundines ſunt nobis quæſtu & cultu

Datiuus eſt currui & manui, à genitiuo antiquo curruis, anuis, ſenatuis, manuis. Accuſatiuus currum & manum, ut cæteri accuſatiui declinationum omnium. Vocatiuus eſt idem qui & rectus. Ablatiuus detracta à genitiuo poſtrema conſonante litera. Rectus multitudinis eadem uoce qua unitatis, ut ſenatus, currus, manus. Genitiuus pluralis curruum, manuum, genuum, à ſingulari, detractione additioneque literæ ac ſyllabæ eius quæ non indiget admonitionis. Eodem à genitiuo datiuus, ablatiuusque ut curribus, manibus, genibus, mutata quinta uocali in tertiam, qui duo caſus quibuſdam in nominibus, eandem habent loco tertiæ, ultimam uocalem, ut artus, partus, arcus, lacus, quercus, ficus, tribus, acus, ſpecus, portus, quæſtus. Artubus enim, & arcubus, & partubus, non artibus, arcibus, & partibus, uel illa cauſa dicendum fuit, ne artes, arces, partes, resq; alias intelligere uideare, & profectò adiuuit etiam hic ea quæ ſæpius dicta ratio eſt quod quæ ſyllaba breuis antecedit ultimam in ea poni uocalis tertia uel poſtrema poteſt, ut etiam carnifex, & carnufex, lacrima, & lacruma dicatur. Neutra uerò declinandi uia erit eadem quæ iam dicta eſt ſuperiorum, niſi quod unitatis numerus unam habeat in caſibus cæteris uocem, ut in recto ultima uocali terminatam, ut genu, cornu, gelu, nec plura huiuſmodi. Tres caſus hic una uoce finiuntur nominandi, accuſandi, uocandi, ſimiles declinationi ſecundæ, ut cornua, & genua. Nam gelu

noſtri

noſtri auctores numero multitudinis declinare non ſolent: nec magni faciendum putaui, quod gignendi caſu unitatis ornati, ueſtiti, & ſenati olim dixerint pro ornatus, ueſtitus, ſenatus. Dici autem uniuerſe illud poteſt, multitudinis numerum excepto caſu gignendi eundem omnino eſſe qui tertiæ declinationis. Dicimus enim hic genua & genibus, ut corpora & corporibus. Sunt hic, & ex eo genere nomina quæ iam ſignificaui & quæ ueniunt potiſsimum à uerbis, riſus, aſpectus, aditus, ingreſſus, auditus, ueſtitus, permiſſus, obiectus, guſtatus, & ſimilia his multa, unde fiat guſtatu obiectu, permiſſu, ueſtitu, auditu, ingreſſu, aditu, aſpectu, riſu, ubi permittunt quidam ſibi ut uectu etiam dicant, & inductu, diſpoſitu, lectu, diuiſu, armatu, & mille huiuſmodi pro ea forma nominum quę ijſdem à ſupinis uerborum nata ſunt uectio diſpoſitio, lectio diuiſio. Quinta declinatio, eſt ut quarta, nominum dumtaxat latinæ linguæ, ut ſpecies, dies, acies, materies. Hic nominandi caſus fuit olim in quibuſdam nominibus, luxuries & luxuria, materies & materia, effigies & effigia, ut Plautus in Rudente; *Quinta declinandi forma.*

Pro Dij immortales Veneris effigia hæc quidem eſt

Genitiuum, ac datiuum facimus nunc rei, diei, ſpeciei: uocatiuum omnino eiuſdem uocis cum recto utriuſque numeri, ablatiuum producta ſecunda uocali terminatum, ſpecie, die, luce. Non repudiant hic docti homines quod à Virgilio ſcriptum putauimus. *Nominandi caſus quintæ declinationis.*

Libra die. Somniq; pares ubi fecerit horas

Neque tamen deſunt qui C. Cæſari in libris de analogia placuiſſe dicant quinta ſemiuocali potius uocem hanc genitiui eſſe terminandam: Virgilij porrò locum, & ſi legi etiam ſic poſsit, uideri tamen dies à poeta ſcriptum fuiſſe. A M. Tullio etiam in oratione pro Sext. Roſcio ſic uolunt mandatum eſſe literis; Quorum nihil pernicij cauſa diuino conſilio, ſed ui ipſa & magnitudine rerum factum putamus. Omnino autem, & ſi cæteras uoces probent, pernicij tamen & luxurij & acij & dij & progenij, uſitatiora eſſe cenſent, caſum uerò dandi eſſe pernicie, luxurie, progenie potius quàm perniciei, ac progeniei oportere. Nos uerò communem loquendi uſum, qui à ueterum auctoritate non diſcedat, ſequemur. Plures acies interdum legimus, & ſpes meas inanes Cicero pro Milone dixit, accuſandi caſu & multitudinis numero, quem in huiuſmodi nominibus, præter quædam pauca, non

facile ſine bonorum exemplis auctorum imitari uelim. In his ſunt materies, luxuries, barbaries, mundicies, aliaque huius formæ nomina quibus paſsim omnes utuntur. Quoties uerò accidit plurali ut numero utendum ſit, hæc in primam, declinationem ab oratoribus inuenio eſſe mutata, cuius rei Trebatium in Topicis M. Tullius admonuit, ut formarum & formis, quam ſpecierum & ſpeciebus potius dicere debeamus. Quin ſingularis etiam numeri libentius uno quam altero caſu utendum putemus, ut ipſius ex M. Tullij, tum locis omnibus, tum ex illo in oratione pro Sext. Roſcio intelligimus; In urbe luxuries creatur, ex luxuria auaritia, ex auaritia erumpit audacia. Scribit Soſipater Cariſius horum nominum eoſdem fuiſſe quondam genitiuos, quibus hodie rectis utimur, ut huius pernicies, huius luxuries: quin multitudinis etiam numero pernicierum quoque & luxurierum ab auctoribus, aliqua in ætate ſermonis latini fuiſſe. Hæc poſtea cum ſeculis mutata ſunt, & multo ante C. Cæſarem eiuſmodi uoces uſurpari deſitæ, nec aliquid ex his poſtea tulit conſuetudo rectiſsima loquendi, ac ne Terentio quidem & Plauto, hæ quibus nunc utimur declinandi formis incognitæ fuerunt. Et ſi enim ex illa antiquitate, quædam ad nos peruenerunt, non ſunt tamen probatiora, aut magis uſitata his quibus nunc utimur. Nam Virgilius amore atq; ſtudio antiquitatis fecit, ut ſcripſerit etiam;

Libra die ſomniq; pares ubi fecerit horas

Alio idem loco, aliam declinandi formam ſequutus eſt, ut eum ſcires gratiam ex illa ueluti religione antiquitatis interdum aucupari, ut;

Munera lætitiamque dij.

Quamobrem & auribus conſulendum cenſeo quod ad caſus, numeros, & genera attinet, & antiquitatis conſuetudini parendum. Doceant præceptores ea declinare nomina, quæ duabus ex partibus conflata ſunt, quæque ex una parte tantum declinantur, ut ſenatus conſultum, ſenatus conſulti, & quæ ex duabus, ut res publica, rei publicæ, & quæ ex priore, ut pater familias, patris familias, uel poſteriore, ut iuriſconſultus, iuriſconſulti, & quæ numeralia à grammaticis dicuntur, ab uno uſq; ad multa milia, & numeralium formas notionesq; cognoſcere. Admoneant quæ ſingulari careant numero, quæ plurali, item quæ quos caſus non habeant in uſu, quæ ad plures declinatio-

nes

nes pluraue genera referuntur, quæ genus mutant, quæ declinationes, ut domus quartæ, & fœminini generis, aliud eſt quam ſecundæ. Vtrunque eodem in numero mutat ficus. Mutant eadem ab unitatis ad multitudinis, illa, euentus, iuſſus, permiſſus, quartæ, & euenta, iuſſa, permiſſa, ſecundæ, contra atque iugerum, quod in multitudinis numero iugera facit & iugeribus.

Doceant (quod ante iam diximus) alia nomina ſex habere caſus diuerſos, ut unus, alia quinque ut pater, alia quatuor ut puer, alia tres ut fortuna, alia duos ut ammi alia unum, ut frugi.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. V.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

PHILOSOPHORVM *iuriſconſultorum, & omnium qui diſciplinas tractant barbariem, & inquinatiſsimum ſcribendi genus reprehendit. Quos auctores, & qua ex ætate potiſſimum imitari debeamus docet, & nos ad perfectiſsimam ſcribendi rationem hortatur. Verbi definitionem ac diuiſiones diligentiſsimè ſcrutatur. De ijs quæ accidentia partium orationis grammatici dixerũt, ex ratione artificioq; dialecticorum, & rectiſsime diſſerentium perquirit. Accidentium deniq; & accidendi, ſubinane eſſe apud grammaticos nomen colligit, coniugationes, & omnem uerba declinandi rationem, à græcarum ratione & latinorum ueterum ſententia repetitam renouat. Varias uerborum formas, ac ſignificationes explicat, & inchoatiuam cæterasque illi coniunctas, & excogitatum ad ea uerba nouum inchoãdi nomen, etiam (quod uix credi poſsit) Valla non reprehenſo, antiquorum ea de re doctrinam tuetur.*

VELLEM ita res tuliſſet Marcelle frater, cogitare ut latinæ linguæ ſolis de præceptionibus deberem, neque inuito mihi inanes aliquorum opiniones hominum, caſus neſcio qui uel rationes ſtudij mei, refellendas obieciſſet. Videor mihi æquiore animo fuiſſe accepturus omnia, uel fortaſſe me non defenſurus omnino, ſi ego ipſe accuſarer. Soleo enim quoties, parum boni uiri, parumue docti homines mihi non uitam, ſed ſtudia reprehendunt,

multo

multo ſæpius me ſilentio quam diſputatione defendere. Nunc ue-rò latini ſermonis cauſa oppugnatur, quam ego ſtatui in his libris, ut unam ex rebus omnibus maximam, ac ſanctiſsimam tueri. Si enim uera ſunt quæ in ſecundo libro diſputauimus, quid huic poſsis oro te frater ex rebus humanis omnibus anteferre? Verum ſatis ut arbitror ijs reſponſum eſt, qui hanc de cõmercio generis humani eijciendam credunt, nunc ad eos uenio qui non ualde magnum in ea poni debere ſtudium arbitrantur. Ij uero ſi ſciamus quo ex genere hominum ſint, qui ſic ratiocinantur, non dubito quin ſtatim referas turpiſsimum eſſe talibus reſpondere. Illi enim ita ſentiunt, aut ita ſentire omnes homines uellent, qui ſcientias omnes, uel iuris, uel medicinæ, uel theologiæ, uel de rerum natura, ſolo quæſtu uulgiq; exiſtimatione terminatas habent. Itaq; non longiore diſputatione res indiget. Nam ſi philoſophos iſtos non mouent Platonis, Ariſtotelisq;, & antiquorum omnium exempla, qui philoſophiam attingere ſine perfectiſsima linguæ græcæ ſcientia totoq; artificio dicendi nefas credidiſſent, minus profectò auctoritas eos mouebit orationis meæ. Si theologi diuinitatem loquendi ac diſſerendi tantam in ueteribus, & ijs ipſis qui primi ſacra omnia memoriæ hominum ſempiternæ tradiderunt, iam inde à Moſe ad quingẽtos annos poſt religionem Romæ conſtitutã, aut nullam poſſunt agnoſcere, aut aliquam eſſe negant, ij profectò more ſuo uanas rerum umbras conſectati, ipſius uim theologiæ, uel ſacrorũ, adhuc nullã uiderunt. Mihi quidem uideor omnes legiſſe ueteres qui rem ſacram ſunt interpretati, nihil in ijs potui cognoſcere, non cultum doctrina, perfectũ ingenio, perpolitum eloquentia, compoſitum oratione, ſententijs & grauitate uerborum. Numera enim à græcis, Dionyſio Areopagita, Gregorio, Baſilio, Chryſoſtomo, Damaſceno, Origene, Athanaſio: conuertere ad noſtros Hilariũ, Cyprianũ, Leonẽ, illũ qui Pontifex Max. fuit, Hieronymũ, & huius collegas, homines diſertiſsimos qui religionẽ ſcriptis pulcherrimis quondã ſtabiliuere, qd his deeſt, quod expectari à magnis oratoribus debeat? Quod ſiquid illorũ ætati defuit, uideo ab ijs tñ ſtudioſiſsimè oẽm dicendi uim, & elegantiã undiq; eſſe perquiſitã, ut ſi per tẽpora ijs licitũ fuiſſet, quẽdmodum ſui quiſque ſeculi doctos uicit, ſic non dubium quin Romanos ipſos & C. Cæſaris ætatem illam uiciſſet. Quid, quod futura quorundam eloquentia, probata diuinitus eſt & ſignificata monſtris? Audebis tamen eloquentiam, uel damnare, uel ſanctiſsimis hominibus auferre, uel ijs neceſſariam non putare? Ambroſio enim infanti

Eloquentia Chriſtianorũ & ſanctiſsimorum ſignificata monſtris.

infanti in cunis poſito, examen apum in labellis conſediſſe dicitur, quo monſtro (ut etiam de Platone accepimus) diuina illius & melle dulcior dicendi uis ſignificata eſt. Sed redeo de cæteris ut breuiter abſoluam. Ac de ijs qui medicinæ ſtudijs tenentur non longius repetenda ratio eſt. Nam reliquas diſciplinas, quùm paucißimi ſaltem, uel animi cauſa, uel ſcientiæ, uel ornatus expetant, medicorū ſola ars minimū habet elegantiæ aut ſplendoris, quam remoto quęſtu nemo ſibi putaret eſſe diſcendam. Itaq; arripiunt illam iſti ſententiam quod medicinam aiunt orationis cultu non egere, fauent imperitiæ, contaminant omnia fœditate ſcriptorum, maledicunt hominibus literatis: quaſi uerò Cornelius Celſus, aut Hippocrates, aut cæteri, non literarum & elegantißimè ſcribendi numeros tenuerint omnes, aut ſuas ſordes cum Celſi Hippocratisq; ſplendore orationis ac ſapientia, aut Ioannis Antonij Piſani Farnelij, aut noſtri Donati Caſtilionis, aut Fabij Latomi, aut Hieronymi Fracaſtorij doctrina literis & eloquentia conferre poſsint. Iure autem ciuili neſcio quid elegantius, iuriſconſultis (quod ſine doctorum hominum contumelia dictum uolo) non uideo quid eſſe dicam, non ſordidius modo, ſed à literis à rectoq; hominum ſenſu alienius. Iuriſdicundi munere ſe iactant, & ex iure contra iura omnia reſpondendi, tanquam ij qui legibus præſunt, qui in res maximas aut in populos habent imperium, in literas quoq; dominentur, uel non deceat eos cum humanitate aliquid habere commune. Sed quid ijs facias, qui ueteres iuriſconſultos & legum conditores ne natos quidem fuiſſe, unquam recordentur? ad nomen uerò ætatis noſtræ doctißimorum hominum, Antonij Auguſtini, Ioannis Angeli Papij, Ioannis Metelli, Vidonis Panciroli, Antonij Galeſij, Sylueſtri Aldobrandini, Federici Viualdi, Fabij Iordani, M. Antonij Caimi, Lælij Taurelli, hæſitent, cunctentur, uel rideant? Ego uerò quid ſentiant illiterati omnes de literis, non puto mihi aut cuiquam eſſe laborandum, qui ne de illis quidem plura dici uelim, qui latini eſſe cupiunt, ſed quibus ea, quam eſſe ueram latinitatem ducimus in rebus poſita ſit, quamq; uim habeat conſtituere non poſſunt. Quare adhuc manet ea oratio apud multos rationem latinitatis nō unius M. Tullij, ſed latinorum omnium obſeruatione eſſe terminandam. Inanem hic laborem ſuſcipiunt quidam, & huius mentionem loci, qui ad neminem pertineat ineptißimè introducunt. Nemo enim fuit unquam (ut ego quidem arbitror) qui uno ab auctore diſcendum ſermonis latini ſplendorem uel copiam iudicauerit. Hac tamen de re tota adeum

differr

differre locum uolui in quo nobis de imitatione ſcribendum erit. Nunc tantum illud monendum fuit, non fortaſſe Ciceronis ingenio aut ſcientiæ ſolum dari quod is maximè ex omnibus proponitur ad imitandum, ſed felicitati illius ætatis atq; temporum quibus incorruptiſsima latini ſermonis integritas tenebatur. Donec Romæ imperium uiguit ſemper doctrinæ omnes & optima ingenia floruerũt, ſed germanus ille ſplendor latinitatis non ferę multum poſt Octauiani Cæſaris dominatum, fuit. Etenim id quod latinè loqui dicimus, non ut in cœlo ſidera eundem ſemper habet ſtatum, ſed (excepta æternitate quam habet ipſi mundo parem) ut res humanæ omnes, & natum aliquando eſt, & creuit, & ſuas ætates habuit, & pro ætatibus, pro conuerſionibus rerum, pro ſtudio, pro ingenijs, & facultate hominum, & minus extitit & maius, & ſterile & cultum & inquinatum ſordibus & rurſum ab iјs purgatum. Huic poſt Enniũ, Plautum, Terentium, feliciſsima ætas C. Cæſaris fuit. Eloquentiſſimi tum homines floruere, ita prorſus ut nunquam Romæ, aut nè Athenis quidem ea ſtudia maiora fuerint aut illuſtriora. Quis ergo inuidiæ locus eſſe poteſt quod ea ætate uiuere Ciceroni contigerit? Fortaſſe ne laus quidem eſſe poteſt ulla. Immo uerò illud etiam hominis fato dandum erit, quod tanta in Salluſtij, Varronis, Liuij, Nigidij, Meſſalæ, Luccei, Siſennę, plurimorumq; doctiſsimorum libris iactura facta ſit, minus multa ex eo amiſſa ſunt quàm de cæteris. Latinè autem loquendi ſermoniſq; ampliandi & illuſtrandi, omnium ſtudioſiſsimus fuit, ut non mirandum ſit neq; moleſtè accipiendum quod non ſolus quidem, ſed primus inter alios proponitur nobis quem præcipue imitari debeamus. Nihilo inferior locus Terentio debętur Plauto, Catoni & iis etiam qui uſq; ad Liuij ætatem uixerunt. Verum hac de ratione, magis idoneo loco dicendum erit. Nunc ſatis hæc ſint, unde ad quartum librum & uerbi diuiſiones tractationeſq; omnes reuertamur. Verbum eſt pars orationis cum tempore & perſona, ſine caſu, agere aliquid, aut pati, aut neutrum ſignificans. Aliud perſonale uocant, ut lego, aliud imperſonale ut pœnitet. Vtrunq; aut agendi natura præditum eſt, aut patiendi. Ad agendum pertinent quę ſunt illius formæ perſonalia, ueſtio, concilio, premo, unde fiunt quæ ſunt patiendi, ueſtior, concilior, pręmor. Imperſonalia ad agendum pertinentia, tædet, pœnitet, accidit, quæ aliam habere uocem niſi actiuam non poſſunt. Aliunde igitur nata eſſe oportet quæ ad patiendum referantur, ut legitur, uiuitur, ſeruitur, ſtatur. Sunt octo quæ uerbum conſequuntur,

tur, coniugatio, ſpecies, figura, perſona, numerus, genus, modus, tempus. Victorinus Afer his addidit qualitatem, ut eſſet uerbi qualitas finita, ſcribo lego laboro, infinita ſcribere legere laborare. Sed mihi ſatis eſſe uolo interdum commemorare, uel ſignificare tãtum, quæ ueteribus doctisq; uiris placita fuiſſe ſciam, ut lectori non deſit ex multis, quod iudicio etiam ſuo ſequi poſsit. Sed hac de re tum fortaſſe uidero quum ad modos uerborum infinitos uentum erit. Nunc uerò ſunt coniugationes, quatuor, quæ tribus maxime uocalibus cernuntur. Nam quorum uerborum ſecunda perſona præſentis indicatiui modi in primam uocalem finitur longam, ea primæ ſunt coniugationis, ut laudo laudas: quorum in ſecundam ſimiliter longam, ſecundæ ut moneo mones: quorum in tertiam breuem, tertiæ, ut lego legis: quorum eandem in tertiam longam, quartæ, ut audio audis. Species duæ, primitiua ut caleo, deriuatiua ut caleſco. Figuræ etiam duæ, ſimplex ut lego, compoſita ut intelligo. Perſonæ tres, prima ut amo, ſecunda ut amas, tertia ut amat. Numeri duo ſingularis ut amo, pluralis ut amamus. Genera quatuor, actiuum ut amo, paſsiuum ut amor, neutrum ut ſeruio, deponens ut fruor. Modi quinque, indicatiuus ut lego, imperatiuus ut lege, optatiuus ut legerem, ſubiunctiuus ut legam, infinitus ut legere. Tempora ſunt quinq;, præſens ut lego, præteritum imperfectum ut legebam, pręteritum perfectũ ut legi, pręteritum pluſquamperfectum ut legeram, futurum ut legam. Quod autem nominatur genus, ab antiquis etiam grammaticis, & ijs etiam qui recte & latinè loquuti ſunt, non id ſolum intelligi oportet quod alias diſtribuitur in formas quemadmodum philoſophi accipiunt, ſed contra ipſam ſpeciem generi ſubiectam, ut crudelitatem uitio, prudentiam uirtuti. Etenim hoc ipſum quo de nunc agitur, non eo genus dicitur, quia in actiui, paſsiui, neutrius, deponentiſq; uerbi tanqnam in ſpecies inferiores diſtributum ſit, ſed quia latini ſermonis conſuetudo ijs etiam rebus accommodat hoc uerbum, quæ ſubiectis de formis non dicuntur, ut;

Quid genus in uerbo.

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum uolunt.

Sed hic non committam, ut exemplis recitandis id in dubium uocare uidear, quo nulla re alia plenior eſt latina lingua. Itaque genus hoc loco non eſt quod ſubiectis alijs de rebus dicatur. Teramus.n. hoc dicendi uerbum pro eo quod apud illos eſt κατηγορεῖσθαι, quem admodum de crudelitate uitium ac de prudentia uirtus. Falſo enim

Dici, pro κατηγορεῖσθαι apud dialecticos.

actiui,

actiui,paſsiui,neutrius,deponentisq; in uerbi naturam,ut ſuas quaſdam in ſpecies cuipiam uideri poterit eſſe diſtributum. Nam de his, ut ſubiectis de formis dici non poteſt. Quis enim dicat, uerbum actiuum eſt genus,ut prudentia eſt uirtus, aut homo eſt animal? Ac poterat quidem aliquod eſſe nomen aliud quod loco eſſet generis, huiuſmodiq; formas cōplecteretur. Eſto enim exempli cauſa ſignificatio potius quam genus dicta ſit. Tum actiua,paſsiua, cæteræq; ſignificationes,ad illam,ut formæ ad ſuum genus referrentur,& actiuam paſsiuamq; rectè ſignificationes dicere poſſemus, quas tamen eſſe genus more dialecticorum loquens nemo dicere audebit. Ergo grammatici quum ita dicunt, in uerbo inſunt coniugatio, ſpecies, figura, perſona,numerus,genus, modus,tempus, non eſt ea diuiſio generis in formas,quando neq; tempus,neq; modus, neque aliud ex his uerbum eſt: ſed diſtributio totius quædam in partes. Non tamen quærere ita ſolent; Quot in partes uerbum diſtribuitur: quia non quemadmodum tempus, perſona,ac numerus, ſic cętera etiam ex octo inter uerbi partes numerari poſſunt, ut coniugatio, ut figura,ut genus,ut ſpecies. Poſteriora enim hæc, formæ ſunt potius dicendæ quædam uerborum, quibus agendi, patiendiue ſignificatu, aut caſu literarum, aut principio naſcendi, aut ſimplicium natura, aut pluriũ copulatione,aut genere declinādi,ipſa cognita ſint interſeq; diſtincta. Nam pars eſſe non poteſt quod partium eſt cæterarum omnium, ut ne corporum quidem habitudines, aut animi, aut colores. Ac de genere quidem hoc loco non ſubiectas id, in formas ut uerum genus, ſed in partes, ut totum, diſtribui, aliarum quoq; ſunt rerum non leuiſsimarum exempla. Rhethorica.n.in uim orationis, in orationem, & in quæſtionem à M.Tullio diuiditur, quorum trium (ut formis omnibus naturale eſt) nihil rhetoricæ nomen retinet,ut nec genus de uerbo dicitur, nec ipſo de genere uerbum aut cætera ſex ante numerata. Deniq; ſæpius multa hunc in modum partimur: ſed quod ad grammaticam attinet non de genere uerbũ, ſed ijs de partibus,quæ ſunt generi ſubiectæ dicitur, quēadmodum non figura, ſed in quæ ea diuiditur, uerba eſſe dicimus, uel ſimplicia,uel copulata. Eadē eſt in nomine ratio,uel qualitatis, uel cōparationis. Iam uerò ut alijs in partibus orationis alia nō dicam,quid in præpoſitione caſus, quid in coniunctione ordinem eſſe uolumus? Non ſunt.n.hæc,neq; ſpecies,neq; partes, neq; formæ, quem in uerbo locum, uel genus, uel figuram, uel coniugationem habere diximus. Hactenus quæ dicta ſunt eo potiſsimum pertinent, ut quũ eorum

rum quæ in ſingulis partibus orationis inſunt, non una & certa quędam, ſed uaria ſit multiplexque ratio mirum non uideatur, uerba à grammaticis quæſita eſſe hoc loco, ea quæ non ad ſpecies, uel ad partes referantur, ſed quæ latius paterent & ſi minime apta aut propria, ut accidere, accidentiaq; nominarent. Nec uidentur mihi qui dem omnia quæ ſubiecta ſunt, cuiq; partium orationis, ſingulas ſemper uniusq; modi tantum in quæſtiones poſſe conferri. Nam de uerbo (ut exempli cauſſa dicam) ſeparanda erant quæ ad partes, ab ijs quæ ad formas illius pertinerent, ne octo illa quæ tam diuerſa ſunt inter ſe, eandem ſub rationem coniicere uideremur. Nec de eorum quæ nomini, quæ uerbo, quę participio, quæ cæteris partibus ſubiecta ſunt, numero, ſatis inter omnes conuenit, grammaticorum alijs uel plura, uel pauciora, uel diuerſa tradentibus: nec profectò res ea eſt, quam certiſsima lege aliqua naturæ perpetuò ratam, nulla ratione liceat mutare. Itaq; nos his in libris nemo reprehēdet, quod uideat hæc uel paulo aliter à nobis iudicata, uel ad latinitatem potiſsimum ſpectantibus minoris æſtimata. Nunc uerò quum cætera facillima ſint ad cognoſcendum, nec figuræ quidem, nec ſpeciei, quæram, num quę rectiora nomina eſſe potuiſſent. Itaq; accedo ad coniugationes, quę fundamentum quoddam ſunt partium aliarum.

Deniq; inania accidentium nomina apud grammaticos.

Coniugatio uerborum.

Coniugatio eſt igitur ante nos à multis definita conſequens uerborum ſimilium declinatio ſimilis. Nititur enim hæc tota in uerbo, ut in cæteris quoq; partibus orationis quæ declinantur, analogia .i. ea ratione quam uel comparationem, uel conuenientiam, uel proportionem Cicero nominauit. Hic enim ad quatuor uerborū exempla proportionemq; collata uerba omnia proponuntur ad declinandum, ut quum rectè quis amo, doceo, lego, audio didicerit, eandem eſſe in laudo, teneo, ſcribo, munio, infinitiſq; huiuſmodi ſciat eſſe rationem. Nunc ergo illarum exempla ſubiungam, & quam plurima licebit, quam paucifsimis generibus complectar. Ac primum ſunt modi quinque uerborum, indicandi, imperandi, optandi, ſubiungendi, infinitatis, ut laudo, lauda, laudarē, laudē, laudare. Primus quinq; temporibus cernitur, inſtanti, præterito imperfecto, præterito perfecto, præterito pluſquam perfecto, futuro, ut laudo, laudabam, laudaui, laudaueram, laudabo. Omnia hæc numeris diſcreta ſunt, ut laudo laudamus, & perſonis ut laudo, laudas, laudat, quæ in multitudinis numero ſunt laudamus, laudatis, laudant. Hinc patiendi uox eſt laudor, unde reliquæ ſunt laudaris, & laudatur, multitudinis autem numero, laudamur, laudamini, laudātur. Hic etiam

Declinationes quatuor coniugationum.

ut in

ut in uerbo agendi percurrendos eſſe modos, numeros, perſonas, ineptum eſt admonere. Secundæ ſunt coniugationis moneo, doceo, teneo, unde eſt perſona ſecunda, mones, doces, tenes poſtrema longa ſyllaba: quamobrem neceſſario, hinc nata, monemus & monetis producuntur quemadmodum à ſecunda perſona coniugationis primæ, laudamus, & laudatis, atque ex his longæ ſunt etiam uoces patiendi, laudaris, laudatur, itemque laudamur laudamini laudantur, ut moneris quoque monemur & monentur. Sed prætenieram in ſecundis unitatem perſonis, dici etiam laudare, monere, legere, audire eadem prorſus uoce qua modus eſt infinitatis. Tertiæ coniugationis uerba illius formæ ſunt lego, ſcribo, iacio, à quibus eſt ſecunda perſona legis, ſcribis, iacis, quorum ultima breuis, aliud gignere de ſe quam breuem non poteſt, ut legitis, ſcribitis, iacitis, quod ſi hanc rationem ſequare ut longam ſyllabam à longa, & breuem eruas à breui, erunt etiam à legor, ideſt à forma quam dicimus patiendi, legeris, legere, legitur, & legimur, legimini, leguntur. Quarta coniugatio ſimilior eſt primæ quam tertiæ. Audio enim facit in perſona ſecunda audis, cuius ex ultima longa fiunt etiam longæ quæ inde profectæ ſunt, audimus, & auditis ut ab eo quod eſt audior, audiris, auditur, audimur, audimini. Præteritum imperfectum coniugationum omnium eſt laudabam, tenebam, legebam, audiebam, in quibus longæ ſyllabæ quæ antecedunt ultimas, itidem longæ permanent in flexione reliqua huius temporis, laudabas, & laudabat, quoniamque producitur ultima etiam ſecundæ huiuſce perſonæ ſyllaba, id ipſum in cæteris quoque ſeruandum fuit, quæ inde proficiſcuntur uocibus, laudabamus, laudabatis, laudabant. Vna hic eademque ratio eſt cæterarum quas dictum eſt coniugationum, tenebam, tenebas, tenebat, tenebamus, tenebatis, tenebant, legebam, legebas, legebat, legebamus, legebatis, legebant. Vides, ut nullum diſcrimen ſit hic pronunciandi, utque multo minus in quarta eſſe potuerit, quæ minore interuallo differt à prima & ſecunda coniugatione, quam tertia, ut audiebam, audiebas, audiebat, audiebamus, audiebatis, audiebant. Nec de patiendi uocibus dubitauerit quiſquam. Sunt enim qualibet in coniugatione ſimiles ut monebar monebaris, quæ perſona dicitur etiam monebare, tertia monebatur. Numero multitudinis, eſt monebamur, monebamini, monebantur. Nec debet hoc loco expectari, dum reliquis de coniugationibus dicam, afferamque exempla ſingularum. Itaq;

uenio ad præteriti perfecti uoces: nec tamen quæram nunc de his qua mutatione literarum, à laudo laudaui, à moneo monui, à lego audioque fiat legi & audiui. Hac enim de ratione tota, quum hic locus erit abſolutus, tum ſubtilius diſputandum erit. Nunc uerò penè quod aiunt ὕστερον πρότερον alia me ratio quædam ordinis coegit, ut prius coniugationum formas tractarem. Secundæ perſonæ ſunt laudauiſti, monuiſti. Nec ualde hic refert in ſyllabis morari quæ proximæ ſunt à poſtremis: etenim ſi binæ hinc auferri conſonantes poſſent, manerent nihilominus longæ à natura; ut etiam legiſti & audiuiſti. Adimunt auctores plurimum à coniugatione prima & quarta ſyllabas, quæ à Varrone etiam penultimæ dicuntur, faciuntque laudaſti, & audiſti. Tertiæ perſonæ fiunt laudauit, monuit, legit, audiuit. Scribunt literati quidam homines doctiſsimi audit, & laudat pro audiuit, & laudauit eſſe dictum aliquando à poetis, aiuntque in illo Virgilij uerſu;

Omnis humo fumât. Neptunia Troia

fumât, poſtrema ſyllaba circumflexa dici oportere. Illud certum eſt auferri poſtremam de uocalibus,uel digamma potius Aeolicum à quarta duntaxat coniugatione, ut;

Audijt omnipotens,oculosq; ad mœnia torſit

Multitudinis uerò numerus eſt, laudauiſtis, monuiſtis. Hæc nihil habent quod monere debeam, ut nec legiſtis quidem & audiuiſtis, niſi fortaſſe dicendum ſit penultimas eſſe debere circumflexas, quod natura potius quam ut conſonantium eſſe longas putem, non minus quam in tertijs etiam perſonis laudauerunt, monuerunt, legerunt, audiuerunt quamuis hic longis etiam ſequentibus poſtremis, acutum eſſe accentum oporteat: circumflexum uerò in his laudauêre, monuêre, legêre, audiuêre, ubi exploſa olim à doctis hominibus, illorum ſententia eſt qui hæc dualis eſſe numeri putabant. Secundæ perſonæ quas dixi iam, primæ coniugationis & quartæ, pronunciantur etiam, laudaſtis, & audiſtis,quemadmodum tertiæ, coniugationis, primæ, laudarunt, laborarunt. Patiendi uoces illę ſunt laudatus ſum uel fui,monitus ſum uel fui. Nec ignorat quis differre inter ſe laudatus ſum & laudatus fui, monitus ſum, & monitus fui ſimiliter atq; Sum differt à Fui: non quod laudatus ſum omnino ad præſens queat referri ſed quod perpeſsionem ſignificet, præſenti uiciniorem ideſt quam græci παρακείμενον dixerunt. Sequitur hæc cæteras etiam perſonas ratio, laudatus es

uel

uel fuiſti, laudatus eſt ue' fuit, ſequitur multitudinis numerum, laudati ſumus uel fuimus, laudati eſtis uel fuiſtis, laudati ſunt fuerunt uel fuêre. Nata eſt præteriti uox ab ea parte ue bi quod ſupinum dicitur, ut à monitu, lectu, auditu, monitus ſum uel fui, lectus ſum uel fui, auditus ſum uel fui, atq; hinc cęterę uoces utriusq; numeri & perſonarum omnium, laudatus ſum uel fui uſque ad perſonam multitudinis tertiam: nec aliquid inter ſe differunt, hoc, aut cæteris quibuſcunque præteritis inclinandis, niſi quod quarta ut prima ſyllabam producit proximam poſtremæ, ut auditi ſumus uel fuimus auditi eſtis uel fuiſtis, auditi ſunt fuerunt uel fuêre. Extitit enim à ſupino, unde auditus, & hinc auditus ſum: quanquam ſecunda etiam faciat deletus ſum, & tertia lectus ſum ſyllabis penultimis natura longis. Etenim eſt lectum, à ſupino lectu, & hoc à legi, priore ſyllaba longa per naturam. Tertium uerò præteritum noſtri uerbo inuſitato, pluſquam perfectum, ideſt ὑπερσυντέλικον dixerunt. Omnium hic una tantum eſt ratio coniugationum. Eſt enim à prima laudaueram, laudaueras, laudauerat, quod ſolemus etiam κατὰ συγκοπὴν dicere laudaram, laudaras, laudarat: quinque poſtrema ſecundæ perſonæ ſyllaba ſit longa, producuntur etiam quæ ex his ortæ ſunt laudauerâmus, laudauerâtis: atque hinc laudarâmus, & laudarâtis etiam dici ſolent: perſona uerò tertia breuior eſt una detracta à fine ſyllaba, laudauerant, aut laudarant. Cognita igitur hic perſona ſecunda, monueras, legeras, audiueras, primam coniugationem intuentibus, reliquæ in promptu fiunt omnes quæ ſequuntur. Exceptum illud unum ſit συγκοπὴν, in quarta nullam eſſe. Patibilis etiam naturæ hoc tempus nihil eſt negotij inflectere, ſi ut præteriti perfecti uoces declinatæ ſint recordemur. Ibi enim eſt laudatus ſum uel fui, hic laudatus eram uel fueram. Prior uerbi pars eſt à præterito perfecto, altera à uerbo ſubſtantiæ quod ὑπαρκτικὸν dicunt, ut eram uel fueram, eras uel fueras, erat uel fuerat, quod eſt coniugationum, numerorum, & perſonarum omnium. Venio igitur ad futurum, cuius in prima coniugatione & ſecunda, primam perſonam laudabo fecimus & monebo, quæ longa poſtremæ ſyllabæ proxima, in cæteris etiam ſyllabis tenetur, laudabis, laudabit, unde multitudinis fiunt uoces laudabimus, laudabitis, laudabunt ut ſecunda etiam de coniugatione dubitari non poſsit, quin eodē ritu perſonæ inflectantur omnes à monebo, quo ſunt inflexæ à laudabo. Duę cōiugationes reliquę ita ſimi-

les habent perſonas ut alteram cognoſci tantum neceſſe ſit, ut ſi à legam ſciamus eſſe leges & leget, ignorari non poſsit ab eo quod eſt audiam fieri audies & audiet, itemque audiemus, audietis, audient, quemadmodum legemus, legetis, legent. Patiendi ſunt uoces à prima coniugatione & ſecunda laudabor & monebor, à quibus reliquæ perſonæ laudaberis, moneberis, laudabere, monebere, laudabitur, monebitur. Iam ſi cognitum ſit eſſe à prima laudabimur, laudabimini, laudabuntur, nihil ſecunda de coniugatione præcipere oportebit. A tertia & quarta ſunt legar, & audiar, à quibus extitere ſyllabis longis, quæ antecedunt ultimas, legeris, uel legere, legentur, & numero multitudinis, legemur, legemini, legentur: nec diuerſa ratio eſt futuri quartæ coniugationis, inflectendi. Non modo enim plurima in eandem coniugationem uerba conueniunt, ſed coniugationum quoque diuerſarum, tempus tempori, modum modo ſimilem obſeruabimus. Sæpe etiam uoces erunt prorſus eædem, ut optandi præſens, præteritum pluſquam perfectum, & futurum, cum præterito imperfecto cum præterito pluſquam perfecto cum futuro ſubiungendi, & ſecunda perſona patiens imperandi cum infinito præſenti uocis actiuæ. Nam quædam non uarietate ſyllabarum, ac ne litera quidem ulla, ſed accentu ſolo diſcernimus ut futurum & perfectum ſubiungendi. Verum ego accedo nunc ad imperandi modum. Huius duo tempora ſunt, inſtans quidem primæ coniugationis, primam in uocalem terminatur, ſecundæ in ſecundam, ut lauda & mone utranque longam tertiæ in ſecundam breuem quartæ in tertiam longam, ut lege audi. Primas enim perſonas, imperandi modus habere non debuit. Tertiæ ſunt laudet, moneat, legat, audiat multitudinis uerò ſunt laudate, monete, audite longas habentia penultimas, à longis quibus iam dixi poſtremis: legite autem corripit eandem ſyllabam, alia à breui ſyllaba profectam. Patibilis uerò formæ uoces dicuntur ab ijs quæ ſunt agendi, laudare, monere, legere, audire: at quum de pluribus agendum eſt laudemur, moneamur, legamur, audiamur, atque ab his ipſis ortæ uoces laudemini & laudentur, moneamini & moneantur, legamini & legantur, audiamini & audiantur. Futuri una uox eſt ad ſecundam relata perſonam atque tertiam, laudato, moneto, legito, audito. Numerus hanc multitudinis diſtinctam habet, laudatote, & laudanto, eademque analogia cæteræ coniugationes, monatote & monento,

legitote

legitote & legunto, auditote & audiunto. His ipſis ex uocibus extitere patiendi uoces. Quare ut in agendi, quum de uno ſermo eſt ſecundæ perſonæ uel tertiæ plus una uoce eſſe non potuit, laudator, monetor, legitor, auditor, quum uerò de pluribus, diſtinctæ ſunt omnino trium uoces perſonarum, laudemus, laudaminor, laudantor, ſic cæteræ coniugationes moneamur, moneamini, monentor, ut ſtupidi ſit hominis tertiam ex his & quartam non cognoſcere coniugationem. Rem ingreſſus ſum ualde ſubtilem atq; ſpinoſam, ſed modo uel prodeſſe aliquid, uel continuatum ſcriptionis inſtitutæ filum & artis ordinem tueri poſſim, nihil prætermittam ex ijs quæ mihi minus illuſtrem orationem aut non ſatis cultam, nec prorſus latinam reddunt. Mihi enim arbitror ſatis, quod falſa, quod barbara, quod minus culta pro uiribus auferam à latinitate & ſtudeam aliqua ex parte ſplendorem ei antiquitatis reſtituere: nec mihi debet eſſe fraudi ſiquid eſt in grammaticorum diſciplina quod per naturam abhorreat à dignitate orationis. Tranſeo nunc igitur ad optandi modum qui tempus habet inſtans, laudarem, laudares, laudaret. Seruant igitur hæ uoces primam penultimis in ſyllabis uocalem, ſecundam in poſtremis. Coniugatio uerò ſecunda utrobique retinet ſecundam ut monerem, moneres, moneret, quæ ſyllabæ (ut in cæteris omnibus) multitudinis quoque numerum ſequuntur. Laudaremus, laudaretis, laudarent, moneremus, moneretis, monerent. Corripitur eadem uocalis penultima in ſyllaba, tertiæ coniugationis, legerem, legeres, legeret, producitur in quarta, audirem, audires, audiret. Quoniam uerò longa eſt quælibet in coniugatione hæc poſtrema ſyllaba, neceſſe fuit longas eſſe quæ ex his manauerũt, legeremus, legeretis, legerent, audiremus, audiretis, audirent. Nam laudaret, moneret, legeret, audiret, numero unitatis, arbitror mutæ conſonantis ultimæ potiusquam uocalis natura poſtremis in ſyllabis corripi debuiſſe: ad patiendum uoces quæ pertinent, ſunt laudarer, laudareris, laudaretur, atque ex his producta ubique uocali ſecunda, laudaremur, laudaremini, laudarentur. Hic ἀνάλογον ſit ut eorum exemplo quæ ſignificata ſunt, mille inflectamus huiuſmodi ut moneremur, moneremini, monerentur, eodemque pacto à legerer, & audirer uſque ad legerentur, & audirentur. Deinceps præteritum eſt pluſquam perfectum quod habet in prima perſona laudauiſſem. Hic ſecunda eſt ijsdem ſyllabis, literiſq; omnibus, ſed quinta ſemiuocali terminata quemadmodum ſemper

habet perſona tertia, mutarum in fine poſtremam. Multitudinis uerò eſt laudauiſſemus, unde ſemper fit laudauiſſetis, & laudauiſſent. Denique hic ex numeris, ac perſonis omnibus ea tollitur ſyllaba quæ penultima eſt in laudauiſſem: tollitur quibuſdam ex uerbis etiam ſecundæ coniugationis. Vt enim, deleuiſſem, deleuiſſes, deleuiſſet, ſic deleſſem, deleſſes, ac deleſſet etiam dici conſuerunt. Hoc rarum eſt in coniugatione ſecunda, ut ſummoſſes apud Horatium pro ſummouiſſes, perpetuum in prima, perpetuum in quarta, à primo fonte ortum, præteriti perfecti indicantis modi, unde manat (præter quam ad imperfectum) ad præterita omnia, & futurum ſubiungendi. Sed ex quibus dixi uocibus unitatum, fiunt multitudinis, deleuiſſemus, deleuiſſetis, deleuiſſent. Ac denique oſtendiſſe mihi uideor, unde uocum diſcrimina cæterarum cognoſci poſsint. Quis enim tertia de coniugatione & quarta iam dubitet, quum ſit eadem omnino flectendi ratio in his quæ ſuperiorum fuit? Nimis tardi ingenij eſt propoſita perſona prima, legiſſem, audiuiſſem, non uidere ut perueniendum ſit ad legiſſent & audiuiſſent. Multo etiam facilius eſt uoces inflectere patiendi, laudatus eſſem, uel fuiſſem. Vt enim ex præterito indicantis modi cognitum eſt, numeri diſcrimen, hæc duo faciunt, laudatus & laudati: perſonas uerò diſtinguunt eſſem, eſſes, eſſet, uel fuiſſem, fuiſſes, fuiſſet, ut nullum ſit negotium à prima perſona ad tertiam deſcendere, laudatus eſſet uel fuiſſet, ut etiam à prima perſona multitudinis laudati eſſemus uel fuiſſemus, uel laudati eſſent uel fuiſſent. Efficit hæc ratio ut ne in ſecunda quidem uel tertia uel quarta coniugatione laborandum ſit. Nam, cognitis primarum perſonarum uocibus monitus eſſem uel fuiſſem, lectus eſſem, uel fuiſſem, auditus eſſem uel fuiſſem, aperta iam uia atque nota fluit ratio ad extrema, auditi eſſent uel fuiſſent. Paulo plus inter ſe diffeaunt coniugationes in futuro, laudem, moneam, legam, audiam. Prima retinet ſemper ſecundam in perſonis omnibus uocalem, ut laudes, & laudet eandemque retinet etiam in multitudine laudemus, laudetis, laudent. Reliquæ uerò coniugationes omnes, prima uocali terminant numerum unitatis, moneam, legam, audiam, quibus ex perſonis primis, extant ſecundæ, moneas, legas, audias, atque hinc tertiæ, quibus in fine ſit mutarum poſtrema, moneat, legat, audiat. Facilis hinc tranſitus eſt ad multitudinem, apertaque inflexio coniugationum omnium, quæ eaſdem

hic

hic retinent quas iam dixi uocales, hoc eſt prima ſecundam, ut laudemus, laudetis, laudent, reliquæ omnes primam ut moneamus, moneatis, moneant, legamus, legatis, legant, audiamus, audiatis, audiant. Eaſdem ſeruant in patiendi uerbis, lauder, monear, legar, audiar. A primo ſunt lauderis, laudere, laudetur, à reliquis tribus monearis, moneare, moneatur. Ab illo ſunt laudemur, laudemini, laudentur, ab his moneamur, moneamini, moneantur. Nam quid in reliquis duobus intereſt (quod ad inflexionem attinet) utrum legamur, legamini, legantur dicas, an audiamur, audiamini, audiantur? Sed uenio ad modum ſubiungendi. Huius inſtans tempus, nulla re prorſus differt ab eo quod proximè dictum eſt optandi futuro, ſiue agendi, ſiue patiendi uocem ſpectes. Quod autem præſens iam fuit optandi, hic præteriti eſt loco imperfecti. Præteritum uerò plusquam perfectum, ſubiungendi & optandi, unis eiſdemque uocibus terminatur. Tribus igitur his de temporibus dicere amplius nihil oportebit. Præteriti perfecti & futuri eædem uoces, eædem ſyllabæ, eædem ſunt literæ: duabus tantum rebus differunt, una, quod prima perſona præteriti eſt laudauerim, monuerim, legerim, audiuerim, futuri, laudauero, monuero, legero, audiuero, altera, quòd legeris & audiueris à præterito, poſtremam corripit ſyllabam, à legero autem & audiuero, producit. Inde ſunt legerimus & legeritis penultimæ breues, hinc legerîmus & legerîtis longæ. Modi autem infiniti præſens tempus eſt, laudare, monere, legere, eadem uoce qua imperandi perſona ſecunda patibilis id quod accidit apud græcos etiam ut πάυεσθαι, πάυσασθαι, πραχθήσασθαι, infiniti modi ad imperandum quoque & indicandum ponantur: Patiendi forma eſt laudari, moneri, legi, audiri. Quod autem perfectum & pluſquam perfectum uocant præteritum, à perfecto indicantis fit, laudauiſſe, monuiſſe, legiſſe, audiuiſſe. Quare etiam coniugationis primæ & quartæ, ſyllabæ poſſunt adimi ſecundæ à poſtremis, ut laudaſſe, & audiſſe. Patibilis formæ eſt eodem à principio indicandi laudatum eſſe, aut laudatum fuiſſe, eademque ratione deinceps cætera, monitum, lectum, auditum eſſe uel auditum fuiſſe. Agendi futurum eſt laudaturum eſſe, & à cæteris à coniugationibus moniturum, lecturum, auditurum eſſe: patiendi uerò laudatum iri, itemque monitum, lectum, auditum iri. Gerundia ad actio-

nes quæ pertinent, laudandi, laudando, laudandum, & proportione eadem à cæteris coniugationibus, monendi, legendi, & audiendi, audiendo, audiendum: quę ad perpeſsiones uerò, laudandus, laudanda, laudandum. Reliqua etiam, hæc ipſa ratio rectè obſeruantibus demonſtrabit, monendus, legendus, & audiendus, audienda, audiendum. Quæ ſupina uocant ea ſingula à uerbis agendi fiunt laudatum, monitum, lectum, auditum: totidem à patiendi, laudatu, monitu, lectu, auditu. Participia iiſdem à uerbis actionum quæ dicuntur bina ſunt, laudans, & laudaturus, commune utrunq; generum omnium inſtar nominis adiectiui: à perpeſsionum uerò tantum ſingula ut laudatus: nam laudandus, monendus, legendus, audiendus, nequaquam eſſe participia, ſeptimo libro mihi in extremo diſputandum erit. Hæc deniq; ſunt noſtrarum quatuor coniugationum, quæ iam propoſui exempla. Verba igitur omnia quorum inæquabilis ratio non ſit hanc declinationis legem ſequuntur. Similium enim ſimilis declinatio eſt. Plures autem ad coniugationes referuntur fulgeo, ſtrideo, ferueo quæ in ſcriptis ueterum ſunt etiam fulgo, ſtrido, feruo, ut Virgilius

Quem fulgere cernis in armis

A lauo quoq; fit lauis, & lauit ad formam tertiæ, ut;

Fluidum lauit inde cruorem

Eſt & ſecundæ cieo, & tertiæ cio, & illa duo accerſio & acceſſo quorum ab altero accerſiui, & accerſire, ab altero accerſi & accerſere, à quarta in tertiam & à tertia in ſecundam, tergo & tergeo. Sed cui rectè cognita ſint quæ adhuc diximus ei dubitatio eſſe non poterit, ſeu tertia eodem in uerbo ſequenda ſit, ſeu ſecunda, ſeu prima. Sunt etiam quæ aliis in temporibus, aliarum ſunt coniugationum, ut peto, ſino, cupio, quæro. Hæc enim in præſentibus modorum omnium tertiæ ſunt coniugationis, in præteritis uerò perfectis, & iis quæ inde naſcuntur, quartæ ut petiui, ſiui, cupiui, quæſiui, quæſiueram, quæſiuiſſem, quæſiuerim, quæſiuero, quæſiuiſſe, quæſitum, eodemque modo cætera. Sapio etiam, nunc ſapiui facit, nunc ſapui, & à diuido eſt diuiſi & diuiſum. Vt uerò ex tertia ad quartam, ſunt etiam contra quæ de quarta migrant ad tertiam, ut haurio, facit hauſi, & hauſeram, hauſiſſem, hauſerim, hauſero, hauſtum, & experior, expertus ſum. Sunt quæ de tertia ad primam, ut ſterno, ſtraui, ſtraueram & quæ hic ſequuntur. Alia deniq; mutant præteritum primæ coniugationis ueto, cubo, frico, domo, ſono, crepo, tono, ſeco, præſto,

ſto, lauo, iuuo. Vetui enim & uetitum, cubui cubitum, fricui frictũ, domui domitum, ſonui ſonitum, crepui crepitum, tonui tonitum, ſecui ſectum, laui lotum, iuui iutum, præterita habent & ſupina tametſi nominum quæ uerbalia uocantur ſit unũ genus à prima coniugatione magis uſitatum, ut uetatio, cubatio, & fricatio, frequentiora ſint, quam uetitio, cubitio, frictio: alterum uero tertiæ ſonitus, crepitus, tonitus tanquam tonit, crepit, ſonit etiam ueteres dixiſſent, id quod Ennium & alios circa Ennij ætatẽ dixiſſe accepimus. A plico ſunt explico, explicui, & explicaui, explicatum explicatio, & complico complicui, uerumtamen à prima coniugatione fuere explicatio, duplicatio, complicatio, quamuis rem atq; rationem implicitam nominaq; alia ab huiuſmodi uerbis ſecundum eam rationem ſæpe legimus. Taceo quæ his in temporibus ad uocem tranſeunt paſsiuam, quo de genere illa ſunt, audeo, fido, ſoleo, gaudeo, aut quæ uoce modo actiua modo paſsiua pronunciantur, ut à cæno, ǫdi, poto, iuro, cęterisq; non ualde multis præter illa quæ ſunt à natura cænaui, potaui, iuraui, ſunt etiam cænatus ſum, oſus ſum, potus ſum, iuratus ſum, & prandeo præteritum habet pranſus ſum. Quartæ etiam coniugationis quædam uerba futurum transferunt indicatiui ad primam uel ſecundam, ut eo ibo, id quod ſeruant etiã quæ compoſita dicuntur, ut exeo exibo, ineo inibo, tranſeo tranſibo, redeo redibo. Perquam raro enim hæc futurum habent naturæ ſuæ quod eſt à Tibullo ſeruatum.

At, ſi tardus eris, errabis, tranſiet ætas,
Quam cito non ſegnis ſtat, remeatq; dies.

Horum ſupina & nomina participiaq; ex ijs nata, contra quam in reliqua horum uerborum forma oporteat, ſecundam ab ultima ſyllabã corripiunt, ut tranſitus, reditus, exitus huiuſmodiq; omnia. Eſt enim in his perpetuũ ut compoſita inſtar ſimplicium declinentur. Itaq; ut redeam ad ſuperiora à requiro præteritum fit requiſiui, à repeto repetiui, & ſupina requiſitum & repetitum, ab exhaurio exhauſi, à cõſterno conſtraui, à concrepo concrepui, ab adiuuo adiuui, à confido confiſus ſum, compoſitisq; cæteris ut à ſimplicibus quæ uel hactenus à me dicta ſunt, uel quæ dicere neceſſe erit. Vltimi generis eſt ueneo unde fit uenibo quemadmodum à redeo redibo. Ipſum eſt eadem origine qua cætera, tanquam ſi dicatur uenum ire ut exire, & redire. Hæc ſunt hodie in uſu quorum non eſt alia uox futuri. Apud ueteres autem fuerunt aperibo, audibo, obedibo, ſcibo, expedibo, eorumque paſsiua aperibitur, audibitur, ſcibitur, de quibus

non

non dicerem, niſi illorum exempla nobis multa Plautus, Terentiusque reliquiſſent. Alijs detracta eſt uocalis ultima præſentis imperatiui. Nemo enim hodie ſic loquitur, ut quondam, dice, duce, face, fere, neque à compoſitis addico, diduco, ſatisfacio, perfero, & quamplurimis. Pauca ſunt quorum tempus inſtans abeſt à modis omnibus, odi, noui, memini, cœpi. Alia quam ad coniugationem accommodes non erit in quibus eſt fero, unde præteritum tuli, & ſum, & uolo, & quæ fiunt ex his refero, deſum, nolo. Vnum tertiæ eſt coniugationis, ſed aliunde perſonam ſecundam ac tertiam præſentis indicatiui mutuatur edo, es, eſt, & in paſsiuo eſtur, & in futuro imperatiui actiui eſto, & pro infinito habet eſſe. Cætera præceptores ipſi, diſcentibus demonſtrent inæqualitatis aliquid ſiqua habebunt prætera declinandi. Ego nunc ex his quæ dixi pauca propoſitis aperiam exemplis, primumque ſit quod uocant ſubſtantiuum cuius prima perſona indicandi præſentisque temporis eſt ſum, unde nulla ratione analogiæ aliæ duæ perſonæ fiunt, Es, & Eſt: ex his natæ ſunt quæ ſequuntur, Sumus, Eſtis, Sunt. Præteriti autem imperfecti prima perſona inuenta, quæ eſt Eram, ex ea fiet Eras, & Erat, & quæ ſunt multitudinis, certo more coniugationum, quæ omnia ſunt ueteris analogiæ. Varro enim ſcribit fuiſſe antiquis temporibus Eſum, unde fuit ἀναλογικῶς Es, Eſt, Eram, Eras, Erat, Ero, Eris, Erit, habueruntque hæc pro quinta ſemiuocali quartam ex illa germanitate, commutationeque literarum, qua primo libro docui ſcriptum eſſe quondam in carmine Saliorum; Doloſi eſo, pro dolori ero. Præteritum perfectum extitit alio à uerbo antiquiſsimis temporibus uſitato, quum dicebatur Fuo, unde natum eſt fui & fuiſti, & rectè hinc cætera: nec minus rectè ex hoc præteritum pluſquã perfectũ fueram & fueras, quemadmodum laudauerã, laudaueras. Futuri inflexio ea eſt quam dixi Ero, deinde Eris & Erit, multitudinisq; cætera, ex ratione, primam perſonam ſequuntur unitatis. Imperandi præſens tempus eſt Sis uel es, & ſit, atq; ex his reliqua Simus, Eſte, Sint. Antiqui uerò ſecundam multitudinis perſonam faciebant Site, ut in Curculione Plautus;

Anomala uerba.

Peſſuli, heus peſſuli, uos ſaluto lubens,
Vos amo, uos uolo, uos peto, atq; obſecro,
Vos gerite amanti mihi morem ameniſſomi
Site, cauſa mea Lydi Barbari,
Suſsilite obſecro, & mittite iſthanc foras

Quæ

Quæ mihi miſero amanti ebibit ſanguinem.
Futuri utraque perſona Eſto, multitudinis prima, Simus, altera Eſtote poſtrema Sunto. Optandi præſens tempus Eſſem, unde fit Eſſes, nec cætera poſſumus ignorare, hanc declinando, uocem ſequuti. Præteriti perfecti & pluſquam perfecti perſona prima unitatis eſt fuiſſem, inſtar coniugationum cæterarum, ut laudauiſſem, docuiſſem, legiſſem, audiuiſſem. Eadem uoce eſt (ut in uerbis omnibus) futurum optandi, & præſens coniungendi, Sim & Sis, quæ inflexio rata eſt in cæteris. Præteritum imperfectum ſubiungendi, idem prorſus eſt atq; optandi præſens tempus: Perfectum uerò eſt Fuerim à fui, ratione ea qua legerim à legi. Pluſquamperfectum eſt Fuiſſem, omnino idem quod optandi. Futuri uox Fuero, quemadmodum legero, quod omnium eſt coniugationum: infinitatis eſſe, præteriti pluſquam perfecti fuiſſe, quæ nec ipſa differt à cæteris: futuri denique eſt futurum eſſe, uel fore. Abſunt hinc gerundia, ſupina (& quod minimè oportuiſſet) participium præſens quum temporis inſequuturi ſit futurus, futura, futurum. Minus eſt negotij in uolo. Tantum ſecunda perſona diſcrepat à prima, & tertia à ſecunda, ueniuntq; non rectè à prima, Vis & Vult. Nam Volis & uolit fieri debuiſſent: minuſq; analogiam neglexit antiquitas, quæ Volt, quarta uocali non quinta pronunciauit ut rectè inde fieret Volumus, & Volitis, quod maluerunt eſſe uoltis & uolunt, pro quibus hodie ſunt in uſu Vis, Vult, & Volumus. Reliqua tempora indicantis modi ex analogia inflectuntur omnia, Volebam, Volui, Volueram, Volam. Imperantis autem loco præſentis eſſe poterunt Velim, Velis, Velit. Poſtrema ſyllaba ſecundæ perſonæ longa, fecit ut Velimus, & Velitis penultima circumflexa dicantur. Ad ſecundam futuri perſonam, multitudinis accommodare præſentis uocem poterimus. Nam Velitote etiam dicere duriuſculum uidebatur, non minus quam Velito. Optandi & ſubiungendi ex ratione omnia formantur, niſi, quod uellem præter analogiā ducitur à Volo, cęterū in flectendo perſonę alię ab alijs rectiſſimè fiunt oēs. Eadem rōne, quùm inuenta eſt prima perſona Velim, quæ non ſatis aperta uia ducitur à Volo, rectè ex illa tñ fit Velis, & Velit, ex his deinde Velîmus, & Velîtis (ut iā dixi) circūflexis ante poſtremas, ſyllabis. Prius de optandi præterito pluſquam perfecto dicendum fuiſſet, quod nulla re differt à ſubiungendi, eſtq; id à uolui, Voluiſſem, ut perfctum quoque Voluerim à uolui indicandi, fitque à uoluerim, Voluero futurum. Hinc productæ ueniunt

quæ

quæ poſtremas antecedũt Voluerimus,& Volueritis,quod eſt commune (ut iam dixi) coniugationum quoque omnium. Infinitatis eſt Velle tantum & Voluiſſe, ne fieri hinc gerundia potuere uel ſupina, uel participium temporis futuri. Tertio loco uerbum ferendi, & ex eo compoſita legitimas coniugationum uias nonnulla ex parte non ſequuntur. A fero enim feris debebat eſſe & ferit, ſed ne à feriendo uoces crederentur, fers & fert eſſe maluimus. Perſonam multitudinis primam ſola breuis media ſyllaba eodem à uerbo diſcreuit. Secundam ratio eadem diſcernere potuiſſet, quam tamen fertis magis quam feritis noſtri fecere, atque ex his ferunt. Præteriti imperfecti uox eſt ferebám, perfecti, à uoce antiqua Tuli unde ex modis omnibus Tuleram,Tuliſſem, Tulero, Tuliſſe. Futurum eſt indicantis Feram, imperantis inſtars, Fer, quemadmodum cætera quæ dicta ſunt dic,duc,fac, perfectorum loco dice,duce, face. A futuro media ſublata ſyllaba eſt, Ferto, quæ erat uox integra ferito, ut pro Fererem optantis uox eſt Ferrem, & infinitatis pro ferere, Ferre. Ex his præteritum perfectum & pluſquam perfectum Tuliſſe, futurum, laturum eſſe, gerundia Ferendi Ferendo Ferendum extitere: Supinum uerò agendi, latum participia ferens & laturus. Hinc patiendi uox eſt Feror, nec docere neceſſe eſt qua ratione Ferris,Ferre, & Fertur nata ſint. Nihil in hoc uerbo aliud eſt inæquabile. Vt conſtituta enim inflexio eſt agendi,quæ patiendi ſunt, ex illa ducuntur omnia. Nam quod ſupinum uocãt in agendo fuit latum, erit ergo hic latu, unde præteritum latus ſum uel fui, ſic deinceps præterita modorum omnium: reliquæ uoces communem patibilitatis morem ſequuntur. A uerbo edendi perſonæ duæ ſunt Es & Eſt, ut;

Eſt mollis flamma medullas,

quam uocem imperandi quoque modus imitatur, ut, Es, Eſto, & Eſtote etiam dicamus, unde Eſtur quoque tempus inſtans indicandi, homines docti fecerunt. Legimus tamen Eſtis etiam in præſenti modo indicandi apud Varronem; Quid enim intereſt (inquit) utrũ morticinas editis uolucres an piſces, quos niſi mortuos Eſtis nunquam? Futuri uſus eſt apud Catonem ſic de braſsica loquentem; Si uoles in conuiuio multũ bibere cœnareque libenter, ante cœnam Eſto crudam, quantam uoles ex aceto. Optandi modus eſt Eſſem, ut;

Perduxere illuc gnatum ut una eſſet mecum.

Denique infinitatis eſt Eſſe ſupini Eſum & Eſtum: à priore eſt

Ambeſas

Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas
ab altero, commeſtum,ut pro Cluentio M. Tullius abditum aliqua in parte panis, quaſi totum liquefactum in potione eſſet celerius, potius, commeſtum quam epotum in uenas atque in omnes partes corporis permaneret. Fio diſparilem habet ſolam præteriti perfecti uocem, & quæ ex illa naſcuntur ut factus ſum, unde præterita quoq; ſunt optandi, ſubiungendi, & infinitatis, quemadmodum à gaudeo, fido, confido, audeo,idq; genus cæteris. Gerundium habet alieno à uerbo Faciendus, à præterito. Supinum factu & participium factus. Memini inflecti cœpit à præterito perfecto, cuius tamen ſignificatio ad inſtãs tempus pertinet: pluſquam perfectiue rò cum imperfecto communis eſt. Caret modus indicandi etiam futuro, cæteri autem omnes uoce præſentis. Imperandi ſolum habet Memento,& Memẽtote, Optandi Meminiſſem,ſubiungendi, hanc ipſam & præteriti perfecti, & futuri uocem, Meminerim, & Meminero, infinitatis Meminiſſe. Primam numeri multitudinis perſonam imperatiuo dedimus tam præſentis quam futuri temporis, non quod imperet ſibi quiſquam,ſed quod is quem hortandi modum grammatici uocant, non erat ubi commodius locari poſſet. Quod autem ad inæquabiles uerborum declinationes attinet, ſolẽt proponere adhuc plura quæ tamen ex his quæ oſtendi exemplis cognoſcentur. Nihil enim erit negotij, Audeo, Soleo, confido, Gaudeo, & ſiqua præterita ſunt eiuſmodi, ita declinare quemadmodum ſuperiora,prẹteritis duntaxat uoce paſsiua pronunciandis,ut auſus ſum, auſus eram, auſus eſſem, auſus ſim, auſus ero, auſum eſſe. Sic & à ſoleo, & à gaudeo ſolitus ſum & gauiſus ſum, ac cætera deinde quæ ſequuntur; alijs uerò in temporibus formam ſecundæ coniugationis imitabimur actiuæ. Nam confido exemplum declinationis habet, fio, immo adeo quamuis multa paſsiuè huiuſmodi in temporibus declinẽtur,ad illius rationem accommodari poſſunt. Ita.n. dicimus ſolitus ſum, gauiſus ſum, & ſimilia his, ut factus ſum, & à compoſitis,calefactus ſum & tepefactus ſum. Nec illud admonitionis eget, fio, paſsiuum omnino eſſe uerbum, non minus quam diligor,amor,uocor, ſolis tamen huiuſmodi in præteritis,futuroq; ſubiunctiui paſsiuorum uoce poſſe declinari. Hæc eadem ratio eſt compoſitorum, non quidem omnium ſed eorum duntaxat quæ primam uocalem ſeruant in præſenti,ut à calefacio,tepefacio, manſuefacio ſint paſsiua, calefio, tepefio, manſuefio, at in quibus ea in tertiam commutatur breuem ut perficio, conficio, afficio inde ſit communis

nis ratio paſsiuorum perficior,conficior,afficior. Veneo autem,eo & quæ ex his orta ſunt, neceſſe non fuit oſtendere quam habeant rationem declinandi. Solis enim in futuris indicatiui modi ante iam diximus à coniugatione quarta diſcrepare,ut uenibo,ibo,redibo. Illud uerò non fruſtra admonendum uidetur,à uerbo Eo participium fieri iens,unde obliqui euntis,eunti,euntem, euntes,euntiũ, & euntibus,quemodo à cæteris omnibus,rediens redeuntis, exiens exeuntis, iniens ineuntis,& gerundia eundi, eundo, eundum, & redeundi, redeundo,redeundum. Vt memini autem ſic odi etiam, noui, & cœpi in aliquo modorum tempus inſtans non habent,primaq; in his declinatio præteriti eſt ut cœpi,cœpiſſem,cœperim, cœpero, cœpiſſe, aut futuri ut memento. Nolo & malo declinantur ut uolo; innumera etiam,ut fero, quæ uidelicet, ex illo & præpoſitionibus, alijsq; quaſi membris conſtantur,ut affero,confero, prefero. Sunt quorum una tantum uox eſt unius temporis,modi,numeri,perſonę, qualia ſunt aue, ſodes, capſis, infit,cedo,quod poſtremum eſt apud Ciceronẽ ſæpe, ut cedo mihi leges Atinias. Cedo qui ſit ordo ſomniorũ. Quæſo nihil aliud eſt, niſi quæro ex affinitate quartæ ſemiuocaliũ & quintæ,neſcio tamen an plura habeat præter ſecundã perſonam pluralis numeri,quæ tertiã ne uocalẽ habere, an poſtremam debeat non eſt cur dubitare poſsis, quũm tertiæ coniugationis uerbũ non ſit ullum,quod eo loco poſtrema uocali pronunciari oporteat, niſi ſi rationem illã ſequi uolumus qua ueteres tertiam ab ultima ſyllabam quæ eſſet breuis per quintam potius quam per tertiam pronunciabãt, quum eiuſmodi in ſyllabis medius quidam ſonus harum utriuſq; uocaliũ audiatur,ut optumus,maxumus,proxumus, & ſexcenta à quibus non tam aperte diſsidente ſono ſeparantur,optimus, maximus,proximus, quam illa ut Quintilianus monuit, quorum ea ſyllaba producta eſt, Sabinus,opimus, Capitolinus. Quamobrem ſi naturam ſequimur, non dubium quæſimus pronunciandum eſſe, ſin antiquitatis morem illum, à poſteritate minoris aliquanto æſtimato, quæſumus etiam permittemus. Vſu tamen recepta ſunt illa ſuperiora antiquiſsimo,& conſtantiſsimo ut contra rationem, litera uocali tertia dicantur ſonitum, uetitum, domitum aliter quam poſtulet ratio proportionis,& litera præteriti ubi eſt ſonui, uetui, domui à quibus ſupina, uocali poſtrema breui eſſe debuiſſent. Aio totum habet unitatis numerum indicatiui modi, aio, ais, ait, multitudinis uerò tertiam dumtaxat perſonam, quæ eſt aiunt, præteriti autem imperfecti, numeros ac perſonas omnes. A uerbo Inquam eſt inquis,

quis, inquit, & inquiunt, aliæ uoces perquam rarò, ſed inque Terentius, & inquito pronuntiauit Plautus in Aulularia. A uale, & ſalue inclinantur ſolum ualete, & ſaluete. Vt etiam a refrigeſco præter analogiæ rationem eſt refrixi, ita ab eo quod eſt audeo, auſim, auſis, auſit, & auſint. Forem quoque totidem habet eaſdemq; perſonas atque numeros, ut fores, foret, & forent, notione ea prorſus, qua ex uerbo ſubſtantiuo ſunt eſſem, eſſes, eſſet, & eſſent. Venit ab eo quod eſt forem, tempus futurum infiniti, fore, quod manſit iam prope ſolum in uſu pro uoce uerbi ſubſtantiui futurum eſſe. A faxo ſubiunctiuus eſt faxim, deinde faxis, faxit, & numero multitudinis faxint. Poſtremo, quam legem declinationis habet ſum, eandem ſequentur, ſubſum, ſuperſum, interſum, deſum, obſum, proſum, adſum, niſi quod à præſum & abſum participia ſunt etiam præſens, & abſens, quum à cæteris naſcantur ſolum profuturus, & affuturus, quanquam ſit ferè ab omnibus præfore, affore, profore, confore, futurum infiniti. Nec ualde hoc loco monere intereſt, uerba eſſe plurima quorum non ſtatim coniugatio, primoque aſpectu cognoſci poſsit. Eadem enim à prima perſona eſt indicantis modi & præ- *Verba diuer*
ſentis temporis excéllere, & excellêre, fúlgere, & fulgêre, ſtrídere, *ſarum coniu*
& ſtridêre, térgere, & tergêre, uolâre, & uélle, féruere, & feruêre, cô- *gationum.*
péllere, & compellâre, mándere, & mandâre, fúndere, & fundâre, ciere, & ciêre, accérſere, & accersîre, quæ diſcernere, nimium puerilis eſt doctrinæ. Tranſeo nunc ut cæteris de partibus dicam aliquid, ijs quæ uerbo ſubiecta ſunt. Sed quærere hoc loco ſolent grammatici de modis ac temporibus uerborum. Nos autem *Cogitur ordi*
neceſſario fecimus à principio ſtatim huius libri, ut hæc duo po- *nem ab alijs*
ſtrema eſſe uoluerimus ex ijs octo quæ uerbum conſequuntur. *traditum hic*
Quare de modis in ſeptimo libro diſſerendum erit: tempora au- *mutare.*
tem quæ modorum ſunt partes quædam, fieri non poteſt, quin modos eodem loco ſtatim ſequantur: ſed nunc tamen de his quædam prius dicere hic neceſſe eſt. Nam quia non de uſu tantum latinitatis dubitari hoc loco poteſt, ſed illornm formatio quædam (ſic enim grammatici σχηματισμὸν dixerunt) perdiſcenda eſt, quùm eò peruentum erit, uſum loquendi oratorum ſcrutabimur, & poetarum. Hic autem locus antequam abſoluatur, præteritorum temporum, & eorum quæ ſupina uocantur formationes, (quibus magnam partem conſtat uerborum declinatio, & participiorum quorundam) quomodo fieri debeant cognoſcamus. Ac primum tempora ſunt quinque apud nos, illa, quæ

iam

iam diximus. Quum tria hæc ſint à natura, inſtans, præteritum, futurum, neceſſe tamen fuit, alia duo in genera præteritum habere diſtributum, imperfecti, & pluſquam perfecti de quibus quod ratio ſermonis poſtulat ſolùm perſequemur. Præteriti igitur imperfecti & futuri, facilis atq; in promptu formatio quędam eſt, ut legebam, legam, & legerem. Sunt autem ſimul cognata, quinq;, pluſquam perfectum indicantis, optantiſq; modi, & infiniti, perfectum, & futurum ſubiunctiui, manantia à perfecto indicatiui omnia. Quare quùm in his tota penè declinatio poſita ſit uerborum omnium, neceſſariam hic dabimus operam, ut ipſius de præteriti perfecti indicantis modi quam dixi formatione quæramus.

Præterita ut formētur. Prima coniugatio præteritum facit poſtrema remota conſonante à ſecunda perſona præſentis indicatiui appoſitaq; ultima & tertia uocali, ut amas, laudas, amaui, laudaui. Hinc tamen ſunt exempta domo, cubo, mico, neco, frico, plico, tono, ſono, ſeco, crepo, neco, ueto, unde ſunt domui, cubui, micui, eademq; præteriti forma à cæteris. Alia ſunt quatuor, ne hanc ipſam quidem rationem ſequentia, do, lauo, ſto, iuuo, à quibus fiunt dedi, laui, ſteti, iuui. Plico, & mico obſeruatum eſt, ſi nomen ſibi ad principium habeant adiunctũ, eſſe ex his præteritum ſine dubio multiplicaui, duplicaui, ſin præpoſitionem tum applicui, & dimicui, tum applicaui, & dimicaui ſæpius fieri ſolere. A neco, necui nectum, & necaui necatum legimus. Vrbum, do, ſiquid præpoſitum coniunctumq; habeat, quod ſyllabæ tantum ſit unius, tertiæ erit coniugationis, ut reddo, ſin plurium, nõ diſcedit à prima, ut circundo. Vtrum uerò fiat, præteriti ſyllaba duplicabitur, ut reddidi, circundedi. A ſecunda coniugatione ita præteritum fit quemadmodum à moneo monui, doceo docui, teneo tenui, habeo habui, ſileo ſilui, torpeo torpui, ſorbeo ſorbui; tametſi hoc poſtremum faciat etiam ſorpſi, ut mulceo mulſi, iubeo iuſsi, rideo riſi, ardeo arſi, & urgeo urxi, ſedeo ſedi, foueo foui, faueo faui, moueo moui, paueo paui, caueo caui, uideo uidi, neo neui, fleo fleui, prandeo prandi, cieo cij & ciui, hæreo heſi, ſuadeo ſuaſi, indulgeo indulſi, fulgeo fulſi, torqueo torſi, turgeo turſi, maneo manſi, frigeo frixi, lugeo luxi, pelliceo pellexi. Horum tamen erit infra apertior, & altiuſculè repetita ratio; nunc moueo & uoueo moui faciũt & uoui, & ferueo ferui, in futuro autem ſubiunctiui feruero, ut Cicero pro M. Cælio; Iam iſta deferuerint, iam ætas omnia, iam dies mitigarit, quamuis rectè etiam ferbui legatur ut Horatius;

Mea quùm conferbuit ira.

Pauca

Pauca ſunt huiuſmodi, impleo impleui, deleo deleui, exoleo exoleui. Sunt quæ iterant primam præteriti ſyllabam, mordeo momordi, tondeo totondi, ſpondeo ſpopondi, pendeo pependi. Plura ſunt autem coniũgationis tertiæ, pungo pupugi, fallo fefelli, parco peperci, poſco popoſci, pedo pepedi, tundo tutudi, tendo tetẽdi, pango pepigi, tango tetigi, pello pepuli, tollo tetuli, cano cecini, curro cucurri, pario peperi. Syllaba his præponitur, eadem prorſus ratione qua illis etiam uerbis φροντίζω πεφρόντικα, κλέπτω κέκλοφα, κελεύω κεκέλευκα, θαυμάζω τεθαύμακα. Etſi enim peregrina magis interdum animaduerſa, magisq; notata habere ſoleamus quã noſtra, Romanæ tamen linguę uerba quemadmodum græcę his in temporibus, altera adiecta ſyllaba augentur. Fuit ergo olim apud nos eadem uocalis, quæ græcorum, tetondi, ſpepondi, memordi, ſicut pependi, fefelli, peperci, quæ mutata eſt hodie in primam uerbi ipſius uocalem, ut mordeo momordi, tondeo totondi. Eſt hoc igitur, quod ſyllabæ augmentum à grammaticis græcorum nominatur. Nec illud quidem nobis deeſt quod eſſe temporis dixerunt quoties præteriti cauſa, breuis mutatur in longam ſyllabam, ut uenio ueni, facio feci, lego legi, uideo uidi. Sunt hæc innumera neque his ignota qui latinas literas aliqua ex parte attigerunt. Vniuerſè autem ut hæc exponam tripliciter uerba, aut reliquæ partes orationis declinantur. Nam præter declinationem quæ eſt in fine uerborum, ut mare, maris, mari, uolo, uolas, uolat, eſt alia in medio eorum nominum quæ duabus pluribusue partibus iuncta ſunt, Quiſque, Cuiuſque, Quenque, Quicunque, Cuiuſcunq;, Cuicunque; ac de uerbis etiam colligo collegi, perficio perfeci, confringo confregi, aſsideo aſſedi. Hic medijs in uerbis mutatio, & alterum declinandi genus quodam fit, ut illa quoque eſt ratio græcorum κατεπραξάμην, περιεστράφθην, συνηγωνισάμην. Sed pendet hæc ratio tamen illo à declinatu qui eſt in principijs uerborum. Nam de noſtris ut dicam, ea cauſam habent quia eſt à frango fregi, facio feci, ut etiam ago egi, capio cepi, eo iui quorum unus eſt motus literarum in extremo is qui in participijs, nominibus, ac pronominibus, caſum propriè, in uerbis finem dicimus: alter motus eſt primis in ſyllabis, quum in præteritis quæ iam dixi agendi, uel faciendi, prima uocalis mutatur in ſecundam, ago egi, facio feci, frango fregi. Alia tempus mutant non literam, præſertim quæ ſecundam habent in principijs uocalem, ut lego & emo ſyllabis correptis prioribus dicuntur, quæ ſunt in præteritis lêgit & êmit circumflexæ. Alia

Duplex declinatio.

N per

per literarum coitiones augeri non poſſunt, ut monui, tenui, ſilui, tepui, quanquam M. Varro plui, rui, & quæ ſunt id genus pręteritorũ, priores ſyllabas pro longis habere uideatur. Mihi nunc in promptu non erat unde id probarem. Immo uerò nunc ſolent noſtri poetæ huiuſmodi ſyllabas in lui, ſpui, rui corripere, ut;

Annuit & totum nutu tremefecit olympum.

Hoc igitur ueteres grammatici, Ennij uerſu confirmarunt, ut;

Annuit ſeſe mecum decernere ferro

Alijs uero ut multis Græcorum addere aliquid, ne oportet quidem, quum ſint ipſa naturaliter longa, ut lædo læſi, ludo luſi, claudo clauſi, item cedo ceſsi, cudo cuſi, trudo truſi. Cædo tamen cecidi, cuius præteriti prima ſyllaba breuis, loco eſt augmenti, ut ſuperiorũ; tetendi, fefelli, peperci, ſecunda ex diphthongo, in productam uocalem tertiam conuerſa: olim uerò præteritum fuit cæſi: Quare occido etiam ex literæ natura faciebat occiſi, ut eſt adhuc in lege 12. Tabularum; Si nox furtum faxit, & ſi aliquis occiſit, iure cæſus eſto. Multa uel tempus ad medias aſſumunt ſyllabas ut interfeci, prouidi, uel cum tempore ſyllabam quoque adiungunt ad poſtremas, ut quæ à principio dixi laudaui, amaui, paraui, & impleui, deleui, audiui, ſeruiui. Quoniam uerò ab illis præteritis huc ſum delapſus, momordi, totondi, ſpopondi, pependi, illud etiam ſcire oportet, ſi compoſita ſint hæc uerba, præpoſitioq; his, aut aliquid eiuſmodi ad primas apponatur ſyllabas, tum ipſam pro augmento ſatis eſſe præpoſitionem, ut remordi, reſpondi, niſi à uerbis do, ſto, diſco, poſco, ut cōdidi, conſtiti, dedidici, repopoſci, quamuis à curro decurri ſit & decucurri, & à repungo repupugi & repunxi ex literæ natura. Vt igitur ipſa de tertia coniugatione ſeparatim à ſecunda dicam, illud prius conſtituendum eſt, quorundam uerborum nobis communem eſſe rationem cum græcis. Ita enim eius linguæ natura poſtulat, ut quæ uerba ante ultimam uocalem, præter F, & Q, unam de mutis habeant quæ reſpondet noſtris B, C, D, G, P, T, quas ipſi χαρακτηριστικάς, dixerunt, ea faciant in præteritis ut λείβω ἔλειψα, τήκω ἔτηξα, ᾄδω ᾖσα, λέγω ἔλεξα, τέρπω ἔτερψα, κνίττω ἤνιξα. Latina etiam, ut ſcribo, dico, ludo, rego, carpo, plecto, amplector, magna ex parte hanc ipſam rationem ſequuntur, ut ſcripſi, dixi, duxi, fixi, luſi, plauſi, rexi, carpſi, repſi, plexi, & amplexus ſum, quamuis à ſtrepo fiat ſtrepui, & à rumpo rupi. Immo etiam ſecundæ coniugationis quæ ſupra dixi quorum ſecunda etiam ab ultima, uocalis eſt, poſt illam rationem, quæ propriè noſtra

ſtra eſt, doleo dolui, moneo monui, præteritum faciunt, ut algeo alſi, turgeo turſi, indulgeo indulſi, torqueo torſi, hæreo hæſi, ut λωβέω ἐλώβησα, στυγέω ἐστύγησα, ποιέω ἐποίησα. Mulgeo autem, & lugeo, & augeo, multaq; ſimilia his, ſecundæ coniugationis faciunt in præteritis, mulxi, luxi, auxi, perinde atque ſi ante finem, ſecunda uocalis non eſſet, quemadmodum à rego, pungo, fingo, unguo, pingo coniugationis tertiæ, unde ex natura conſonantis, ultimæ ſunt rexi, punxi, finxi, unxi, pinxi. Similem eſſe rationem cognoſces in quatio & concutio, quaſsi, & concuſsi, ut à plecto, & amplector plexi, & amplexus tertia diſsimulata uocali. Fundo uero, & findo, & ſcindo, tinnientem abijciunt conſonantem faciuntque præteritum fudi, ſcidi, fidi. Seruatur eadem conſonans in pando, accendo, ſcando, abſcondo, ut pandi, accendi, ſcandi, abſcondi, quamuis hoc poſtremum fieri poſsit etiam abſcondidi, quemadmodum id unde natum eſt condo condidi. Verum, ut ad G reuertar conſonantem, frango, & ago, & lego, faciunt præteritum fregi, egi, legi, ſed à poſtremo quæ nata ſunt negligo, diligo, intelligo, contra quã oportere uidebatur ad eandem quæ ſupra dicta eſt græcam rationem reuertuntur ut neglexi, dilexi, intellexi. A traho, & ueho, traxi dicimus & uexi. Hanc enim in conſonantem aſpiratio uertitur, ut coniunctis etiam in uerbis attraxi, & conuexi. Facio & iacio, & huiuſmodi ſeu ſimplicia ſint, ſeu coniuncta uerba, habent in præteritis, feci, ieci, confeci, conieci: quæ uero tertiã habent uocalem ante finem, ut aſpicio, reſpicio, & his cognata, aſpexi faciunt & reſpexi: eamq; recipiunt ſecundam uocalem quæ in primigenijs erat præſentis, ut etiam accipio accepi, intelligo intellexi, redimo redemi. Verum quæ ſunt huiuſmodi formæ, atq; originis uerba ut aſpicio, conſpicio, deſpicio fiunt ex his aſpexi, conſpexi, deſpexi. Non idem habuit principium naſcendi allicio, ex eo tamen eſt allexi, ut ex pellicio pellexi, elicio tamen facit elicui. Si enim elexi ab eo extitiſſet, fieret ſupinum quoq; electum, & participium electus, cauenda que ſimilitudo fuit cum iſs quæ ſunt ab eligendo. Quamobrem elicui ex uetuſta conſuetudine loquendi fecimus. Nam ueteres allicui etiam & pellicui dicebant. A uerbo autem icio eſt ici. Fodio & fugio, & quæ has habent conſonantes ante uocales poſtremas, fodi in præteritis faciunt & fugi. Meio, quaſi à mingo non ſatis latino uerbo, mutuatur minxi ut alia quædã ab alijs & ferio facit præteritum percuſsi. A capio fit cepi, unde olim erat capſi. Ita enim ueteres loquebantur, ut Plautus in Rudente;

uincio, farcio, haurio, ſepio, à quibus eſt ſanxi, uinxi, farſi, hauſi,
ſepſi; item à uenio ueni, operio operui, ſalio ſalui, diſsilio, diſsilui,
comperio comperi, reperio reperi cum cæteris à pario compoſitis.
Sunt & raucio, uel raucеſco rauſi, refercio referſi, queo quiui, ſuf-
fio ſuffiui, haurio hauſi, ſentio ſenſi, ſalio ſaliui, ſepio ſepſi, ſalio ſal-
ui, ſaltum ut exilio exilui exultum, deſilui deſultum, præſto præſtiti
præſtatum, ut à ſto ſteti ſtatum. A caleſco, frigeſco, horreſco, per-
timeſco, fiunt præterita calui, frigui, horrui, pertimui: à labaſco ta-
men labaui, aſciſco aſciui, paſco paui, quieſco quieui, inueteraſco
inueteraui, ſed à conquiniſco, conquexi. Præteritum à paſsiuis eſt
laudatus ſum, monitus, lectus, & auditus ſum, à ſupino participioq;
præteriti paſsiui conflatum. De ſupinis igitur quædam hoc loco *Supina.*
breuiter percurram quorum ea ratio eſt ut ex præteritis amaui, lau-
daui, petiui, audiui, ſeruiui, ſupina fiant, amatum, laudatum, petitum,
auditum, ſeruitum. Nullum hic negotium eſt uidere, qua litera-
rum commutatione ſupina his à præteritis naſcuntur. Illa uero
aliter ac ſuperiora aboleui abolitum, adoleui adultum, noui notum,
cognoui cognitum, caui cautum, ſeui ſatum, conſeui conſitum, inſe-
ui inſitum, laui lotum & lautum, paui paſtum, potaui potum, ſolui
ſolutum, ſepeliui ſepultum, uenij uenum. Quæ præterita huiuſmo
di exeunt in uocem temporis præteriti, qualis domui, ſonui, terrui,
ea in promptu ſupinum habent domitum, ſonitum, territum. Hanc
rationem illa nõ ſequuntur aperui apertum, carui caſſum, colui cul-
tum, conſului conſultum, ſenſi ſenſum, necui nectum, miſcui miſtũ,
indui indutum, fricui frictum, occului occultum, excellui excelſum,
docui doctum, concinui concentum, patui paſſum, pinſui piſtum, ra-
pui raptum, ſecui ſectum, ſteti ſtatum, texui teſtum, torrui toſtum,
tenui tentum, meſſui meſſum. Obſeruandum quoq; ut à præterito
uici fiat uictum, à legi lectum, reliqui relictum, duxi ductum, ſed à fi
xi tamen fixum, fluxi fluxum, minxi mictum, pinxi pictum, rinſi ri-
ctum, conuixi conuictum, ſtrinxi ſtrictum. A fungor autem eſt fun
ctum, à proficiſcor profectum, à fruor fructum, ſed adipiſcor ade-
ptum facit, comminiſcor commẽtum, iraſcor iratum, naſcor natum,
obliuiſcor oblitum, paſcor paſtum, ulciſcor ultum, paciſcor pactũ,
& in ſecunda coniugatione uereor ueritum, miſereor miſertum, fa-
teor faſſum, confiteor confeſſum, reor ratum, tueor tutum & tuitũ.
Momordi, tutudi, fefelli, ſali, uerti, ſenſi faciunt ſupina morſum,
tunſum, uel tuſum, ſalſum, uerſum, ſenſum. Pando, & pateo idem
ſupinum habent cum patior, ut;

Crinibus Iliades paſsis.

Sunt etiam geſsi, hauſi, indulſi, tuli, mulxi, pinxi, peperi, ſteti, tenui, torſi, uſsi, dedi, prodidi, abſcondi, aut abſcondidi, farſi, fulſi quæ ſupina faciunt geſtum, hauſtum, indultum, latum, mulctum, pictum, partum, ſtatum, tentum, tortum, uſtum, datum, proditum, abſconditum, farctum, fulctum. A deponētibus uero ordior, aſſentior, utor, labor, loquor, orior, amplector, mentior, partior, ſortior, queror, morior, largior, molior ſunt orſum, aſſentitum, uſum, lapſum, loquutum, ortum, amplexum, mentitum, partitum, ſortitum, quæſtum, mortuum, largitum, molitum. Quæ in præteritis prima uocalis mutatur in ſecundam, ut facio feci, iacio ieci, frango fregi, eadem reuertitur in primam ſupini, actum, iactum, fractum. Sunt alia huiuſmodi ut capio & cado, in quibus uidetur eſſe ea ratio qua græci etiam à participijs ἀορίστων χρόνων auferunt augmentum, ut ἐποίησα, ἔγραψα, ἐστύγησα, ἤκουσα: ποιήσας, γράψας, στυγήσας, ἀκούσας. Compoſita uerò in quibus prima uocalis mutatur in tertiam, quæ in præteritis eſt eadem, ad ſupina ſeruant uocalem ſecundam ut refeci refectum, concepi conceptum. Hic uerò multiplex ratio eſt uaria atq; ſubtilis. Nam compoſita eiuſmodi qualia exigo, perfringo, contingo, impingo, quintam in ſyllabis poſtremis habentia conſonantem, ſupina faciunt exactum, perfractum, contactum. Alia uerò quæ præteritum illius habent generis aſpexi & allexi, eandem retinent ſecundam uocalem in ſupinis. Sunt à fodio & compoſitis fôſſum, confôſſum, & infôſſum, ſemper geminata quinta ſemiuocali & ſyllabis ante poſtremas circumflexis. Nam fodi præteritum unde nata hæc ſunt, ſyllaba longa priore dicitur. A prandeo tamen eſt pranſum, mordeo morſum, tondeo tonſum, pando panſum, tēdo tenſum, defendo defenſum, aſcendo aſcenſum. A uerbo tamen dandi, quia primæ coniugationis eſt, aliud fieri quam datum non potuit: ſimiliter ex eo compoſita coniugationis tertiæ, prima tamen uocali in tertiam conuerſa faciunt redditum, conditum, creditum, circundatum.

Extitere etiam à ſorbendo ſorbui ſorpſi, & ſorptum à feruendo feruui, & propter uicinos literarum ſonos ferbui, unde ſupini uox nulla; à fauendo faui fautum, & à cauendo caui cautum, ab audendo auſum unde fecit antiquitas auſim, auſis, auſit. A dando autem quod nunc eſt dedi, circūdedi, uenundedi fuit olim à poſtremo uenundaui. ut eſt in lege 12. Tab. Si pater filium ter uenundeuit, filius à patre liber eſto. Quæ uerò deponentia eiuſmodi

in uocem terminantur, ut ordior, & ingredior, ſupinum ex ijs eſt, ſeu præteritum id malis dicere orſum & ingreſſum; ut à patior paſſum, à quatio quaſſum, concutio concuſſum. A fugio & compoſitis raro eſt in uſu fugitum, confugitum, perfugitum. Duæ ſæpius obſeruandę ſunt poſtremæ uerborum ſyllabæ. Nam capio & rapio, captum faciunt & raptum: ex his compoſita uocalem primã uertunt in ſecũdam correptum, acceptum, & ſimilia his quamplurima.

Recte hoc præcipitur, ſed magis tamen patet ea ratio, ut ſi præteritum ſit eiuſmodi quale rupi, ademi, nupſi, fiant ſupina ex his ruptum, ademptum, nuptum: innumerabilia hanc legem ſequuntur. Cupio, & quæ ex eo fiunt, modo infinito ad coniugationem tertiam, præterito autem ac ſupino ad quartam pertinent, ut quemadmodum petere, & quærere, petiui, quæſiui, petitum & quæſitum, ſic etiam cupere cupiui & cupitum dicamus. In his poterat eſſe etiam ſapere niſi quod præſens à tertia, præteritum à quarta, ſupinum uerò nulla à coniugatione accepit ualde uſu tritum. Denique uidendum recte ne qua ancipiti coniugatione, uerba nos tollant: & quidem pario quod olim quartæ coniugationis fuit, poſteritas in tertiam aſcripſit, cuius in ſupino eſt partum, ab eoque participium eſſe debuerat, parturus, quod ratione antiqua, ſed breui tamen uocali interiecta paritum eſſe maluerunt. A morior poſtulabat analogia ut fieret mortus, ut orior ortus, adorior adortus, conſuetudo tamen retinuit uti mortuus diceretur, & participium futuri temporis moriturus, & oriturus, & pariturus dici iam docuimus. Ad ueterem id eſt quartæ motem coniugationis, Riſu emoriri omnes Terentius dixit. Potior, & ſi ad utramq; referatur ut potîris, potîtur, aliæq; natæ ex his uoces, corripere tertiam uocalem potuit, ut;

Polydorum obtruncat & auro
Vi potitur,

in ſupino tamen, uel præterito, uel participio, eadem ſemper longa eſt, ut;

Auſi omnes immane nefas auſoq; potiti.

A præteritis quaſsi, incuſsi, concuſsi, percuſsi, decuſsi, fiunt ſupina ijsdem conſonantibus quaſſum, incuſſum, concuſſum, percuſſum, decuſſum in alijs uerò ut ſarſi, farſi, torſi, fulſi, hauſi. Iam, ſimilibus à uerbis quibuſdam nõ ſimiles fiunt ſupinorum uoces ſunt enim ab alijs dilutum, ſutum, ſputum, nutũ, indutũ, acutum ab alijs

eiuſmodi ut ſtructum, ab alijs ut fluxum, à diuerſa præteriti uoce ſtruxi & fluxi. Colligi hæc pauca in genera non patitur natura, magnaq; diuerſitas uerborum, tantæ ſubtilitatis, ut ſingula etiam ad uerba ſæpius accedere neceſſe ſit. Nunc pinxi,iunxi, rexi,linxi, extinxi,dixi,duxi, quum ſint ex natura tertiæ mutarum & quintæ, à uinco tamen & linquo eſt uici,& liqui, & ab ijs omnibus ut iam dixi pictum, rectum,ductum,uictum, lictum, eſſe debuerunt. Quæcunq; enim in præteritis hanc literam habent quæ penultima eſt in fluxi, aliter quam in ſtructum, uel, fluxum exire non poſſunt ut nec preſsi aliter quam preſſum, quamuis à gerendi uerbo, urendi, & alijs quibuſdam, geſtum fiat potius & uſtum. Erutum uerò media breui ſyllaba dicimus ac dirutum: credo quòd eruitum, obruitũ, diruitumq; antè quùm dicerentur, neceſſarioq; eſſet propter ſequentem uocalem, breuis, ratio manſit eadem ſublata uocali. Hic prætereo quæ ex mediocri uſu latinitatis ſine arte cognoſcere omnes poſſunt, qui uſus docebit etiam unde uoces diuerſæ eiuſmodi, manauerint, ut uno à uerbo fruendi fructus,fruitus, & alia uerbi ratione, fretus. Solutum & uolutum quis dicere non erubeſcat unde ſint? non tacendum tamen quoniam ſimilia his uluo,& caluo,alterum uixi & uictum fecit,alterum calui ſolũ, nec habuit in uſu quod fortaſſe ex analogia calutũ facere debuiſſet. Similia ſunt ſcribo,nubo,bibo,accumbo,lambo,ex primis tamen duobus ad rationem græci (ut ante dicebam) ſermonis inclinata ſunt ſcriptum & nuptum à tertio bibitum, à poſtremis duobus accumbitum & lambitum. Superſedendum hic putaui obſoletis. Eſto enim à paſco & quieſco,paſtum & quietum, à poſco autem diſco, diſpeſco, & ſimilibus, nihil dicere opus eſt quid antiquiſsimis temporibus diceretur,nunc certè obſoleſco facit obſoletum ea ratione qua deleui, deletum. Etenim ijs utendum ſibi nemo exiſtimat, quorum non uſus modo, ſed ne ipſi quidem auctores ad memoriam noſtram peruenerunt. Hanc ipſam ad rem qua de agimus, & ſimul ad præteriti locum pertinet,quod à uerbis quibuſdam uoce ſola præditis agendi,ſunt,pranſus, cœnatus, placitus,meritus,paſſus,caſſus, potus, titubatus,iuratus,quùm ſint etiam prandi,cœnaui,placui,merui,patui, carui, potaui,titubaui, iuraui. Nec illa multum præceptionis egent, à nanciſcor,nactus,paciſcor pactus, expergiſcor experrectus. Seruant ſemiuocalem tertiam iunctus,punctus, functus,munctus, extinctus, uinctus, planctus. Eandem amittunt literam quæ ſunt ab iraſcendi, ulciſcendi, naſcendi, & obliuiſcendi uerbis. His eſt ſimile defetiſcor,

tiſcor,ſed uoce tamen diſsimili natum eſt ab eo defeſſus. Sed hoc loco niſi ueniam ad ſingula, ad certum genus aliquod referre non poſsim, quod eſt ab adipiſcendo, adeptum, à comminiſcendo commentum. Illa uidentur eſſe generis cuiuſdam,ut claudo,ludo, lædo,rado,& quæ talia ſunt,coniugationis tertiæ,ſyllabis à natura longis,prioribus, exceptis fido & cędo,clauſum faciunt,luſum, læſum, & raſum. Fiunt à mergendo,ſpargendo, tergendo, merſum, ſparſum,terſum: à regendo autem,corrigendo, porrigendo, pergendo, ſurgendo, & compoſitis, rectum, correctum, erectum, porrectum, perrectum, ſurrectum. Porro à frangendo fractum dicimus ab agendo actum, redigendo redactum,legendo lectum, intelligendo intellectum, quamuis compoſita hæc intellexi faciant in præterito, quemadmodũ diligo dilexi: alia uerò quæ minus à legẽdi ſignificatione diſcedũt,perlego perlegi, deligo delegi,relego relegi. Hac ipſa uoce ſunt quæ diſsimile principium habent, ut à frango fregi & impingo impegi: at pango unde hoc poſtremum eſt, pepigi, atque ex his omnibus fractum,pactum, impactum, non diſsimiliter atque à tetigi tactum: à pupugi uerò punctum nec minus tamen à repupugi uel repunxi repunctum. Alia ſunt (ſicuti iam dixi) ut à finxi fictum, pinxi pictum, ſtrinxi ſtrictum, minxi mictum,rinxi rictum: alia uerò ut à cinxi cinctum,tinxi tinctum, extinxi extinctum, anxi anctum, & à fungor functum. Quæ aſpirationem in ſyllabis habẽt poſtremis rationem ſeruant eiuſmodi, quam ueho, traho, reueho, retraho,à quibus omnibus fiunt uexi,traxi,& hinc uectum,tractum. Præterea colui cultum, alui alitum & altum, conſului conſultum, molui molitum,non eſt cur te ſuſpenſum teneant. A mulceo fit mulſi mulſum & permulſum nec explicanda ſunt omnia, & à ſumpſi, prompſi, dempſi, compſi non obſcurum eſt quæ deinde naſcantur. Ab his tamen diuerſa ſunt fremui, tremui, uomui, gemui. Hinc gemitum fit, inde comptum. Differt ab utriſq; emendi uerbum & premendi. Extitit enim ab hoc preſsi & preſſum, ab illo emi & emptum. Facilis quidem & puerilis præceptio eſt omnium, ſed nulla in ſermone latino ſic multiplex, minuſue conſtans ratio, uel quæ inſuauius exponatur. Verum quia ſemel cœpimus, & hinc pendet infinita uel participiorum uel nominum declinatio, pergam dicere quæ ſequuntur. Pono & gigno pariunt ex ſe poſui & genui, poſitum & genitum, ut cano, cecini & cantum, & ſi compoſita ex eo occinui potius fiant & occentum. Illa uerò cecidi, tetigi, contigi, caſum fecerunt tactum & contactum. A contemno, ſino,

ſterno,

ſterno, cerno, lino declinata ſunt contemptum, ſitum, ſtratum, cretum, litum, à contempſi, ſiui, ſtraui, creui, liui. Ex hoc genere quædam priores corripiunt ſyllabas, quæ ſunt à uerbis lino, ſino, eo, queo, cio, ſero, reor, do, ſto, ut primo etiam libro admonui. De præteritis, tuli, ſteti, ſcidi, fidi, bibi, dedi, quæ à cœterorum communi lege receſſerunt, ut breuibus iiſdem ſyllabis dicerentur, non eſt ut plura diſputemus. Repſi, & Carpſi fit à repo & carpo, & rupi à rumpo, compoſitisque omnibus ex diuerſa tamen præteriti forma uox eadem nata eſt ſupini reptum, carptum, ruptum. Sed non quemadmodum ab his ita à ſtrepo, unde potius fit ſtrepui, & hinc ſtrepitum, ſed à rapui tamen eſt raptum. Quartam ſemiuocalem habent non nulla in poſtremis, quæro, tero, ſero, & quæ ante dixi gero, uro, uerro, curro. A primo non dubitat quiſquam fieri quæſiui & quæſitum, à ſecundo triui tritum, à tertio ſeui ſatum: à deſerendo deſerui deſertum. De gerendo & urendo, nihil iterare opus eſt ſuperiora. Verrendi autem uerri an uerſi præteritum fiat non eſt huius loci: uerſum certe fieri ſupinum Poeta oſtendit

Verſa puluis inſcribitur haſta

Currendi, præcurrendi, compoſitorumque omnium fit curſum, præcurſum, concurſum, nec illud impedit quod fiat à ſimplici cucurri, à cæteris autem præcurri, & concurri, aliquando tamen concucurri, & præcucurri ſcriptum eſſe legimus. A laceſſo & arceſſo ueniunt laceſsiui, arceſsiui, atque ex his laceſsitum acceſsitum. Sed coniugationis tertiæ ſunt faceſſo, capeſſo, uiſo, pinſo à duobus primis faceſsitum, capeſsitum à tertio uiſum, à poſtremo piſtum. A pectendo nectendo, flectendo eſt pexum, nexum, flexum, ſed à petendo tamen petiui petitum, & à metendo meſſui meſſum, à ſepeliendo ſepeliui ſepultum. Sunt paulo diſsimilia ſterto & uerto, ab illo ſolitum eſt fieri nihil aliud quam ſtertui, ab hoc uerti & uerſum. Nullis alijs eſt ſimile mitto, unde eſt miſi & miſſum, itemque ſiſto unde aiunt eſſe ſtiti: nec dicere quidem oportet fieri à uerbo amplectendi amplexum, utendi uſum, nitendi niſum uel nixum, texendi, nexendique texui & textum, nexui & nexum. Nec iteranda ſunt quæ ante iam docui, à uerbo ſonandi, uetandi, domandi, cubandi, tremendi, fremendi, uomendi, gemendi, huiuſmodiq; cæteris ſupina fieri qualia ſunt gemitum, uomitum, fremitum, tremitum,

mitum, cubitum, domitum, uetitum, ſonitum, in quibus tertia uocalis eſt, ubi ex præteriti analogia, poſtremam potius eſſe oporteret, quod tamen fieri potuit, ipſarum ex germanitate (ut ſæpius iam dixi) literarum. Denique res eſt non dura modo, aſpera, inſuauisq;, ad tractandum, ſed multiplex, nullorum penè (ut iam dixi) generum, ac propterea paulo minus quam infinita. Quamobrem colligere hæc uolui, non quidem ut omnia dicerem, ſed uiam potius ad quæ reſtant plurima aperirem. Carent autem ſupinis timeo, metuo, compeſco, reſpuo, lambo, caluo, refello, poſco, arceo, diſco, ambigo, mico, ſtudeo, rudo, ſterto, dego, obedio, pſallo, conquiniſco, horreo, pauco, ſcabo, luo, tremo, gliſco, fulgeo, luceo, uolo, furio, horreſco, ferueſco, eſurio, caleo, oleo, pareo, & quædam alia quæ legendo notabuntur. Innumerabilia fiunt nomina à ſupinis quæ dicunt uerbalia, ex ratione analogiæ omnia, petitio, auditio, cognitio, cautio, ſatio, inſitio, & petitor, auditor, cognitor, ſator, & illius formæ ſenſus, appetitus, auditus, rugitus, declinationis potiſsimum quartæ. Nec mirandum eſt contra analogiam ſeruitus breui penultima ſyllaba dictum eſſe, aliter quam rugitus & auditus. Alia enim ex ratione ferè omnia dicuntur: nec ſunt ſpiritus, & halitus à ſpiratum & halatum, ſed contra hæc ab illis nata. Tranſeo iam ad reliqua. Sunt (ut ante iam diximus) quinque modi uerborum, indicatiuus, imperatiuus, optatiuus, ſubiunctiuus, infinitus. Indicatiuus nominatur à Varrone fatendi modus. Poſſunt eſſe quatuor priorum, nomina illius formæ noſtro ſermoni tantum conſuetæ: indicandi, imperandi, optandi, ſubiungendi, poſtremus rectè infinitus nominatus. Quando autem ſiquid in his dubitari poteſt, in temporibus dubitationem eſſe neceſſe eſt, ut ex his quicque primum occurrit, ita primum explicandum erit. Indicatiuus quinque in tempora diſtribuitur. Habet præſens, ut laudo, præteritum imperfectum, laudabam, præteritum perfectum, laudaui, pluſquam perfectum, laudaueram, futurum laudabo. Imperatiuus, præſens tantum habet, & futurum, & lauda, & laudato. Optatiuus præſens, & præteritum perfectum & pluſquam perfectum, & futurum, & laudarem, laudauiſſem, laudem. Subiunctiuus, omnia quemadmodum indicatiuus, ut laudem, laudarem, laudauerim, laudauiſſem, laudauero. Infinitus habet præſens cum præterito imperfecto coniunctum, preteritum perfectum, & eadem in uoce pluſquam perfectum

Modi uerborum.

&

& futurum, ut laudare, laudauiſſe, laudaturum eſſe. Ac præteriti imperfecti uis, latet modo quodam in uoce præſentis. Cognitum ergo ex his, quinq; tempora eſſe uerborum, præſens, præteritum imperfectum, prçteritum perfectum, præteritum pluſquam perfectum, futurum. Totidem ſunt atq; eadem in paſsiuis, laudor, laudabar, laudatus ſum uel fui, laudatus eram uel fueram, laudabor. Ac paſſiui quidem præteriti perfecti, & pluſquam perfecti, binæ ſunt uoces. Vnæ laudatus ſum & laudatus eram quibus rem paulo ante geſtam oſtendimus, quod genus παρακείμενον græci dixerunt; alteræ laudatus fui & laudatus fueram, per quas multo ante geſtum eſſe aliquid monſtramus. Eſt hoc in optatiuis etiam, ut laudatus eſſem, uel fuiſſem, communi uoce cum præterito pluſquam perfecto, quod in ſubiunctiuis eſt, & infinitis, ubi ratio eſt eadem præteriti perfecti, & futuri, ut laudatus ſim, uel fuerim, laudatus ero uel fuero, laudatum eſſe uel fuiſſe. Ex his præteritum imperfectum, inchoatas, nec dum abſolutas actiones demonſtrat, ut;

Tempora.

Forte recenſebat numerum, caroſque nepotes,

Anchiſes enim interuentu filij, quod ante cœperat imperfectum reliquit. Sæpius tarditatem ac moram declarat rei qua de agitur, ut;

His commota fugam Dido ſocioſq; parabat.

Paulatim enim ac lente agenda erant omnia Reginæ quo frater de fuga cælaretur. Præſens adhiberi conſueuit, etiam ubi multa breuiter colligenda ſunt, ut;

Conueniunt quibus aut odium crudele tyranni
Aut metus acer erat. Naues quæ forte paratæ
Corripiunt, onerantq; auro, portantur auari
Pygmaleonis opes pelago.

Præteritum perfectum res omnino confectas oſtendit, ut ueni in Cumanum, Diſceſsi Puteolis. Accommodatur ad quæ deſiſtere finire, deſinere, aut aliud ſimile uerbum requirunt, ut quum perorata cauſſa, Dixi, uel Dixere pronunciabatur, ut Virgilius,

Dixit & inuito proceſsit ueſper Olympo.

Apud eundem Regina quæ ſtatim ſibi mortem erat allatura

Vixi & quem dederat curſum fortuna peregi.

Species uerborum ſunt, ut iam dixi, duæ, primitiua, ut habeo, deriuatiua, ut habito. Huc referunt grammatici uerborum quas appellant formas. Sunt autem ſex, quarum primæ quatuor ſunt, perfecta ut lego, meditatiua ut lecturio, inchoatiua ut caleſco, frequentatiua

tatiua ut lectito. Hæc à ueteribus etiam grammaticis uſurpata ſunt nomina, itaq; huiuſmodi de formis conſtitutum. Ego nolim doctos homines, qui poſtea ſequuti ſunt, reprehendere, tanquam omnino hæc non intellexerint. Puto enim re ab illis cognita, nominum inſolentia laboratum, quæ & noua & minus propria ſint uiſa, inchoatiuis præſertim ac meditatiuis attributa. Fuerint hæc (ſiquis ita uelit) non hominum uitia, ſed temporum, quibus exquiſita uerba nouandi, magis quam rectè iudicandi facultas defuit. Eam tamen gratiã Vallæ habendam puto homini ingenioſo ac docto quod hæc & ſi non falsò quidem omnino at obſcurè fortaſsis olim tradita poſteris explicauerit. Quamobrem & hunc ſequendum hac in parte, & ueterum de iudicio non male ſentiendum puto. Lecturio igitur, parturio, eſurio, cænaturio, & alijs huiuſmodi uerbis conſilium, aut appetitio quædam, deſideriumq; declaratur. Quare is deſideratiua magis appellari uoluit, quorum uſum atq; exempla uideamus. Dij faciant ut hoc quod conceptum reſpublica periculum parturit conſilio diſcutiam & comprimam. Item aliud; Vtinam aliquãdo dolor populi Romani pariat quod iam diu parturit. Alio quodam in loco; ſecuritate frui non poteſt animus ſi tanquam parturiat unus pro pluribus. Ciceronis hæc tria ſunt exempla quorum in uno reipublicæ, in altero populi Romani ſollicitudinem ac metum cum ſtudio & conatu euadendi periculi, ulciſcendiq; ſcelera, in tertio ſuſpenſum unius pro multis animum deſcribit. Pergam auctoris eiuſdem alia recitare. Ecce autem ebrio Cleomene (inquit) eſurientibus cæteris nunciatur naues eſſe in portu. Item alibi; Nunquam uidelicet ſitiens biberat, nec eſuriens ederat. Eſt hic eſurire, famem ſentire ac pati, quod poteſt eſſe etiam, ſine eden di uoluntate, aut cum famis longiore patientia ut in illo eſt M.Cælij ad Ciceronem exemplo; Noſtri ualde depugnare, & facile algere, & eſurire conſueuerunt. Locus etiam fuerat in quadam T.Pomponij eundem ad Ciceronem epiſtola; Ita Syllãturit animus eius & proſcripturit iam diu. Syllaturire & proſcripturire, animum ſignificat hominis cogitatam diu Syllanam proſcriptionem cupientis imitari. M.Varro ſecundo libro de Re ruſtica in principio; Propterea quod te empturientẽ in campos macros ad mercatũ aducũt crebro pedes, quo facilius ſumptibus multa poſcentibus miniſtres. Multa adhuc poſſem colligere unde appareat modo hoc, modo illud, modo etiam aliud nomen his uerbis conuenire, ſed mihi ſatis eſt æquis æſtimatoribus indicaſſe uiã qua per ſe ipſos uideant quod oportet.

Inchoatiua defendit rectè ſic à uetuſtioribus eſſe nominata.

oportet. Inchoatiua dixerunt illi idem ueteres caleſco, frigeſco, tepeſco. Rectè autem negatur inceptionem his uerbis dem onſtrari, quod ea nullo prorſus ex auctorum exemplo ſignificata eſt, & quod uerba ad incipiendum uel ad temporis longitudinem pertinentia, ſępiſsimè ijſdem inchoatiuis adiungantur. Multa enim ſunt M. Tullij, multa ſcriptorum omnium quale ex tertio Georgicorum Virgilij illud eſt exemplum,

Fluctus ubi primo cœpit quum albeſcere ponto.

Hic non repugno equidem. Duo ſunt potentiſsima quibus probetur inſanire eum qui hæc uerba uim incipiendi habere arbitretur. Verum nos illud uideamus non fortaſſe ueterum, ſed recentium potius grammaticorum hic errorem & barbariem hac reprehenſione iudicioq; Vallæ eſſe damnatam. Ita enim iſti docebant, ita ſententiam non aſſequuti ueterum, loquebantur, ita in libris ponebãt ſuis, ut caleſco, frigeſco, ceteraq; eiuſdem formæ uerba palam incipientis naturæ eſſe teſtarentur. Sed meo quidem iudicio non hoc illi ueteres dicere uoluerunt, neq; tam rudes latini ſermonis habẽdi ſunt ut hoc ſenſerint nec uerba inchoatiua ab inchoando, hoc eſt ut recentiores poſtea ſunt paulo ante Vallam interpretati ab incipiẽdo, ſed à nomine, participioue inchoatus hoc nomen habuerunt. Norunt.n. omnes qui latinè ſciunt, norunt etiam pueri illud Ciceronis ad Lentulum; Apelles Veneris caput & ſummã pectoris politiſsima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit. Sunt huiuſmodi innumera, ut; Cognitio contemplatioq; naturæ manca atq; inchoata. Idem quarto libro de finibus; Hoc autem inchoati cuiuſdam officij eſt, non perfecti. Quin & ipſo uerbo inchoandi eandem uim explicat, Vt; Natura hominem inchoat, ſapientia perficit. Alio idem in loco; Meos libros quos expectas inchoaui, ſed cõficere non poſſum. Quum res deniq; imperfectæ ac rudes hoc uerbo declararentur, ut illis etiam duobus adumbrare & informare, nouè illi quidem, ſed eleganter, & propriè, caleſco, frigeſco, tepeſco, & huiuſmodi formæ omnia inchoatiua nominarunt. Illud enim docti homines uiderunt, res caleſcere, aut frigeſcere non ideo dici quia iam incipiant calere, aut frigere, ſed quia ſemiplenum in ijs inchoatumq; eſſe quendam calorem aut frigus intelligerent ut partem corporis inchoatam Cicero, & contemplationem naturæ, & officium, & hominem, & libros, & res item cæteras inchoatas Romani omnes dixerunt. Rectè igitur ueteres illi, qui poſt ſæculum Varronis de latina lingua ſcripſerunt. Nõ rectè natio illa ab hinc circiter trecentos

Vnde inchoatiua dicãtur.

tos annos quæ à ueteribus tradita non intellexit, perſuaſeratq; omnibus ita ſenſiſſe ueteres ad incipiendum hæc uerba pertinere. Rectè Valla, qui tametſi ad rationem uerbi non reſpiciens, errorem tamen qui in re inerat undecunq; eſſet ortus patefecit, falſamque de his uerbis opinionem confutauit. Poſtremum, illud ſit, præterita friguit, caluit, floruit, macruit cæteraq; omnia inchoatiuorum eſſe potius, quam frigeo, caleo, floreo, macreo, ideſt eorum quæ per fecta dixerunt quod Flauius etiam Cariſius animaduertit. Illo enim in uerſu,

Conticuere omnes,

Id ſignificatur, ſilentium eſſe ab omnibus, tacitosq; & attentos omnes teneri ad quæ dicerentur, & in his;

Oſtia iamq; domus patuere ingentia centum

Item,

-Ceſsit furor, & rabida ora quierunt

Ad huc

-Dixit, preſſoq; obmutuit ore.

Sic & patuere oſtia, & quieuerunt ora, & obmutuit Sibylla, ut hæc perdurent etiam poſtquam facta eſſe memorantur quod ſolum in præteritis eſt inchoatiuorum. A cæteris enim, rem qua de agitur factam eſſe iam, nec fieri amplius demonſtrant. Nam & ſi fieri poteſt ut quis ante ſcripſerit, & nunc ſcribat, & ſcripturus poſtea ſit ſemper, tamen quum dico ſcripſi epiſtolam, ſcripſi orationem, illa ſcriptio ipſa quæ tum fuit eſſe nunc præſens non poteſt. Patuiſſe autem oſtia quoniam uerbo inchoatiuo dicuntur, illa profecto adhuc patent; Sin uelis præteritum eſſe à perfecto, contra ſententiam clauſa iterum intelligere oportet. Ita ſingula iudicare ſi uolumus, hæc præterita inchoatiuorum potius eſſe cognoſcemus. Frequentatiua nominant, quæ iterationem ſignificant ut à lego lectito, à ſcribo ſcriptito, à dico dictito, à minor minitor, unde paſsiua lectitari, ſcriptitari, dictitari, uentitari, etiam dicuntur. Sunt quoq; uerba frequentatiua, à uerto uerſo, à curro curſo, à mergo merſo, à ueho uexo, à necto nexo, à flecto flexo. De his omnibus quoniam uideo à nemine aliquid eſſe dubitatum, nec de formatione ſignificatuq; eorum, uel côiugatione aliter ac uerum ſit, exiſtimare quenq;, tranſeo, ut quam breuiſsime poſsim cætera perſtringã. Sunt illius etiã formæ uiſo, faceſſo, capeſſo, laceſſo, quorũ tota ratio nota eſt omnibus, Virgilius;

Vndiq; uiſendi ſtudio Troiana iuuentus
Circumfuſa ruit

Cicero

Cicero ad Atticum; Cupio equidem, & iam pridem cupio, Alexandriam, reliquamq; Aegiptum uiſere. Ad Papirium; Conſtitui ad te uenire, ut uiderem te, & uiſerem, & cænarem etiam. De uniuerſitate in principio ſcribit, ſui ſalutandi, & uiſendi cauſa Mitylenis Cratippum ueniſſe. In Verrem ea in oratione quæ eſt de ſignis; Cupidinem fecit illum qui eſt Theſpijs, propter quem Theſpiæ uiſuntur; nam uiſendi alia cauſa nulla eſt. Terentius in Andria;

Id uiſo, tune, an illi inſaniant.

Satis multa uno de uerbo, ex quibus tamen apparet uiſere eſſe, tum uidere, ſalutare, ſpectare, tum ire, aut uenire ad uidendum, ſpectandum, ſalutandum, unde ſcias unum huic formæ nomen dari non poſſe. Faceſſere etiam eſt abire, diſcedere, & negotium alteri faceſſere, moleſtiam afferre, ut pro Cluentio; Polliceor omnibus ſi cui forte hac lege negotium faceſſetur. In Verrem; Quum audiſſent ei negotium faceſsitum. Item capeſſere pro ſimplici ſuo, capere, uel ad capiendum ire. Laceſſere, eſt tentare, incitare, commouere, prouocare. Plena ſunt exemplorum omnia. Præteritum facit etiam laceſsiui coniugationis quartæ, & ut accerſere etiam, & accerſire, ſic etiam laceſſere, laceſsire. Sed in hanc formam plurima antiqui primæ & ſecundæ coniugationis inclinabant, quæ à Flauio Soſipatro παράγωγα nominantur, ut laceſſo, uetaſſo, leuaſſo, prohibeſſo, quorum ſe in Terentio, Plauto, ac 12. in tabulis paſsim offerunt exempla. Sunt etiam diminutiua, ut ſorbillare, titillare, cauillare, & pauca huius formæ. Adiungunt huc imperſonalia, tædet, pænitet, legitur, ſtatur. Hic memorant, quæ uerba à uerbis, quæ à nominibus multifariam naſcantur, ſed nullius tamen eſt negotij, nec utilitatis maximæ uidere ut regnandi, ſpumandi, aquandi, pabulandi, hiemandi, fortunandi uerba ſint à Rege, ſpuma, aqua, pabulo, hieme, fortuna. Minus refert ea ſcrutari quæ ſunt à uerbis lucere, fulminare, micare, aurare, helluare, & cognitum eſt, quo pacto ſuperiora ad inchoandum, frequentandum, meditandum & mille aliorum generum uerba ſimplicisſimis à uerbis naſcantur, ut lectitare, clamitare, laceſſere, uiſere, nigreſcere, frondeſcere, à legendo, clamando, lacerando, uidendo, nigrendo, frondendo. Sunt à præpoſitionibus, aduerbijsque ſuperare, perendinare, intrare, infirmare: uerum ſunt infinita uerba à uerbis, nomina à nominibus, hæc ab illis, illa ab his, itemq; alia alijs à partibus orationis orta, nec huius eſt loci uidere, ut lector, foſſor impoſtor ueniant à legendo, fodiendo, imponendo. Figuras, diximus

mus iam eſſe duas, ſimplicem ut lego, compoſitam ut intelligo. Quærunt ſcrupuloſius hoc etiam loco, quæ uerba, alijs cum uerbis, aut nominibus, aut participijs, aut præpoſitionibus, aut aduerbijs componantur, quæ coniugationes in compoſitione mutent, ut dare & prodere & facere, & amplificare; quæ ex duobus pluribuſque integris uerbis, quæ ex integris & corruptis, totidem ſimiliter iungantur. Sunt uerba compoſitæ figuræ, quæ nullis à ſimplicibus ortum habent, ut affligo, offendo, reperio, experior, ſuffragor, aſpicio, impleo, accuſo, refello, ſegrego, deſtinguo, deſero, doleo, ſupero, inclino, contamino, deleo, excello. Perſonæ ſunt uerborum tres, ut laudo, laudas, laudat. Eædem ſunt pluralis numeri, laudamus, laudatis, laudant. Numeri duo ſingularis ut laudo, pluralis ut laudamus. Poſtrema hæc ſunt à me dicta breuius, quod & ſuperuacaneis abſtinere me debui, & magis neceſſaria de uerborum generibus quæ ſequuntur, ubi res uidebitur poſtulare, puto mihi eſſe uberius explicanda. Hæc ubi erunt abſoluta, ad modos ordine accedam, à quibus ad tempora mox tranſeundum erit, quam à principio poſtremam uerbi partem fecimus.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. VI.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

CAVSAS reddit cur tam inuitus ad ſcribendum acceſſerit, ut ſola concordiſsimi fratris uoluntate ſit adductus ad quæ ſemper antea uitauiſſet. Pudere.n.ſe ait artis nobiliſsimæ, q̃ quùm poſt M.Varronẽ & P.Nigidium non ualde magnos habuerit auctores, deinde uſq; ad memoriã noſtram ita ſit à ſtultiſsimis quampluri- mis arrogantiſsimiſq; hominibus labefactata, ut nihil hodie uideatur eſſe turpius, quã de grãmatica ſcribere, loqui aut ſtudioſum illius uideri. Bonis de literis, ac de latina lingua, & conſuetudine loquendi, aliter atq; illi exiſtimant quid ſentiendum, ſtatuendumq; ſit præcipit. De uerbo, quæ ſunt reliqua pergit explicare. Id exploſa omnino de communibus uerbis ſententia, ex rectiſsimo uſu antiquitatis, quatuor ſola in genera uult eſſe diſtributum: quibus generibus, & agendi & patiendi, & ijs quæ neutra, & ijs quæ deponentia dicuntur, ſubtiliores in ſpecies diuiſis, & illorum tractatione demonſtrata, poſtremo loco de imperſonalibus etiam ad agẽdi uerba uel patiendi relatis, abſoluit.

NON dubito mirari eos, frater, quibus nota ſit ràtio ſtudij mei, nec ſatis perſpecta mea in te uoluntas, atque amor, quibus à te rebus, uel precibus ad rem tractandam, à qua ſemper antea plurimum uiderer abhorruiſſe, ſim adductus. Ac profectò ſtatuere ſic debes, niſi ad eam neceſsitudinem, quæ mihi intercedit à natura tecum, ſuauitas etiam accederet ingenij tui, & ſingularis quædam uis pluſquam fraternæ pietatis, quam ego ſæpius in rei domeſticæ

ſticæ ruinis, grauiſsimisq; in rebus & maxima in temporum acerbitate ſum expertus, me nihil tã inuitè, aut maiore cum animi moleſtia ſuſcepturum fuiſſe. Acceſsit etiam illa, etſi à minore natu, maiore tamen animi firmitudine, maioreq; doctrina uehemens, & crebra adhortatio, ut conſilio, & auctoritati tuæ non obtemperare nefas mihi putauiſſem. Sed nunc exponam tibi, mi frater, quæ res à ſcriptione huiuſmodi me ita remouerent, ut à te ſolo mihi perſuaderi ſim paſſus, id quod nunquam arbitrarer me eſſe facturum. Primùm illa grauiora, quæ ualde magnis de cauſis & multum ac diu cogitata ratione, de arte dicendi iam pridem ſcribere ſum aggreſſus, ea faciebant, ut non poſſem, ex ipſa uerò diſciplina, qua de agitur, non multum laudis mihi acceſſurum arbitrabar. Ex ingenuis enim artibus ego ſciebam eſſe nullam, in qua facilius exiſtimatio docti ac literati hominis amitti poſsit. Nam, ſi literas ij docerent, qui à ſummis præceptoribus illas accepiſſent, nec tanta fœx eſſet hominum arrogantiſsimorum, qui uel à primis grammaticę elementis, ad ſumma omnia feſtinare, ad ſordesq; turpiſsimas atq; inſaniam præcipitare ſolent, mihi de literis, de cultu orationis, & Romana lingua apud eos, qui rectè ſaltem animati eſſent, exiſtimarem eſſe pulcherrimum diſputare. Nunc uerò, quam uideam illius artis, quæ una ſit omnium difficillima, una id promittat quod paucíſsimi queant adumbrare, una cæterarum omnium præſidio diſciplinarum carere non poſsit, ſtultos homines ſcientiam ſibi uindicare, & de ſcriptis ueterum ac doctiſsimorum hominum qui uiuunt, iudicare, maximè inuitus faciebam ut ſermonem de me quoque iſtorum arrogantiæ ac temeritati darem. Sed, quum ab ijs non reprehenſio modo, ſed laus etiam, & teſtificatio doctrinæ ac uirtutis minimè nobis honeſta putari debeat, tũ grauius illud eſt, multoq; pernicioſius quod obſunt ingenijs, obſunt latinæ linguæ & contagione ſui nominis literatorum nomen, literasq; ipſas turpes atq; infames ubiq; reddiderunt. Verum ego & ita eſſe nollem, & pro doctrina ſtultitiam eſſe ſcio, & ſordes literarum loco haberi doleo, & ferendum hoc ciuitatibus non puto, & mea ſcripta ab ijs legi duco eſſe turpiſsimum. Siqui autem ſunt aliquibus tincti literis, natura præditi humaniore, uſu & uoluntate nõnulla docendi, ſed maiore etiam tenẽtur diſcendi, multos annos in ſtudijs apud homines doctos magno cũ labore uerſati, minimã tamen literarum partem ſe adeptos eſſe arbitrantur, ijs exponendã cenſui rationem conſilij mei, quam in his præſertim, qui ſequuntur, octo libris mihi & omnibus tenendam puto. Breui

ut igitur ſic tu frater, ſic omnes docti ſtatuant neceſſe eſt, hanc partem, & latinæ loquendi præceptiones, atq; id ipſum quod eſt Romanè loqui, nullum eſſe prorſus, niſi totũ uetere cõſuetudine ſermonis latini, atq; exemplis, & maximorum auctoritate ſcriptorum confirmetur. Hic ſcio te, qui rectiſsimè ſentias de ſtudijs & latina lingua, non putare mihi in hanc rem plura eſſe dicenda, de qua pudet me uehementer aliorum inſania prouocatum multa iam diſputauiſſe, & mandaſſe literis. Quid.n. hæc ſunt, niſi à ueterum oratorum fontibus, ac rectiſsimè loquentium uſu proficiſcantur? Vtrum oratores aut poetæ à grãmaticis debent, an illi ab his Romanam linguam diſcere? Olim iſta fortaſſe quærebantur, quùm infuſa antè mille annos in Italiam barbaries, penè ipſum quoq; nomen latinitatis extinxiſſet, nec certus grammaticæ diſcendæ finis aliquis teneretur. Hac uerò ætate, lingua Romana iam pridem, literisq; omnibus in antiquam dignitatem reſtitutis, non quibus modo ex auctoribus genus optimum latinitatis, ac forma orationis paretur, ſciunt omnes, uerùm;ne illud quidem poteſt, niſi à paucisſimis, dubitari, quæ ex quoque uideantur eſſe meliora. Quamobrem ego, quos mihi ſemper antea loquendi auctores uoluiſſem, eoſdem illos uidelicet, qui à M. Catone, & Plauto ad finem uſq; imperij Octauiani Cæſaris fuerunt, quorum princeps omnium, aliqua nunc etiam (ſi dijs placet) cum inuidia multorum, M. Tullius extitit, cæteris, qui meum hunc laborem non aſpernabantur, hic & in ſcriptis meis omnibus; ad imitandum propono, unde & præcepta grammaticæ, & perfecta latinitatis ratio comparetur. In his uerò tantis auctoribus per quos mihi diuinitas quædam loqui uidetur, non ut male ſcripta ſoleo quædam uitare (quis.n. ita inſaniat?) ſed magis probare, quæ ipſorum quoq; ex iudicio auctorum, atq; ſenſu magis probare neceſſe eſt. Illis.n. ſummis uiris habendum exiſtimo honorem Dijs immortalibus proximum, non tamen auctoritas eorum aliquid, amplitudoq; læditur, ſiqua, ab ijs, etiã rectiſsimè ſcripta, neſcire me fatear ad meã orationem transferre, quùm præſertim omnis deinde poſteritas imitatione eorum ſuperſediſſet. Nec dicam eſſe in ijs multa propria ſæculorũ quibus auctores ipſi uixerunt, nec amore etiam antiquitatis illos feciſſe, ut alijs tẽporibus uſitata, ſemel aut certè non ſæpius aliqua renouarent. Sed, quùm propoſita nobis conſuetudo ſit, quã loquendi magiſtrã ſequi debeamus, cõtra conſuetudinẽ profectò eſt ex duabus pluribuſq; idem efficiẽtibus loquutionũ formis, præter id quod tota in lingua latina diffuſum eſt, pro ſermonis lege illud etiam habere

bere ad præceptaq; grammaticæ referre, quod alicui rationi repugnet, & raritate ipſa exemplorum à ſuis etiam auctoribus non magni æſtimatum eſſe uideatur. Veruntamen ego ridiculè facere uidebor, qui minimis de rebus & falſa opinione ſtultorum ac ſententia, nō cum riſu agam apud te, qui puer olim ac penè de ſinu matris noſtræ fueris à me totam ad hanc rationem inſtitutus. Quare cum ijs non diſputabo amplius, nec obſtinato cum genere hominum puto eſſe contendendum, quibus mea omnia & hos libros præſertim ſi ſuſpicarer aliquid eſſe placituros, ne dubitaris frater, quin ego cōcremandos putarem. Verum aggrediar hinc de uerbo dicere, quæ neceſſario ſunt à me in hunc librum reſeruata. Genera ſecunda uerborum ſunt quatuor, actiuum, paſsiuum, neutrum, deponens, quæ mihi ſunt alia in ſubiecta genera paulo ſubtilius diuidenda, ſi de ſubſtantiui nominis cum adiectiuo, nominatiui cum uerbo, relatiui cum antecedente concordia prius aliquid monebo. Imperſonalia. n. (ut antè iam docui) alia ad actiua referenda ſunt, ut pœnitet, pudet: alia ad paſsiua, ut itur, ſtatur. Subſtantiuum nomen conuenit cum adiectiuo, genere, numero, caſu, ut Clodius pulcher, Liuia caſta, facinus memorabile. Nominatiuus cum uerbo, perſona & numero, ut Cato ſcribit; adoleſcentes amant. Relatiuum cum antecedente, genere & numero, ut Lælius qui, Tullia quæ, flumen quod. Conueniunt hæc quidem poſtrema relatiui exempla, etiam caſibus, ueruntamen, ſeruare hoc ut perpetuum, non licebit. Nam ſic etiam loqui neceſſe eſt; ſequor auctorē, qui mihi uidetur eſſe ſapiens: Adeſt Cornelius, is quem adhuc non uideram. Hoc faciendum eſt quia nunc aliud uerbum reſpicit relatio, aliud antecedēs: illa enim à uerbo quod eſt Videre hoc autem ab eo quod eſt Adeſſe gubernatur. Nunc illud etiam ſcire oportet, in diſpoſitione uerborum duas neceſſario ineſſe uel res, uel perſonas, unam quæ agat, alteram quæ patiatur aliquid, uel quoquomodo ab illa ſit affecta. Rerum, hoc exemplum ſit. Potentia auget inuidiam. Res quæ agit, potentia eſt, quæ patitur inuidia. Hoc rerum nomine, tempus etiam & locum, & ſiquid eſt aliud, intelligi uolo, ut hic dies aliam uitam affert: hic locus alios mores poſtulat. Perſonæ ſunt, Deorum, hominum, belluarumq́, & quarumuis animantium. Nec male diſtincta hæc olim fuerunt, ut tum res, tum perſonæ agentes patientesq; dicerentur, quæ profectò neceſſe erat ante eſſe conſtituta, quam ad reliqua accederes. Sunt etiam grammaticis appoſiti, & ſuppoſiti, dialecticis ſubiecti, & attributi conſueta nomina; item apponere & ſupponere,

Quatuor facit genera uerborū explosa ut infra apparebit de uerbis cōibus sentētis.

ſubijcere, & attribuere, quibus etiam nos utamur aliquando neceſſe erit. Verborum ſignificationis actiuæ genera ſunt minutiora, (ut iam propoſui) quæ ſequuntur. Primum eſt eorum quæ ſolo agente nominatiuo, & patiente accuſatiuo tractantur, ut Seruius amat literas. Hanc tamen ipſam duorum caſuum rationem in cæteris quoq; actiuorum generibus uerborum omnium, iam nunc meminerimus eſſe neceſſariam. In his tractatio ſemper eadem erit utriuſq;. Porro autem, uel tractationis, uel tractandi uerba uſu iam tritiora facta ſunt, loco eorum quæ σύνταξις & συντάττεσθαι à græcis dicuntur. Quoties igitur ponam hæc uerba, uel ſi quando adhuc poſui, ita ut iam dixi, intelligantur. Sed redeo ad primum genus uerborum, ad quæ ex his, quæ ſubiungam, paucis, exemplum ſumere licebit. Amo, amas, amaui, amatum. Diligo, diligis, dilexi, dilectum. Laudo, laudas, laudaui, laudatum. Timeo, times, timui. Metuo, metuis, metui. Conſulo, conſulis, cõſului, conſultum. Audio, audis, audiui, auditũ. Cæterum quæcunque ſimilia his erunt, ut uoco, intelligo, fallo, noſco, cognoſco, colo, expecto, facio, ago, ſperno, contemno, aliaque innumera, & aliorum quoq; generum actiua quoties nihil habeant præter accuſatiuum patientem, hoc ipſum ad genus referre omnia oportebit. Porro autem actiua intelligere conueniet, quæ formam ſignificationemq; patientem habere in primis, & in ſecũdis utriuſq; numeri perſonis naturaliter poſsint, quemadmodum fallo fallor, accuſo accuſor, credo credor, induo induor, ſpolio ſpolior, audio audior, ac deniq; oĩa, quæ huiuſmodi eſſe uidebũtur. Pauca ſunt formæ actiuæ, quæ interdum loco habentur paſsiuorum, lauo, tondeo, duro, nec ſanè multa præterea, quale in Terentio exemplum eſt: Vbi nos lauerimus, ſi uoles, lauato. Actiua quædam ac neutra, quibus accuſatiui per naturam, aut alij etiam caſus iungi debeant, ſine ijs poſita aliquid ſignificant permanentius, & quod aſsiduo ſit in uſu, ut legere, ſcribere, pro ſuis penè frequentatiuis lectitare, ſcriptitare, & quæ frequentatiuis carent, amare, potare, ut;

Cur amat, cur potat?

Diligenter hic obſeruanda uerba ſunt quæ hoc habent à natura, uel conſuetudine auctorum ut actione prædita ſint ea quæ deſinat ſtatim, ut hominem occidere, amicum ſaluare, epiſtolam conſcindere: uel maneant longiore, ut uiuere, ædificare, exercere, ſequi, nauigare. Media inter hæc ſunt, ſuppeditare, loqui, diſcere, & quoties illo more uſurpata ſint quæ iam dixi, amare, potare. Priora autem genera duo quæ fecimus, ita ſæpe commutata ſunt, ut alterum loco alterius

Primum genus uerborũ quæ ad agendũ pertinẽt.

Verba quorũ actio permanet aut ſtatim trãſit.

alterius ponatur. Ex legibus.n.adoptare aliquem, ex ijs rebus eſt quæ ſemel fiunt. ut Cæcilius Atticum, ut Cæſar Octauium ſemel & uno die ſibi adoptauit. Vide tamen, ut perpetuam huic uerbo actionem ex Terentij exemplo dare ſoleamus;

Maior filius tuus Aeſchinus
Quem fratri adoptandum dediſti neq; boni
Neq; liberalis functus officium uiri eſt.

Quod enim attinet ad uerbum, ita adoptandus fratri datus eſt adoleſcens, ut ſi educandus illi datus eſſet, quoniam educare, ad ſolam continuati ac diuturni ſignificationem temporis refertur. Nihil hic negotij eſt ea cognoſcere quæ huiuſmodi ſunt à natura: quæ uerò diſertiſsimi auctores ex alia in hanc rationem commutant, ea operę prætium eſt legendo uel ſcribendo notata & cognita habere. Quàm plurima ſunt enim quæ ſi ut iam dixi inſpicias, magnum te ex ijs uidere lumen cognoſces. Vulgare eſt omnibus, literis multorum & ſermone omnium perfertur ad me; incredibilem tuam uirtutem & fortitudinem eſſe. Rogo, quando perfertur? Profectò, non pręſenti neq; certò, ſed indefinito, nec uno ſolo de tempore, ſed crebris de rerum nuncijs atq; literis intelligi uolumus. Iam ſi dicatur, ego ſcribo hiſtoriam, ille tractat ius ciuile, tu carmen cõponis, aliud uerbis, aliud oratione tempus demonſtratur. Neq; his cum exemplis multum, neq; illo cum Terentiano adoptandi uerbo, conueniet Cæſaris exemplum quod in primo eſt libro de bello ciuili, neq; tamen ſic diſsimile, ut nõ putem huius eſſe loci; Interim alij ſuos, in caſtra, inuitandi cauſa adducunt. Si uno uerbo quis ad cœnam inuitatur, quid eſt quod inuitandi cauſa illi in caſtra adducerentur? Nempe ſignificatio uerbi quæ ſtatim tranſit, ad omne tempus cœnę translatũ eſt. Sunt huius generis illa quoq; Horatij ad Lollium

Quem damnoſa Venus, quem præceps alia nudat,
Gloria quem ſupra uires, & ueſtit, & angit.
Quem tenet argenti ſitis importuna fameſq;

Quatuor hic uerba ſunt, nudare, ueſtire, angere, tenere. Tria ex his priora eſſe uoluit diuturnitatis quemadmodum id quod poſtremo loco poſitum eſt tenendi uerbum. Hæc omnia quæ ſunt infinita, nunc aduerbijs, nunc frequentationũ aut alijs uerbis adiuuantur ut ſoleo nudari, angi, ueſtiri, aut ſæpius longoue tempore, aut aſsidue, ueſtior, nudor, anguor. Secundum genus, poſt rectum accuſatiuumq;, ſi pretij, mercediſue mentio fiat, ablatiuum requirit, ut;

Vendidit hic auro patriam.

Verba ſunt ex hoc genere, Vendo,uendis,uendidi,uenditum. Emo, emis, emi, emptum. Redimo,redimis,redemi,redemptum. Loco,locas,locaui,locatum. Conduco,conducis,conduxi,conductum. Aeſtimo,æſtimas,æſtimaui,æſtimatum. Addico,addicis,addixi,addictum. Huius loci ſunt etiam Conſtare,Eſſe,& Mulctare, ſed priora tamen duo pretij ſunt, ut in Verrem Cicero; Metuiſti ne æs alienum tibi Creſceret, ſi HS Vi millibus tibi conſtarent ea,quæ tu facile poſſes uendere HS CC millibus. Et; Quanti frumentum ſit,conſidera. Tertium refertur magis ad pœnam. Mulctari enim dicimus aliquem exilio,morte,uerberibus,regno,uinculis, ignominia,damno,pœna, bonis, dolore, agris, ac rebus deniq; alijs, quibus uel affectus quis eſt, uel priuatus. Reliqua ad pretium referri certum eſt omnia, quod ablatiuo caſu pronunciamus. Vt enim Terentius dixit;

Viginti minis tu illam emiſti,

Sic etiam dicere conueniet,magno,paruo,caro,uili,plurimo,minimo, paululo,quàm plurimo. Cicero; Magno inquit decumas uendidi. Sed plena eſt Romana lingua,omneſq; libri huiuſmodi exemplorũ. Contra uerò, ac ſuperiora adiectiuorum octo genitiuis utimur,non ablatiuis,aut alio caſu nominum, pretio ſignificando, uel mercede his cum uerbis nominanda, idq; ſeruandum eſt quum ſeparata ea ſunt à ſubſtantiuis,tanti, quanti, tantidem, quantilibet, quantiuis, quanticunq;,pluris,minoris. Terentius iterum in Adelphis,

Meum mihi reddat ſaltem, quanti empta eſt.

Cicero quoq; in Verrem; Addicitur medimmis duobus millibus,dimidio ferè pluris, quam ſuperiore anno. Et in eundem infra eodem libro tertio; Ibi tantidem frumentum emeret, quanti domi uendidiſſet. Quod ſi his adiungas nomina ſubſtantiua, utendum eſt iterum ablatiuo, & tanta pecunia, & maiore minoreue pretio conductam domum, locata prædia, uenditam familiam dicere debemus, Itaque ſic ſtatuere oportet, ut per ſolum nomen adiectiuum dicere neceſſe ſit; Emit Sempronia fundum, quanti illum dominus æſtimauit: at per adiectiuum ſimul,& ſubſtantiuum, ſic; Opus redemptor maiore pecunia conduxit, quam res ferre uidebatur. Pro Minoris tamen ad Atticum Cicero, antiquiſsimum loquendi morem ſequutus, Minore ſcripſit, ut; A Cæcilio propinqui minore centeſimis, nummum mouere non poſſunt. Nam ueteres Minore etiam,& plure aliquid emptum eſſe dicebant. Sunt illa quoque aliter, quam in ablatiui, aut genitiui formam cadentia,uilius,carius, melius, peius, gratis, quæ ad pretium rectè uſitateq; referuntur, ut; Vilius æſti-

mata carius uendidiſti. Melius item & peius aliquid emere, aut gratis operam locare dicimus. Ac natura quidem hæc non multo plura ſunt uerba, quam quæ enumeraui, ſed cum his uel actiuis, uel etiam neutris, uel deponentibus, facere, pendere, habere, licere, uenire, putare, liceri, licitari, auctionari, mercari, exceptis admodum paucis, omnia ferè uerba hanc ipſam ad pretij, mercedis, & rationem loquendi ſæpe transferuntur, ut; Suſcepit cauſam Demoſthenes minis octoginta. Defendebat Hortenſius Verrem nulla pecunia. Docuit Plato minoris, quam cæteri: Factum illud opus eſt, quanti nemo putauiſſet. Arant hoc anno pluris, quam ſuperiore. Ita Cicero in officijs; Ne Marco quidem Seio uitio datum eſt, quod in caritate annonæ, aſſe modium populo dedit. Sic facio te pluris, feci illum plurimi, uel parui, & tanti uos facio quanti præterea neminem: uirtus uoluptatem minimi facit. Idem Cicero ad Appium; Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris approbabo. Terentius in Eunucho;

Inuidere omnes mihi, mordere clanculum,
Ego non floccipendere.

Ergo etiam & flocci, & nauci, & nihili facere dicimus, quemadmodum tanti, & quanti cum cæteris huiuſmodi adiectiuis, ut; Hoc ipſum tamen aueo ſcire, nec tamen flocci faccio. & idem libro quarto ad Atticum Cicero; Denique Rempublicam flocci non facere. De Diuinatione etiam primo extremo libro; Non habeo denique nauci Marſum augurem: quibus in exemplis negationem quoque ſemper uides eſſe adiunctam. Raro enim loquimur, quemadmodum Terentius;

Tum me autem qui illum non flocci fecerim.

Sed eadem ſententia ſæpius explicatur, ut iam exemplis probatum eſt. Et ſi enim utrunque genus latinum ſit, plus tamen eſt flocci non facere quam flocci facere. Eius autem quod eſt parui, nuſquam exempla non occurrunt, quale Plauti eſt illud in Rudente;

Illos ſceleſtos qui tuum
Fecerunt Phanum parui, & auſi ſunt uiolare nos,
Vt hanc tua pace aram amplexæ miſeræ ambæ ſumus opera
Neptuni eiectos, perditos hoſtes habeas.

Tertium genus. Tertium genus pauca uerba continet, quæ ad iudicia, crimina, pœnas, ſupplicia, culpaſue pertinent omnia. His enim poſt duos principes, quos dixi, caſus datur genitiuus, uel pœnam ſignificans, quale unum

unum illud, & frequens exemplum eſt, accuſo te capitis, uel crimen indicans, uel culpam, quod in pluribus fit, ut accuſo te parricidij, aut iniuriarum, aut negligentiæ. Datur & in hoc ſecundo exemplo ablatiuus ex ui præpoſitionis De, & accuſare aliquem de parricidio dicimus, uel de iniurijs. Verba hæc ſunt, uel non multa huiuſmodi. Accuſo, accuſas, accuſaui, accuſatum. Poſtulo, poſtulas, poſtulaui, poſtulatum. Accerſo, accerſis, accerſiui, accerſitum. Damno, damnas, damnaui, damnatum. Condemno, condemnas, condemnaui, cōdemnatum. Arguo, arguis, argui, argutum. Inſimulo, inſimulas, inſimulaui, inſimulatum. Reprehendo, reprehendis, reprehendi, reprehenſum. Abundant exemplis omnia. Vt enim dicamus accuſare, & damnare aliquem maieſtatis, uel repetundarum, accuſare capitis, accuſare ambitus, uel rei capitalis, condemnare inertiæ, & impudentiæ, inſimulare auaritiæ, probri uel cupiditatis, cuum docti homines, tum Cicero ubiq; nobis eſt auctor. Item accuſare ſcelus Pompeij, accuſare de ui, de literarum negligentia, & arguere ſummi ſceleris, arguere tanti facinoris: & de ambitu, ſeu de repetundis aliquem poſtulare, accuſare, damnare, condemnare, & aliis adhuc modis ijdem ſummi uiri dixerunt. Abſoluere etiam ſceleris, abſoluere iniuriarum, abſoluere criminis, quandoq; dicere licebit, ut Cicero in Verrem; Video Neronis iudicio, non te abſolutum eſſe improbitatis, ſed illos damnatos eſſe cædis. Ergo abſoluere cædis, improbitatis, & iniuriarum dicimus, quemadmodum accuſare, damnare, aut agere iniuriarum. His ablatiuum quoq; ſine præpoſitione adiungimus. Nam & Condemnabo eodem ego te crimine, Cicero dixit, & accerſere nomine ſtatuarum, & inuidioſo crimine magis quam uero: item damnari capite, & uno aut multis criminibus damnari, ut in Verrem; Nunc non modo te hoc crimine non arguo, ſed ne illa quidem commmuni uituperatione reprehendo. Annumerari his poteſt, etiam Tenendi uerbum, ut, tenetur furti, tenetur ſacrilegij, tenetur utroque, tenetur multis manifeſtisque criminibus.

Quartum genus. Quartum genus datiuum cœteris caſibus adiungit, ut; Virtus dedit immortalitatem Scipioni. Hoc uerbo dumtaxat utimur etiam ſic; Dedi literas tabellario ad Catonem. Cætera ſunt huiuſmodi. Reddo, reddis, reddidi, redditum. Interdico, interdicis, interdixi, interdictum. Inuideo, inuides, inuidi, inuiſum. Mitto, mittis, miſi, miſſum. Narro, narras, narraui, narratum. Innumera hæc ſunt cæteris quoq; ex actiuorum generibus huc translata.

Quintum adhuc alterum accuſatiuum, ut Scæuola docuit Sulpicium ius ciuile. Sunt huius generis pauca. Doceo, doces, docui, doctum. Moneo, mones, monui, monitum. Oro, oras, oraui, oratum. Poſco, poſcis, popoſci, Rogo, rogas, rogaui, rogatũ. Peto, petis, petiui, petitũ. Hic enumerãt et plura, de qbus uelim cogitari diligẽtius. Quare mox uidero, ſiquid rectius poterit, uel cautius admoneri. *Quintum genus.*

Sextum, ijs quos dixi caſibus adiungit ablatiuum inſtrumenti, uel materiæ, ut ſcelerati homines tegunt uitia ſimulatione uirtutis; Tu impleuiſti epiſtolam querelis. Verba hæc pauca ſint exemplo. Spolio, ſpolias, ſpoliaui, ſpoliatum. Munio, munis, muniui, munitum. Tego, tegis, texi, tectum. Paſco, paſcis, paui, paſtum. Orno, ornas, ornaui, ornatum. Impleo, imples, impleui, impletum. Onero, oneras, oneraui, oneratum. Exonero, exoneras, exoneraui, exoneratum. Illa quoq; uerba, peto, induo, ueſtio, exuo, cœlo, cingo, aliaq; non multa, ut ſuperioris generis eſſe non prorſus negem, inuenies tamen habere ſæpius ablatiuum. Etſi enim exuere humanitatem, induere perſonam iudicis, & hoc te cœlatum uolui, recte dicatur, in Verrem tamen ſcripſit etiam Cicero; Iſte petit à Rege, & cum pluribus uerbis rogat. Pro P. Quintio; Quũ a me peteret, & ſummè contenderet. Adhuc de natura deorum; Aliæ corijs tectæ, aliæ uillis ueſtitæ. In Verre libro quarto; His tabulis interiores tẽpli partes ueſtiebantur. In Tuſculanarũ quæſtionũ libro quinto; Ipſa ſe mens uitijs exutã cognoſcat. In epiſtola ad Metellũ; Debes exiſtimare te maximis de rebus à fratre eſſe cœlatum. Pro Cluentio; Non eſt profecto de illo ueneno cœlata mater. Ad Atticũ libro quarto; In Campo Martio ſepta tribunitijs comitijs, marmorea ſumus & tecta facturi, eaq; cingemus excelſa porticu. Libro tertio de natura Deorũ; Diligentiusq; urbẽ religione, quã ipſis mœnibus cingitis. Præterea igitur cognoſci poteſt quaſdam eſſe etiam in ijs loquendi formas, quæ nullum ad genus eorum, quę adhuc dicta ſunt, referri ſatis conuenienter poſsint. Quare nihil tã expedit ijs, qui rectè loqui uolunt, quã ex auctorũ libris hæc petere, adhibitoq; iudicio uidere quatenus imitandũ ſit (ut exẽpli cauſa dicam) quod Cicero ſcripſit in ſecundo de finibus libro; Ex eius ſpolijs, ſibi, & torquẽ, & cognomen induit: & quod in Verrẽ; De iniurijs iudices docere, & quod ad Papirium; Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen. Illud etiam prætereundum nõ eſt, quoties inſtrumento quodam rem fieri oſtendimus, nullum eſſe uerbum, quod non ad genus hoc reuertatur, unde; *Sextum genus.*

Malo

Malo me Galatea petit,

Virgilius dixit,& petere lapidibus,& aliquem gladio,aut ſecuri per cuſſum, & uirgis cædere ſeruum dicimus. Sed hic ablatiuus datur neutris etiam, deponentibusque uerbis, ut ſummis digitis incedere, manibus ambulare, & ſuaui oratione loqui. Cicero quoq; in Antonium; Si non ſpiritu, aut uirtutis laude uiuemus. Rerum tamen ablatiuus,non perſonarum hic eſſe debet, tametſi Cicero poterit uideri ad perſonas quoq; interdum retuliſſe, ut; Quum ſuis laudibus, tum uero te filio,ſuperaſſet omnium fortunas, ſi ei contigiſſet, ut te ante uideret, quam è uita diſcederet: & quadam in epiſtola ad Appium; Neq; enim obſcuris perſonis,nec paruis in cauſis res agitur. Pro Cæcina etiam, ſæpius uim dicit armatis hominibus factam. Hæc tamen exempla proponi rudibus adhuc latinæ linguæ non ſanè uelim ,ſed aliud ad tempus differri. Sunt præterea, quæ nullum ad certum genus referri poſſunt. In alia igitur genera hæc, ut commodum fuerit, ſpargemus: quod niſi permittatur,nimis multæ fierent huiuſcemodi generum diſtributiones. Nunc illa occurrunt, ſcio, neſcio, ſpero,deſpero, cupio, duco, exiſtimo, puto, autumo,credo,opto,deſidero. quæ etſi multa ſint, de ijs tamen ut dicerem, ad modos uerborum infinitos mihi integrum uolui reſeruare.

Septimũ genus. Septimum genus ablatiuum, ex harum aliqua præpoſitionum, A, Ab, Abs, De, E, Ex; ut, accepi conſilium à patre meo. Audieram ex fama & ſermone hominum. Cato eiecit Flaminium de ſenatu. Extorſi ſicam illi de manibus. Huius generis uerba ſunt omnia quæ à loco, à tempore, aut à perſonis quoquomodo proficiſci aliquid declarãt. Neceſſe eſt igitur nullo hæc certo numero poſſe cõtineri,ut; Audio, audis,audiui,auditum. Pello,pellis,pepuli, pulſum. Haurio, hauris,hauſi, hauſtum. Sumo, ſumis, ſumpſi, ſumptum. Intelligo, intelligis,intellexi, intellectum. Aliud præterea non puto equidem eſſe genus actiuorum. Inuideo enim, & interdico, ſi accuſatiuum habere nolumus, ſimul cum cæteris impero,maledico,& ſi qua ſunt alia eiuſmodi, malim inter neutra numerari. Nam,quod priora duo formam ſignificationemq; paſsiuam habeant aliquando in primis perſonis & ſecundis, hoc quidem argumento, ut actiua eſſe concedam, nego tamen ijs aſsignari ſuum aliquod genus oportere. Etſi enim dixit Virgilius;

Liber pampineas inuidit collibus umbras;

Et M. Tullius libro tertio Tuſculanarum in principio; Vt nobis optimam

optimam naturam inuidiſſe uideantur: Hanc rationem tamẽ ſpecta re ſi uolumus, ad quartum genus actiuorum hoc uerbum pertinebit. Quoties autem (ut nunc ferè loquimur) id ſine accuſatiuo eſt, tum inter actiua nemo collocare audebit. Ac, ut nemo miratur dici, Conſulo te, & Conſulo tibi, & unum ad actiua, alterum referimus ad neutra, ſic Inuideo tibi ornamenta, & Inuideo tuis ornamentis, eadem illa ad diuerſa uerborum genera ſignificationesue cum reliquis tribus timeo, metuo, & interdico diſtribui neceſſe eſt. Etſi enim ætate Ciceronis, interdico tibi aquam & ignem, planè dictum ab aliquo nunc quidem non recorder, quod is tamen pro domo ſua dixit; Vt M. Tullio aqua & ignis interdiceretur, aliquod argumentum eſt, illo etiam modo ſcribere licuiſſe. Nullo enim à uerbo ita dici poteſt ignis interdicitur, niſi unde contra, dicatur ille interdicit ignem: quo modo ſi quis diceret, ſeruitur dominus, obtemperatur ſenatus, is profecto oſtenderet ſe dicturum etiam, ille ſeruit dominum, & obtemperat ſenatum. Non tamen hoc, aut ullum genus argumentorum, ſatis eſſe uolo ad ſermonem latinum, uerborumq; uim atq; uſum confirmandum: ſed moueor, quod, qui poſt Ciceronem ſequuti ſunt, ſcripſere etiam, inrerdico tibi aquam & ignem. Titus quoq; Liuius interdicere fœminis uſum purpuræ dixit: ita ut diuerſis huic uerbo caſibus tribuendis id, quemadmodum ſuperiora modo inter actiua, modo inter neutra numeremus. Deniq; mihi quidem placet, interdico tibi aqua & igni, minimè ad uerbi actiui rationem pertinere. Porrò ſeparanda ſunt neutra ab actiuis, non uoce ſola, ut uideamus utrum à lego fiat legor, & ab inuideo inuideor, ſed natura, de qua dicam, ipſa ad neutra quum peruentum erit. *Inter agendi uerba & neutra diſcrimẽ.*

Verba paſsiua formantur ab actiuis, ut amor & accuſor, ab amo & accuſo. *Verba patiẽdi.*

In his rem, uel perſonam, quæ agit aliquid, in ablatiuo ponimus, ex aliqua trium dumtaxat præpoſitionum, A, Ab, Abs, quæ id patitur, in nominatiuo qui nominatiuus numero & perſona conueniat cum uerbo paſsiuo. Ante enim ſic dicebatur; Plato laudat uirtutem: nunc dicendum eſt; Virtus laudatur à Platone. Cornelia mater docuit eloquentiam Gracchos filios, Gracchi filij docti ſunt eloquentiam à Cornelia matre. Neq; aliud eſt, præter hos duos agentis, patientisq; rei, uel perſonæ caſus, quod mutari debeat. Cætera enim tractantur omnia, quemadmodum in actiuis. Illa tamen differentia ſit, quod hic, perſonis quidem præpoſitio ſine exceptione aliqua ſubiecta eſſe debet: rebus uero quibus debeat uel non debeat, rectè

cognoſci

cognoſci uelim. Nemo.n.dicat aliquem à metu perterritum, à lapide percuſſum, à ferro occiſum, quibus in exemplis addita præpoſitio uitioſam reddit orationem. Vtimur tamen rebus interdum loco perſonarum, ut ſæpe etiam dicamus; Conſilium tibi non eſt ab alijs inuentum, ſed à tua prudentia allatum. Præpoſitio hinc auferri uix poteſt, niſi ſi mutato uerbo, excogitatum, aut aliud ſimile dicas, pro allatum. Quare tum res, tum perſonas, tum uerba cognoſcere neceſſe eſt, ut hic errorem declinemus. Alia tamen eſt & planior in uerbis agendi ratio. Nihil.n.impedimento nobis eſt quin ita loquamur fames eum longior conſumpſit: lapis hominem uix læſit: multos ruinæ parietum oppreſſere: bella urbes omnes deuaſtarunt: multæ eum res adiuuerũt: ualetudo illum impediuit: illos ruina domus oppreſsit. In patiendi autẽ uoce atq; ſenſu, rebus adiutũ ualetudine impeditũ, ruina oppreſſos dicere cõueniet. Vt aũt res à perſona, ſic perſona ab inſtrumento ſeparanda eſt, ut certũ ſit, quod ante dictũ eſt, nominibus, quæ inſtrumentũ ſignificẽt, minimè dandã eſſe præpoſitionẽ. paſsiuorũ deniq; exẽpla ſint hæc, de ſingulis generibus actiuorũ huc tranſlata, Amor, amaris, amatus ſum, Redimor, redimeris, redẽptus ſum, Accuſor, accuſaris, accuſatus ſum, Mittor, mitteris, miſſus ſum, Doceor, doceris, doctus ſum, Spolior, ſpoliaris, ſpoliatus ſum, Audior, audiris, auditus ſum, A facio paſsiuũ eſt fio, à calefacio, cõſuefacio, tepefacio, cõpoſitisq; huiuſmodi calefio, conſuefio, tepefio, ijs exceptis, quæ ſunt cum præpoſitionibus compoſita. Dicimus enim à reficio reficior, à conficio conficior, à præficio pręficior. Aliquando tamen Confieri lectum eſt in Cicerone: in Terentio autem, ac Virgilio etiam defieri. Illud moneri tardiuſculos uelim pueros, rem uel perſonam patientẽ à medio, aut à fine orationis actiuæ ad principiũ paſsiuæ, caſu nominatiuo transferendum eſſe, eumq; nominatiuũ numero & perſona cum uerbo paſsiuo accõmodandum. Primus ergo locus patientis rei ſit, aut perſonæ, ſecundus uerbi, tertius præpoſitionis, poſtremus ablatiui perſonę, uel rei agentis. Hic.n.ordo, quẽ profectò non poſtulat ratio latinitatis, ad grãmaticam tamen nunc primum accedentibus prodeſſe poteſt, ut; Pauci cauſam publicam defenderunt: Cauſa publica defenſa eſt à paucis. Conſul eiecit Catilinam: Catilina eiectus eſt à conſule. Seruari tamen hoc non licet in patiente pronomine relatiuo. ſeu enim actiua oratio ſit, ſeu paſsiua, id ex natura ſermonis præponendum eſt uerbo, ut; Vetus hiſtoria eſt, quam legi. Præclara ſunt exempla, quæ proponuntur. Turpiſsimi ſunt, quibus

Ferro occiſus non à ferro.

Facio, fio, & huiuſmodi.

quibus faues. Honeſti ſunt homines, quibus inuidetur ab improbis. Præterea enim, quæ uerba datiuum requirunt appoſitum, non poſſunt aliter in paſsiuum conuerti, quam (ut infra apparebit) perſona tertia, & numero ſingulari, ut; Serui, irato domino ſatisfecerunt: A ſeruis irato domino ſatisfactum eſt. Meminiſſe oportebit, huiuſmodi in generibus loquendi; Solent literæ contemni; Conſueuerũt indocti pro literatis haberi. Debet uirtus honorari. Cœperunt uitia laudari. Epicurus deſijt audiri, paſsiuam non dari formam his uerbis cœpi, uel incipio, deſino, conſueſco, ſoleo, poſſum, debeo, ſed ijs potius infinitis quibus ipſa ſubiecta ſunt. Cœpi tamen, & deſino, etiam paſsiuè dumtaxat in præteritis uel præteritorum uoce ſæpius poni ſolent, ut; Audacia pro literis haberi cœpta eſt. Cicero ad Papirium Pætum; Poſt hunc tredecim fuerunt ſella curuli, ante L. Papirium Craſſum, qui primus Papiſius eſt uocari deſitus. Hoc loco ueteres patiendi uocem huic uerbo, poſſum dedere, & quum dicendum erat poteſt ſcribi poteſtur & poteſsitur uel poſsitur eis dicere permiſſum erat, qualis eſt ille apud M. Catonem locus; Labrum culleare ollæ rei facito, id habeat ad ſummum auſas quatuor, uti transferri poſsitur. In uerbo uideor, nequid erretur, animaduertendum eſt, quid cui uideatur, ut Octauius mihi uidetur eſſe prudens. Commodè hoc dicitur, quia Octauius is, qui uidetur, caſu eſt nominatiuo, qui cum uerbo uidetur, duabus rebus conuenit, ideſt numero & perſona, is autem, cui uidetur, caſu eſt datiuo, uerbum aliud modo infinito. Facillima ergo ratio eſt: hanc tu ſequare. Namque unus ſic uidetur uni. Quod ſi uni plures, aut prima perſona ſecundæ, uel tertiæ, aut illæ huic, uel prima ſibi uideatur, uel ſecunda, uel tertia, in his omnibus una illa cogitatio ſit, quam dixi, ut quicquid illud ſit, quod uidetur, ſeu perſona, ſeu res, aptè conueniat cum uerbo uideor. Is autem, cui uidetur, aliudque uerbum, uel ſubſtantiuum, uel quale ſit cunque, tractetur quemadmodum iam dictum eſt. Huius rei hæc tibi ſint exempla, omnium uel perſonarum, uel numerorum, uel generum. Puer mihi uidetur eſſe triſtis. Soror mihi uidetur eſſe hilarior. Tu mihi uideris paululum turbatus. Nec puto quenquam expectare dum illa etiam de loquendi forma dicam; Tibi uiſum eſt ad me uenire: Mihi uiſum eſt ad urbem accedere: Nobis uiſum eſt poſſe gloriari. Non enim ego mihi ſum uiſus, ſed aliud quiddam mihi uiſum eſt. Hoc autem de loquendi genere quo de agitur, ſi perſonas mutaueris, iam ſic dicendũ erit. Filio uideor ego eſſe triſtis. Sorori uideor ego eſſe commotus.

Soleo, cõſueſco, cœpi, deſino, poſſum, debeo, cũ uerbis, patiẽdi.

Verbum uideor.

motus. Ego tibi uideor paululũ turbatus. Numero multitudinis, eadem ſic; Pueri mihi uidẽtur eſſe triſtes. Sorores mihi uidẽtur eſſe placatę. Vos mihi uidemini paululũ turbati. Ego mihi uideor ſatisfeciſſe oĩbus. Tu tibi uideris eſſe literatus. Mater ſibi uiſa eſt eſſe liberalis. Nobis uiſi ſumus aliquid profeciſſe. Oẽs homines uidẽtur ſibi eſſe ſapientes. Hunc ipſum prope in modũ paſſiua horũ tractantur, dico, puto, credo, exiſtimo, nuncio, iubeo, & quæ ſunt huius naturæ, ut dicor eſſe nimium ſeuerus. Exiſtimatus es tu patrem occidiſſe: quod exemplum in futuro ſi uelis dicere, participio utendum erit, ut; Exiſtimatus es tu patrem eſſe occiſurus. Qui pro religione mortem oppetiuerunt, piè crediti ſunt in deorum numerum eſſe translati: preces hominum audiri ab illis rectiſsimè ſunt exiſtimatæ.

Dicor, putor credor, exiſtimor, nuncior, iubeor, & ſimilia bis.

De uideor tamen dicere oportet, ita etiam loqui ueteres cõſueuiſſe; Comites accipiam quos mihi uiſum erit. Amicos accerſam quos mihi uidebitur. Cicero in Verrem; Octauio & C. Cottæ Cens. Senatus permiſit ut uini & olei decumas, & frugum minutarum, quas ante Quæſtores in Sicilia uendere conſueſſent, Romæ uenderent, legemq; quam ipſis uideretur edicerent. Pro C. Rabirio; Fit Senatus conſultum, ut C. Marius, L. Valerius Conſules, adhiberent Tribunos, & Prætores, quos eis uideretur. T. etiam Liuius; Mitterentque, quem ipſis uideretur, quoad Minutius conualuiſſet. Non tamen liceat hoc, ſi uerbum paſsiuum antecedat. Quod ſi occurrat, per nominatiuum loqui opus erit, ut; Legentur iudices qui tibi uidebuntur. Atticorum eſt enim hoc loquendi genus, unde id nos mutuati ſumus. Etenim habet hoc ſermo illorum patrius ut referendi pronomen ad caſus antecedentium nominum ſæpius accomodet, ut; ἐμάθετε ἐκ τῶν λόγων, ὧν ἐπέμψαμεν ὑμῖν. Quando igitur poſtremo in exemplo nominandi caſus eſt ex natura uerbi, ſequi poſt illum accuſandi non debuit, immo etiam, ſi quod pronomini aliud addatur nomen, aut uerbum, omnino tum uitabimus hunc loquendi morem, ut; Aduocabo qui mihi fideles uidẽbuntur: Accerſam qui mihi ſemper uiſi ſunt patriæ eſſe ſtudioſi.

Noua tractatio huius uerbi uideor.

Verba neutra ut ſeparari debeant à uerbis agẽdi.

Neutra autem uerba rectè ſeparanda ſunt ab actiuis. Ac primum uerba omnia multifariam inter ſe differunt. Alia enim hominum ſunt in homines ut amare, docere. Alia hominum in belluas ut equitare, frenare, mulgere, domare. Alias in res inanimes ut arare, inſerere, putare, ſcribere, diſcere, cœnare. Alia in rem nullam aliam, ut caneſcere, ſeneſcere, exulare, iuueneſcere, repueraſcere, ſternuere, lacrimare. Alia non hominum ſunt, ſed rationis expertium, ut repere,

re,uolare,mugire,hinnire, balare. Alia ſenſu carentium, ut florere,
gemmare,ſyluescere. Alia omnium animalium ut uigilare,uiuere,ſi
tire,dormire,eſurire,quieſcere,accedere,diſcedere,uenire. Alia re-
rum omnium,ut eſſe,conſtare, ſubſiſtere. Alia rerum occultarum,
nullamq; in rem aliam aliquid agentium, ut fulminare, pluere, ſere-
nare. Alia rurſus hominum ſunt quidem in homines & in res alias,
ſed ita ut accuſatiuum habere non poſsint, ut egere, abundare, me-
miniſſe,occurrere,ſeruire,prouidere,ſatisfacere,obtemperare. Ex
his igitur quæ dicta ſunt,uerè ac propriè ſi rem cõſtituere uolumus,
primo loco poſita, ideſt quæ hominum in homines eſſe diximus,uer
ba eſſe actiua exiſtimabimus. Reliqua uerò,equitare,ſeneſcere,mu-
gire,uiuere,manere,ſubſiſtere,egere, meminiſſe, pluere, ſeruire, &
quæ iam enumeraui,& ſimilia ijs omnia inter neutra ponemus. Ge-
nere tamen aliquo figuræ, aut hæc pro actiuis, aut illa pro neutris
uſurpantur,ita prope quemadmodũ neutra ipſa ac deponentia,ſine
figura tamen ſibi mutuo ſuccedũt. Sæpiſsimè.n.uel ſine caſibus acti
ua (ut ante iam dictum eſt) loco ſunt neutrorum,uel quùm ſermo
rebus mutis tribuitur paſsiuam ſignificationem accipiunt neutra,
primæ perſonæ ac ſecundæ quod proprium eſt uerbi actiui. Sunt au
tem neutra,quædam natura,quædã uetere doctorum inſtituto. Nam
uiuere,ſedere,quieſcere,uolare,domire,& huiuſmodi omnia, illud
habent inſitum naturaliter, de quodam, aut quibuſdam dici ut non
poſsint. De quodam enim,aut quibuſdam dici putat M. Tullius,quę
κατηγορήματα ſcribit à græcis eſſe nominata, ut habere diuitias,ca
pere honores à quibus longiſsimè hæc abſunt, quorum, uis actioq;
extra manare ad aliud non poteſt. Multo minus poteſt illorum,cale
re,frigere,tepere,luceſcere,aduesperaſcere,nigricare, albicare,hor
rere,gaudere. Hæc & ſuperiora,uiuere,quieſcere,uolare, incedere,
dormire, ſimiliaq; his, Priſcianus & antiqui homines docti quibus
ego aſſentior propriè dici neutra crediderunt: Exiſtimauere igi-
tur non unius hæc eſſe generis,hoc eſt non eiuſmodi, quorum unus
tantũ ſit gradus naturæ,ſed alia magis, alia minus eſſe neutra quum
uiderent, his poſtremis propriè id nomen dederunt. Ex oĩbus enim
quæ ante recitaui generibus minimum habent huius naturæ, equita
re, frenare,ſcribere,mulgere,legere,domare,inſerere, arare, diſce-
re, putare; paulo uerò plus egere,abundare,meminiſſe,occurrere,
ſeruire,obtemperare,pluere, fulminare: plurimum deniq; illa quæ
propriè neutra ſunt exiſtimata,ad caneſcendum, ſeneſcendum, exu-
landum,frigeſcendum,caleſcendum,uiuendum,dormiendum,quie-

ſcendum huiuſmodiq; actiones ἰδιωπαθεῖς uel ad ſubſiſtendum pertinentia, quę ὑπαρκτικὰ dicuntur ut Sum Exiſto Fio. Ac de neutris quædam actiua fieri ſolent, præſertim à poetis, ut;

Incubuere mari totumq; à ſedibus imis
Vna Eurusq; Notusq; ruunt.

Contra ex actiuis neutra, ut;

Auertens roſea ceruice refulſit:

&

Prora auertit & undis
Dat latus

&

Iam nox humida cœlo
Præcipitat,

His accedunt arare, inſerere, cœnare, texere, ædificare quorum prima perſona ac ſecunda, per naturam nequit uocem aut ſignificationem habere paſsiuam. Illa uerò ſunt inſtituti, egere, abundare, carere, meminiſſe, indulgere, fauere, ſtudere, ſeruire. Nulla enim ratio naturæ antiquitati obſtare potuiſſet, quin his accuſatiuum darent, ſi placitum fuiſſet; quæ rectè à ſuperioribus oportet habere diſtincta. Sunt præterea quæ referas ad naturam, adeſſe, deeſſe, abeſſe, item exire, diſcedere, certare, migrare, abire, redire. Sed uenio ut ſingulis horum de generibus dicam.

Primum neutrorũ genus. Primum genus neutrorum ſubiectum habet nominatiuum, loco attributi uerò, aut nihil, aut aduerbium, aut ſiquid aliud eſt pro aduerbio, aut nomen adiectiuum, ut Agamemnon dormit. Catilina uixit ſceleratè. Idem occidit cum turpitudine. Marcellus exulat in Græcia. Gabinius uixit infamis. Exemplum ſumere his de paucis licebit. Viuo, uiuis, uixi, uictum, Sum, es, eſt, fui, Dormio, dormis, dormiui, dormitum, Quieſco, quieſcis, quieui, quietum, Vigilo, uigilas, uigilaui, uigilatum, Exulo, exulas, exulaui, exulatum, Volo, uolas, uolaui, uolatum. Addi huc poſſunt etiam, euadere, occidere, laborare, tacere, ſedere, ruere, ſudare, quæq; ſunt id genus: itē coruſcare, fulminare, fulgurare, ningere, tonare, pluere, rorare, ſerenare, luceſcere, aduesperaſcere. Etſi.n. aliquando pluere lapidibus, aut pluere ſanguinem boni auctores dixerint, cæteris tamen rem ullam caſu aliquo perquam raro uidemus eſſe attributam.

Secundum. Secundum genus habet pro attributo genitiuum, ut res indiget conſilij. Pomponia meminit iniuriarum. Memini, meminiſti, meminit, Satago, ſatagis, ſategi, ſatactum, Egeo, eges, egui, Indigeo, indiges,

ges,indigui. Verũ duobus egeo, & indigeo damus neſcio an, etiam ſæpius ablatiuum. Alijs uero,careo, affluo, exubero, abundo, niſi ablatiuum dare caſum non poſsis ullum. Exempla ſunt nota omnibus. Memini etiam ſæpe habebit accuſatiuum. His in uerbis omnibus rectè uidendũ eſt quis,& qua re abũdet,uel careat,ut ſuo quidq; caſu locetur. Nam ſi (exempli cauſa) per careo loquendum ſit,perſona uel res cui deeſt aliquid eſſe debet caſu nominatiuo, ut epiſtola caret ornatu. Hoc non propter aliud monendum fuit, niſi quod qui nunc primum latinè docentur, hæc duo non ſatis uident aliter in careo atq; deſum poni debere, & omnino his in uerbis omnibus tractandis aliquid offendunt. Quod ſi in oratione ſit aliquod ex uerbis huiuſmodi debeo,poſſum,cœpi,incipio,deſino,ad hęc illũ quem dixi nominatiuum accommodabimus, uerba autem ſecundi huius generis inclinabimus ad infinitum. Dicimus enim; Facultates defuerunt mihi, &; Ego carui facultatibus. Tu egebis conſilij mei, &; Tu incipies egere conſilij mei.

Tertium uerò datiuum, ut; Seruiam commodis tuis. Tu obtemperabis uoluntati & conſilio meo, Seruio,ſeruis,ſeruiui,ſeruitum, Placeo,places,placui,placitũ, Studeo,ſtudes,ſtudui, Noceo,noces, nocui,Conſulo,conſulis,cõſului,conſultum, Occurro,occurris,occurri,occurſum. Ex his paſsiua fiunt ſolũ perſonæ tertiæ numeri ſingularis,id quod ſeruant oĩa,quibus apponitur datiuus, ut; Illi repugnatum eſt ab uniuerſis. Gloriæ inuidetur ab improbis. Studioſis detrahitur à nequã hominibus;quod tamen paſsiuorũ genus grãmatici nominãt imperſonale, quoties hic contra quã in alijs uerbis fit, id quod patitur,caſu datiuo poſitum neq; numeris neq; perſonis cõuenit cum uerbo, quod uerbum numero unitatis & perſonæ tertiæ ſemper eſſe debet, ut mihi ſeruitum eſt ab hominibus. Sed præter hæc quæ recitaui,quæq; ſunt his ſimilia hunc eundem in modum tractantur,inſum,interſum,deſum,ſubſum,ſuperſum,& huiuſmodi omnia à ſum compoſita excepto abſum. Conſulere eſt hic proſpicere ac prouidere, in primo autem genere actiuorum,ab alijs conſilium petere. *Tertium.*

Quarto ſubijcimus nominatiuum, attribuimus accuſatiuum,unde inſerere uineam dicimus,inſerere ficus,aut arbores,arare agrum, bibere aquam frigidam. Verba ſunt huiuſmodi, Aro, aras,araui,aratum, Sero, ſeris,ſeui,ſatum, Inſero,inſeris,inſeui, inſitum, Bibo, bibis, bibi, bibitum, Cœno, cœnas, cœnaui, cœnatum. Horum paſſiuas fieri tertias perſonas tam ſingularis numeri quam pluralis, *Quartum*

 notum

notum eſt omnibus, ut; Seritur uinea, inſeruntur ficus, & arantur agri ab iniuſtis poſſeſſoribus. Quædam huius generis uerba præteritum habent quemadmodum paſsiua, ut prando prandi, & pranſus ſum, Cœno, cœnaui & cœnatus ſum, iuro iuraui & iuratus ſum, poto potaui & potus ſum, odi perofus & exoſus ſum. Etiam ſuperioris atque aliorum generum, ut placeo placitus ſum & placitum eſt uel fuit.

Quintum. Quinti generis uerba quæ ἰδιωπαθῆ nominantur, etſi cadant illa quidem in ſyllabas poſtremas, ut cætera uel neutra, uel actiua, uim tamen atq; intelligentiam ſeruant paſsiuorum. Quamobrem quod hic patitur nominatiuo, ſiquid eſt quod agat ſoli dandum eſt ablatiuo. Nam dicimus non raro aliquid turgere uento, frigere bruna, calere uino. Vſitatiſsima uerò atq; in ore omniũ eſt illa tranſlatio uerborum, florere liberis, opibus, eloquentia. Item ingenio, ætate, uiribus, nobilitate, ac rebus oĩbus. Hic aiunt, ſcrupuloſius quidem, ſed tamen aiunt eorum gratia qui docendi ſunt, primũ eſſe debere nominatiuũ rei aut perſonæ patientis, qui numero & perſona conueniat cũ uerbo, deinde agentem ablatiuum, ut; Humus incaleſcit ſole. Prӕterea illud addunt, ſi his uerbis ea ſubijciantur de quibus dictum eſt ſupra in paſsiuis, conſueſco, debeo, ſoleo, incipio, deſino, poſſum, cœpi, & quæ ſunt uel ab his, uel huiuſmodi naturæ ad hæc debere nominatiuum illum patientem accommodari, & loco tertio eſſe huius generis uerba modi infiniti, ut; Humus incipit caleſcere. Arbos deſijt florere. Prata incipiunt uireſcere. Pauca ſint loco exempli quæ ſequuntur, Caleo, cales, Frigeo, friges, Tumeo, tumes, Tepeo, tepes, Floreo, flores, Cum his eiuſdem ſunt naturæ gaudeo, mœreo, pingueo, macreo, rubeo, uireo, areo, tepeo, albeo, nigreo, palleo, turgeo, ſplendeo, calleo, ardeo, ferueo, frõdeo, horreo, ſtupeo aliaq; huiuſmodi: à quibus fiunt caleſco, frigeſco, ſtupeſco, tumeſco, frondeſco, tepeſco, unde ſunt præterita calui, horrui, frigui, ſtupui, tumui, frondui, tepui. Illa enim unde ſunt hæc præteritum non habẽt ut ſuperiore libro docuimus. Significant illa planè calidum, aut frigidum, aut tepidum eſſe, hæc autem non eſſe iam, ſed fieri, & quemadmodum luceſcere & ueſperaſcere, rem perpeſsionemq; ſemiplenam & inchoatam demonſtrant, ut Cicero de adoleſcente adhuc Cælio quum loqueretur, cum nunc primum floreſcentem dixit, firmata iã ſtirpe uirtutis. De natura deorũ libro ſecũdo; Maria agitata uentis tepeſcunt. De claris oratoribus; Hortenſio floreſcente, Craſſus eſt mortuus. Neq; falſi ſunt ueteres grammatici hæc uerba

nominantes

nominantes inchoatiua: qua de re quid mihi uideretur proximo ſuperiore libro explicaui. Sunt ex his plurima à neutris, ut quæ iam dixi frigeſcere, tepeſcere, caleſcere, illuceſcere, ferueſcere, concreſcere, edormiſcere: Sunt ab actiuis, quædam ſignificatione actiua, ut extimeſcere, pertimeſcere; quædam neutra, ut augeſcere, dureſcere. Sunt etiam à nominibus, atq; ijs uel adiectiuis, ut crudeſcere, euaneſcere, flaueſcere: uel ſubſtantiuis, ut frondeſcere, ſylueſcere, lapideſcere, tabeſcere, iuueneſcere, ſeneſcere, repueraſcere, fraceſcere, & alterius formæ cuiuſdam albicare, nigricare, & unde uiridans fecerunt poetæ uiridare: & glaciare, ut M. Tullius de natura Deorum; Tum aquæ, declarat effuſio, quæ neq; conglaciaret frigoribus, neq; niue pruinaque concreſceret: item flagrare, deflagrare, conflagrare, quibus adiungere poſsis etiam exultare, ægrotare, & fragrare, ut;

-Redolentq; thymo fragrantia mella.

Sunt etiam ex tribus his quibus dixi generibus, adoleſco, cõualeſco, ægreſco, crebreſco, clareſco, rareſco, rauceſco, ſplendeſco, ſordeſco, liuideſco, hiſco, fathiſco, illuceſco, tenebreſco, obmuteſco, reuiuiſco, quieſco, uileſco, putreſco, ardeſco, liqueſco, grandeſco, arboreſco, pigreſco, lenteſco, labaſco, herbeſco, pubeſco, incurueſco, igneſco, gemmaſco. Nunc uerò duo non prætermittã. Vnum rei quæ agit, contra atq; grammatici recentes quidam præceperunt dari nõ poſſe accuſatiuum ex ui præpoſitionis Ob, uel Propter. Alterũ animatam eſſe rem eandem quæ agit, minime oportere: quæ ſi occurrat, neceſſe erit hæc uerba in uocem ac ſignificationem conuertere actiuam ſiqua huiuſmodi ſunt in conſuetudine loquendi, calefacio, frigefacio, tepefacio, aut in paſsiuam calefio, frigefio, tepefio, conſuefio. Nec aliquid eſſe uolo quod ex Horatio contra nos grammatici quidam nimis prafactè afferre ſolent;

Nec tenerum Lycidam mirabere quo calet iuuentus
Nunc omnis & mox uirgines tepebunt,

& ſimiles neſcio quos eodem ex poeta locos. Sexcenta ſint enim, & mille eiuſmodi exempla, non attingunt quod ſe efficere arbitrãtur. Non enim Lycida puero iuuentus calet, nec aliquid ab eo caloris accipit, eius uidelicet quem ſimpliciter, & non translatione uerbi calorem nominamus. Eſt.n. puero Lycida iuuentutem calere, perinde atq; ſi amore Lycidę pueri dictum eſſet. Vero autem de calore quo à Lycida puero quis afficiatur, ſciamus hunc poetam, aut ullos denique auctores minime fuiſſe dicturos.

Sextum. Sexti quoque ut proxima, ſuperiora uoce ac forma ſunt neutrorum, intellectu ac ſignificatione paſsiuorum. Datur his dumtaxat nominatiuus perſonæ aut rei patientis, aliqua ſæpe uel perſonæ alterius, uel pretij, inſtrumentiue mentione addita. Rem uerò hæc, aut perſonam agentem non habent unquam. Nubo,nubis,nupſi,nuptum, Liceo, lices, licui,licitum, Veneo,uenis,uenij,uenum, Vapulo,uapulas,uapulaui, uapulatum, Ad Atticum Cicero de Pompeio,ſcripſit; Se omnium ſermonibus ſentiet uapulare. De natura Deorum; Venus nupſit Vulcano. Duo ad hæc uerba licere & uenire ſi pretium accedat, eius ratio tractandi erit eadem quæ in genere ſecundo fuit actiuorum. Vni autem hæc uerba generi ſubiecta ſunt, non quia tractatione quemadmodum cætera conueniant, ſed quia tantum (ut dixi) forma, & ſignificationis genere ſint ſimilia.

Septimum. Septimi omnia ad motus pertinent, uel de loco, uel per locum, uel ad locum, uel uſque ad locum, uel deniq; uerſus locum, qualia hæc ſunt, Eo,is,iui,itum, Redeo,redis,rediui,reditum, Exeo,exis, exiui,exitum, Tranſeo,tranſis, tranſiui,tranſitum, Venio,uenis,ueni,uentum, Item diſcedo,recedo,reuerto,accedo,& quæ ſunt id genus. Diſcedere ab amicitia dicimus, diſcedere ab urbe, diſcedere à conſilio & uoluntate patris, à uilla, ab agro, ab hortis, ab inſtituta uita,à bonis moribus. Per locum uerò quale Terentij illud eſt.

Atque per alienas tegulas
Fucum factum mulieri, ueniſſe per impluuium clanculum.

Ergo præpoſitio per, ad hoc ſignificandum idonea eſt, quæ tamen huic uerbo tranſire non ſæpe neceſſaria eſt. Suam enim habet ſibi coniunctam præpoſitionem,ut ſine accuſatiuo eſſe non poſſit,quomodo etiam adire,inire,preterire,circumuenire,anteire. Duobus enim modis accuſatiui præpoſitionibus iunguntur, uel per appoſitionem, quemadmodum grammatici loqui ſolent, ut redire in patriam,uenire ad urbem, uel per compoſitionem, ut illo quoq; eſt in Virgilij uerſu,

Ipſe rotis ſummas leuibus perlabitur undas.

Dicimus ergo tranſire alpes, mare, terras, flumina, Cicero in Piſonem; Quum mare uaſtiſsimum hyeme tranſibas. Quamuis tranſire Alpes,non idem ſit omnino,quod ſiquis dicat,per Alpes iter facere, & apertius diſcrimen fiet ſi dicamus tranſire urbem,tranſire montẽ, quod fieri poteſt etiam ſi ultra ea loca progreſſus,nec ad urbem tamen,nec ad montem propè acceſſeris. Per campum uerò uel per ſyluam

uam ſi iter à te factum ſit, aliquam ſyluæ partem, uel campi uiam tibi fuiſſe neceſſe eſt. De natura Deorum libro ſecundo; Quum idem pomœrium tranſiret. Sæpe tranſire etiam ſine caſu, ut ad Atticum libro ſeptimo; Quum legis dies tranſierit, rationem haberi placet? Ad locum uerò quum aliquid mouetur, utendum eſt accuſatiuo caſu cum præpoſitione Ad, uel In, ut tranſeo in Epirum, accedo ad urbem, redeo ad uillam, eo ad exercitum, ad Cæſarem, ad Imperatorem. Cæteris motibus qui reliqui duo ſunt, itidem accuſatiuus datur, ut Galliam uerſus, Mutinam uerſus, quale Ciceronis illud eſt ad Curionem; Quum te iam ex Aſia Romam uerſus profectū eſſe conſtaret. De diuinatione libro primo; Exercitu luſtrato quū Aretium uerſus caſtra mouiſſet. Item uſq; ad mare, uſq; ad nemus, uſq; ad montes, uſq; ad ea loca, uſq; ad tempus nuptiarum. Dicimus etiam uſq; à, & uſq; ab, quū de loco, uel perſona, uel tēpore motum ſignificare uolumus, ut uſq; à Thalete enumeraſti ſententias philoſophorum. Accuſatio Pompeij uſq; à toga pura. Vſq; à mari ſupero, Romam proficiſci. A Brunduſio uſq; Romam uidi: quæ ſunt M. Tullij exempla. Terentius in Eunucho.

Ex Aethiopia eſt uſq; hæc.

Virgilius in ſeptimo.

-Siculo proſpexit ab uſq; Pachinno.

Octaui generis, neutro paſsiua grammatici nominauerunt, illa ratione moti, quod in præteritis perfectis, ac cæteris temporibus, quæ ſunt ab ijs declinata cadunt ſimiliter atque paſsiua ut; Gaudeo, gaudes, gauiſus ſum, Soleo, ſoles, ſolitus ſum, Fido, fidis, fiſus ſum, Confido, confidis, confiſus ſum, Audeo, audes, auſus ſum. Diſponuntur hæc uarie. Non tractandi.n. ſed præteritorum ſimilitudine ſola factum eſt, ut unum ad genus referretur, Soleo.n. aliud uerbum poſtulat modi infiniti, ut; Vt qui mentiri ſolet, peierare conſueuit. Audeo uel infinitum, ut auſus eſt confiteri, uel accuſatiuum, ut T. Liuius de Horatio; Rem auſus, plus famæ habiturum ad poſteros, quam fidei. Verum arbitramur hoc præciſe ab auctoribus dici ſolere, ut planè ac perfectè, rem auſus facere, tentare, aggredi, aut cogitare dicatur, quemadmodum in Eunucho Terentius; *Octauum.*

Hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum?

Gaudeo, uel ablatiuum, ut; Gaudeo tuo iſto, tam excellenti bono: uel infinitum, ut; Gaudeo tibi iucundas eſſe meas literas. M. Cælius ad Ciceronem aliquando ſcripſit gaudere gaudium, ut gaudere dolorem, quod non miramur, ut nec uiuere uitam, ſeruire ſeruitutem,

obire mortem, & huiuſmodi plurima, quum præſertim illud prius Terentianum habeat auctorem, ut;

Hunc ſcio mea ſolide ſolum gauiſurum gaudia.

Sæpe eum Quod, aut Quoniam, aut alia coniunctione, ut; Quod ex morbo conualueris, gaudeo. Duobus autem fido, & confido apponitur uel datiuus, ut confido cauſæ, uiribus, ætati; uel infinitus, ut; Confido illum cras eſſe uenturum. Confido rem eſſe ut uolumus; Quandoq; ablatiuus, ut pro Sext. Roſcio; Sed ego cōpia, & facultate cauſæ confiſus, uide quo progrediar. Cæſar de bello ciuili; Maſsilienſes, & celeritate nauium, & ſcientia gubernatorum confiſi, noſtros eludebant. Idem; Caſtrorum propinquitate confiſi. Tranſeo, ut breuiter, ijs de uerbis aliquid præcipiam quæ deponentia à grammaticis nominantur. Nam de communibus nihil uideo poſſe dici utilius, quam ut rectè commonefiant ſtudioſi latinitatis, ſignificationem illis paſsiuam non ſæpius omnino quam ipſis deponentibus eſſe datam. Cauendum igitur nequid in his fiat inſolenter, & (quod uideo fieri à multis, & poſitum in præceptis) ab oratorum uſu, & latini ſermonis conſuetudine diſcedatur. Nam quod uador, quod amplector, quod interpretor, quod cætera huiuſmodi loco paſsiuorum accepta aliquando uideamus, non ſtatim id quod tam rarò fit ad loquendi præcepta referre oportebit. Et profectò ut M. Tullius memoriam dixit Bruti teſtatam, & ſenectutem adeptam, & auſpicia ementita, & Terentius incommoda meditata, & Virgilius carmina oblita, & Horatius bella deteſtata, & plura illis quæ tam multa Priſcianus, Aulusq; Gellius colligit, ſic pauca etiam illa quæ communia uulgo dicuntur, non ſæpius quam hæc, paſsiua ſignificatione inueniuntur eſſe donata, & quod maximum eſt, eloquentiſsimi auctores quidam ſignificationem ijs paſsiuam non dederunt unquam. Itaq; uerborum, quatuor prima genera fecimus, quum ſupra, ea de re diſputatio nobis eſſet. Nec obſeruatio nos antiquitatis modo quæ prima eſſe debet, ſed uetuſtiſsimorum quoq; grammaticorum ac doctiſsimorum hominum auctoritas in hanc ſententiam induxit. Soſipater enim Cariſius, & ipſe ita ſenſit, & alijs quibuſdam antiquioribus ita placere ſcripſit, non plus quatuor eſſe genera uerborum, agens, patiens, neutrum, commune. Nam deponentis nomen tacuit, proq; eo commune ſubſtituit. Ac ne ego quidem arbitror intereſſe aliquid utrum ex his duobus, nomen auferri, utrum retineri uelimus. Modo ſit enim, communibus deponentibusq; uerbis non diuerſa, ſed una eademq; natura, nulla à me fiet cuiquam de nomine

Longiuſcula diſputatione probat uerba cōmunia nulla eſſe.

nomine controuerſia. Ipſe, communium uerborum nomen tacui, quia ſic nominari uidebam à grammaticis uerba, quæ falſo, ui agen di patiendiq; prædita eſſe dicebantur. Aufert autem huiuſmodi à uerbis patientem ſignificationem Cariſius, non ſententia modo uerum etiam dubitatione quadam ſua. De his enim ſic ut iam dixi ſtatutum eſſe uoluit, ſed grammaticorum tamen ſui temporis iudicio, uel potius opinione falſa mouebatur, quibus uidetur non mul tum repugnare uoluiſſe. Affert enim de ſcriptis quorundam, gene ra uerborum tria, agens, patiens, &, quod illis temporibus nouato nomine habitiuum dicere uſurpareq; ſolebant. Ad illam uerò quam dixi ſententiam de quatuor generibus uerborum ſic acceſsit, ut alio rum quoq; doctorum hominum ea de re ſententias probaret, communeq; genus, ideſt patientem ab eo ſignificationẽ tolleret. Quamobrem fortaſsis illud ſtatuere poſsimus, nomen quidem uerbi communis, olim à doctiſsimis etiam latinæ linguæ doctoribus introductum fuiſſe, idq; non paucis uerbis quæ grãmatici putant, ſed quam plurimis etiam deponentibus eſſe datum, quibus alij, quia ſic tum latinitas ferret, alij quia antiquitatem amarent, patiente etiam in ſi gnificatione uterentur. Quæ enim ratio horum uerborum, qui uſus quondam fuerit, & nos legimus quotidie, & homines doctiſsi mi qui latinam linguam ante mille quingentos annos docebãt, ſuis in literarum monumentis teſtatum reliquerunt. Qui poſtea igitur ſunt inſequuti nomen id uerborum communium, fortaſſe etiam à Nigidio, aut Varrone, aut nõ multo poſt à doctis inuentum, ad pau ca illa ſua uerba pertinere arbitrati ſunt, inque his patientem ineſſe ſignificationem, publica etiam, & quotidiana in conſuetudine ſermonis, certam noſtraq; ſola in uoluntate poſitam crediderunt. Cõtra autem Cariſius, tametſi noluerit contentioſè in grammaticos diſputare, tamen illud uidit, nullum diſcrimen inter hæc duo genera uerborum optimos oratores ac poetas quondam feciſſe, & communia à ueteribus, deponentia quoq; eſſe nominata, quibus poſtea, quum dari ſignificatio deſita eſt patiendi, non eſt cur nos contra Romanè loquendi rationem, uerba communia teneamus, quando ne illi quidem ipſi qui hæc defendere conantur ſatis audeant ſic lo qui; ego amplector à te, niſi quatenus ægrè dici permiſſum eſt; Crimen confitetur à reo. Tollamus ergo nos hunc de latino ſermone errorem, ſintq; uerba hæc non duorum ſed unius tantum generis, & per me quidem, quod reliquum eſt genus altero ſublato, appellet quiſq; ut uolet, modo ne erraſſe me exiſtimet, quod potius depo-

nentium

ponentium nomen ſeruauerim. Illud iuuenes admoneri debent his utriſq; in uerbis, quæ nobis unius eſſe generis placuit, uim ſignificandi paſsiuam, non uſus quotidiani, ſed auctoritatis eſſe ueterum, & núc doctis tantum hominibus eſſe permittendam. Etenim Priſcianus qui hac de re pluribus uerbis diſſeruit, præter illa quibus hodie, nemo audeat uim dare patiendi, conſequor, dignor, aggredior, aſpernor, argumentor, arbitror, & quam plurima ſimilia his, inter communia poſuit etiam auxilior, adminiculor, adulor, abutor, polliceor, blandior, dominor. Vtrum priora, an hæc potius ex natura uel uſu ui patiendi eſſe prædita exiſtimas? Præterea etiam is, & eorum quæ iam dixi, & eorum quæ tu putas eſſe communia, auctorem ſæpe nominare uix poteſt ullum, niſi Lucilium, Caſsium, C. Fannium, Fabium Maximum, Catonem Seniorem, Q. Ennium, Cæcilium, Aſinium Pollionem, Appium Cæcum, P. Aufidium, Siſennam, Q. Pompeium, C. Graccum, C. Memmium, M. Axium, pluresque alios quorum tu nec legiſti quenquam, & ſi legiſſes, longe maior diſputatio tibi mecum futura eſſet. Nunc uerò ſtultè miramur patiendi ſignificationem, uerba quæ dixi habere aliquando, ſi ignorare non debet quis, eadem omnia inter neutra quondam fuiſſe numerata. Fuerint enim paucißima quædam ſemper uoce patiendi: nihil hoc repugnat noſtræ doctorumque hominum ſententiæ, & latinitati. Nam Varro aliquid hac de re quum diſputaret illud ſcripſit, loquor & uenor non habere contraria, quemadmodum legor & amor, quibus oppoſita ſunt lego & amo. Credendum eſt Varroni loquor & uenor, inter neutra non fuiſſe unquam: immo alia crediderim iam inde à priſcis etiam latinis ſimiliter atque duo hæc, tantum ex ijs fuiſſe, quæ deponentia dicuntur. Sed quæ nam illa ſint, neque ex magno numero, neque facillimè poſsim demonſtrare. Grauiſsimus enim linguæ latinæ doctor Nonius Marcellus oſtendit hæc deponentia, uoce prorſus neutrorum dicta eſſe, aucupare, refragare, auſpicare, augurare, cunctare, contemplare, non ut hodie aucupari, refragari, auſpicari, augurari, cunctari, contemplari: eodem illo modo quæ ſimilia ſunt, omnia, arbitrare, criminare, miſerare, proficiſcere, ſortire, moderare, pollicere, populare, luctare, bellare, cohortare, impartire, complectere, ominare, paciſcere, conuiuare, imitare, miſerere, opinare, promerere, naſcere, opitulare, recordare, potire, præſtolare, tutare, oſculare, mirare, congredere, uagare. Vtitur eius rei auctoribus non Turpilio

ſolum

ſolum, Actio, Ennio, Pomponio, Pacuuio, Næuio, Siſenna, Liuio, Andronico, Titinnio, Quadrigario, ſed Varrone etiam Plauto, & M. Tullio, ut mirandum non ſit, hæc omnia in uetuſtis auctoribus, patiẽdi uoce etiã & ſignificatione legiſſe Priſcianũ. Quare ad noſtrã quoq; ætatem, quibusdam in auctoribus aliqua ex his eodem uſu patiendi peruenerunt, ſed ita prorſus ut quemadmodum dixi, multo rariora atque duriora ſint in hoc genere ſignificandi quæ communia quam quæ deponentia uocantur. Ego denique ne quos in errorem ac difficultates conijcerem, uolui potius ea, inter deponentia quarti generis collocare. Hæc uerò ſunt in eadem penè genera diſtributa, in quæ neutra diuiſimus, ut cui nota ſint quæ de illis iam dicta ſunt, is de ratione tota deponentium dubitare non poſsit.

Deponentia autem κατὰ ἀντίφρασιν quod non deponat unquam à fine, liquidam poſtremam, Soſipater idem eſt auctor, ut largior, ſequor, amplector.

Horum primo generi, loco ſubiecti & attributi, ea dantur omnia, quæ primo neutrorum, ut Varro philoſophatur. Ego iocor tecum. Lucullus ruſticatur in Tuſculano. Sunt autem uerba id genus pauca, ut peregrinor, philoſophor, ruſticor, morior, iocor, luctor, gladior. Quædam præterea utranq; formam ſeruant, ut in poſtremas tam actiuorum quam deponentium ſyllabas terminentur, aſſentio & aſſentior, mutuo & mutuor, pignero & pigneror, obſono & obſonor, medico & medicor, populo & populor, ſtabulo & ſtabulor, & huiuſmodi quædam alia. *Primum genus deponentium.*

Secundo, genitiuus, ut recordor conſuetudinis antiquæ. Cæſar obliuiſcitur iniuriarum. Miſereor alienę calamitatis, tametſi his duobus obliuiſci & recordari tribui ſoleat etiam accuſatiuus, ut; Curio totam ſubito cauſam oblitus eſt. Pueritiæ memoriam recordari ultimam. Alijs quibuſdam ablatiuus, ut; Vtor diu conſuetudine ueſtra. Fruor ſermonibus amicorum. Diu tu abuſus es patientia mea. Habebant omnia hæc apud ueteres accuſatiuum. *Secundum.*

Tertio, datiuus, ut; Boni ciues opitulati ſunt reipublicæ. omnes homines aduerſantur cupiditati tuæ. Hoc ad genus referre poſsis, blandior, aduerſor, ſuffragor, opitulor, auxilior, & quæ ſunt huius naturæ. *Tertium.*

Quarto, accuſatiuus, ut ſequor ſententiam tuam. Sequor auctoritatem Platonis. Vlciſcor petulantiam hominis inimici. Verba ſunt hæc, & ſimilia his, quæ ſubiungã, ſequor, confiteor, ulciſcor, aggre- *Quartum.*

dior,

gior, alloquor, nanciſcor, conſolor.

Quintum. Quinto, eadem ferè nominatiui patientis, & ablatiui agentis ratio eſt, quæ generi quinto neutrorum, ut; Appius gloriatur imaginibus maiorum. Brutus lætatur publica libertate. Auia mortua eſt deſiderio tui. Lætor, glorior, indignor, iraſcor, & alia non ualde multa.

Sextum. Sexto, ablatiuus cum præpoſitione, ut; Bellum ex iniuria ortum eſt. Suo quæq; tempore ſtirpes renaſcuntur è terra. Naſcor, orior, renaſcor, & ſiqua ſunt his non diſsimilia.

Septimum. Septimo, accuſatiuus, & præpoſitio idonea ad motus, ut; Proficiſcor ab exercitu. Proficiſcor ad urbem. Ingredior in templum. Egredior è uilla. Reuertor ad ſtudia. Conferenda ſunt hæc ſingula (ut iam dixi) cum ſingulis generibus neutrorum, ut ſimiliter ſcias hæc atq; illa tractari.

Dictum ferè nobis eſt quatuor de ſignificationibus, aut generibus uerborum. Nunc illud fortaſſe requiratur ut imperſonalibus *Verba imperſonalia.* etiam de uerbis aliquid præcipiam. Ac de his ego non quæram ſcrupuloſius utrum dici commodiore loco debuiſſet. Quando autem ad ſuos quæq; generum fontes referri decet, illud à me in principio huius libri factum eſt, ut imperſonalia, actiuæ, paſsiuæq; ſignificationi ſubijcerem. Priora ſunt igitur ut pœnitet, miſeret, altera ut uiuitur, ſtatur.

Primum genus imperſonalium agendi. Primo generi actiuorum, ſubijcimus genitiuum, apponimus modum uerbi infinitum, ut; Omnium ciuium intereſt pacem defendere. Sed meus, tuus, ſuus, noſter, ueſter, & cuius, cuia, cuium. his duobus uerbis intereſt, & refert ſubiecta, caſu eſſe debent ablatiuo & genere muliebri, ut Cicero ad Rufum; Non adſcripſit, quod ſua nihil referebat. Rurſus ad Atticum; Mea magni intereſt, te ut uideam. Pro Muræna; Ea cædes potiſsimum crimini datur ei, cuia nihil interfuit. Huius generis uerba duo ſunt, intereſt, & refert, quibus, aliquando & genitiuus aliorum nominum, & ablatiuus pronominum quæ dixi ex muliebri genere, ſimul dandus erit, quemadmodum ſi dicas; Mea ſolius interfuit redimere patrem. Veſtra omnium refert illud exemplum ſequi. Illud eſt etiam in his uerbis loquendi genus; Valde intereſt ad meam petitionem conſulatus, te adeſſe quam primum. Per magni intereſt ad meas rationes, ut ſtatim reuertare: plurimi ad rempublicam intereſt, ne legationem ſuſcipias.

Secundum. Secundo, datiuum, & infinitum, ut; Metello contigit pugnare. Mihi

Mihi accidit audire. Accidit,euenit,contingit,expedit,conuenit,licet, liquet, uacat, libet, placet, conducit,& multa de tertio potiſsimum genere neutrorum, ad hunc locum translata. Deſinunt hęc eſſe impersonalia, ſi loco infiniti ſequatur nomen, ut; Mihi placet ingenium Platonis.

Tertium. Tertio,accuſatiuum & infinitum, ut; Vos delectat audire. Accuſatorem decet rectè uiuere. Decet, iuuat, delectat, oportet. Tria priora ſi nominatiuum habeant pro infinito perſonalia ſunt, ut; Cæſarem delectant ioca Ciceronis. Voluiſſem ad genus aliquod impersonalium pertinendi etiam, aut ſiqua ſunt alia eiuſmodi uerba accomodare, ſed primum tractatione differunt, ut; Pertinet ad me curare nuptias,deinde numerum habent multitudinis, ut; Nunquam parta à me bona, ad quod ego nolo pertinebunt. Vrbes etiam aut agros pertinere ad Tyberim dicimus, ut partes Italiæ ad Alpes, & regiones quaſdam ſpectare ad meridiem: ſed hoc non magni omnino refert, illud magis impedit, quod præterea aliter atque impersonalia hæc tractantur.

Quartum. Quarto,adiungitur accuſatiuus,& ſi nomen ſequatur,genitiuus, ſin uerbum, modus uerbi infinitus, ut; Neminem pœnitet ingenij ſui. Otioſos homines tædet uiuere. Pudet, tedet, miſeret, piget, pœnitet.

Quintum. Quinto,modus infinitus uerbi alterius imperſonalis coniuncti, quodcunque illud erit, & caſus uerbi eiuſdem infiniti, ut uos aliquando pœnitere incipiet conſilij ueſtri. Mea aut cuiuſquam intereſſe non potuit rem indicare. Philoſophis licere deſijt lauda re uoluptatem, ut; Torquatum debebat miſerere filij ſui. Putidum eſt in re aperta alia inculcare exempla. Incipit, deſinit, debet, poteſt, ſolet. Hæc ſi perſonale uerbum ſequatur,non dubium eſt redire ipſa quoque iterum ad perſonalia, ut Cicero ad Atticum; Conuentus qui initio celebrabantur, iam diu fieri deſierunt. Siquod aliud uerbum huius putetur eſſe generis, id rectè inſpiciendum nobis erit. Hæc enim quinque uerba, cæteroquin neutra, aliorum ſocietate ſola fiunt imperſonalia, quæ præterea pauciſsimorum natura eſt. Atque, ut fortaſſe dicere aliquando conueniat; Noluit erubeſcere. Cupio dolere, & ſexcenta huiuſmodi, minimè tamen hic pro erubeſcendi uerbo, uel dolendi, pudere, aut pœnitere queas dicere. Non modo illud repugnat, quod imperſonale uerbum, cohærere, propter diuerſam tractandi naturam, perſonali cum uerbo non poteſt, ſed ea res etiam impedit, quod huiuſmodi

uerborum (ut generatim omnia complectar) alia ad pertinendum, alia referuntur ad iuuandum, ut intereſt, refert, expedit, conducit, alia ad contingendum, ut euenit, contingit, alia ſunt uoluptatis, decori, neceſsitatis, ut placet, libet, delectat, decet, oportet, alia ſunt animi, hoc aut illo modo affecti, ut pudet, tædet, miſeret, piget, pœnitet, quorum in nullo eſt locus uoluntati, deſiderio, cupiditati; Quis enim eſſe in quoquam exiſtimet, ut eum quoties uelit, pudere, tædere, miſerere, pigere, pœnitere arbitratu ſuo poſſit? Iam ne cætera quidem ſunt eiuſmodi, ut intereſſe, referre, conducere, euenire, delectare, oportere, pendeant ex uoluntate cuiuſquam. Itaque & ſi cupio dolere, cupio erubeſcere, perſonalibus inter ſe coniunctis uerbis, ab eo dici ſolum queat interdum, qui à turpi uita, profligatoque pudore ad bonam frugem cupiens redire, & obtemperantem rationi ſenſum habere non poſsit, communi tamen in conſuetudine loquendi, hoc genus minime uerſabitur. Omnibus de uerbis hæc dicta ſint imperſonalibus, tametſi tertio de genere & quarto ſatis fuerat cauere, nequis ita diceret, quamquam tractatio uerborum pateretur; Nolo pœnitere: Cupio pudere. Duo autem uerba ſimul coniungere, aut plura, quæ diuerſis tractanda ſunt caſibus minime oportet, uni eidem caſui ſubiecta, ut uelle & pudere, cupere & pœnitere, quemadmodum, nec relinquere & opitulari, quod in illo Terentij accidit exemplo;

Si illum relinquo, eius uitæ timeo, ſin opitulor, huius minas:

& in Adelphis,

Quem neq; pudet
Quicquam, nec metuit quenquam, neq; legem putat
Tenere ſe ullam.

Sunt hæ duobus in uerbis diuerſorum generum difficultates. Aliæ ſunt quoties nomen conſequutum, ad alterutrum ex duobus antecedentibus uerbis refertur, ut; Quid nunc? Rogem te ut uenias mulierem ægram, & corpore & animo confectam? Vbi mulier con fecta dici potuiſſet etiam, ut referatur ad ueniendi potius quam ad rogandi uerbum.

Imperſonalia quæ ad pertinent. Paſsiua ſunt, (ut ſupra dictum eſt) itur, uiuitur, ſtatur. Nam uerbi imperſonalis proprium eſt tertiam dumtaxat habere perſonã ſingularis numeris, ut; Nos pœnitet audaciæ noſtræ. Mihi ſeruitur ab omnibus. Tibi ſatisfactum eſt ab uniuerſis. Collocantur hæc in oratione, uel ſola quod plerunq; fit ab omnibus, ut Cicero; Si in Hiſpania turbatum eſſet; uel cum ſuis caſibus, & rei agentis ablatiuo, ut

idem

idem in officijs; Occurritur nobis & quidem à doctis & eruditis, ut Terentius;

Siquid eſt peccatum à nobis, profer.

Cicero ad Lentulum; Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum eſt. Etenim, quæ uerba accuſatiuum reſpuunt attributum, hæc paſsiuum aliud habere non poſſunt ullum niſi imperſonale. Nam ſi dicamus; Ab honeſtate omnes diſceſſerunt. In hac urbe diu homines ſeruierunt. Aequo iure nuſquam uiuunt. Conuertere licet hæc tantum ad imperſonalia, ſi paſsiua facere uolumus, ut; Ab honeſtate diſceſſum eſt. Diu in hac urbe ſeruitum eſt. Aequo iure nuſquam uiuitur. Exemplo ſint hæc pauca pro omnibus. legitur, auditur, inuidetur, dormitur, laboratur, ſeruitur, diſceditur, quæ fiunt omnia ab actiuis, & neutris, præterquam ab ijs quæ ſunt quinti, ſexti, & octaui generis.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. VII.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

DISPVTAT hactenus licuiſſe, & neceſſario factum ut longioribus principijs uteretur. His qui literas docent, ſermonis græci & latini, rethoricæ, dialecticæ, antiquitatis, poeticæ, philoſophiæ, aſtrologiæ, carminis faciendi, & plurimarũ artium ſcientiam eſſe neceſſariam probat. Eos qui in literis uerſari cupiunt, omnes ad ueriſsimum religionis cultum ac ſententiam hortatur. Quartum librum, & ſuperiorem, & hunc ſeptimum uerbo attributum eſſe uoluit. Quamobrem hic de modis ac temporibus uerborum, indicandi, ſubiungendi, aliorumq; modorum differentia, uel communitate, pluribus uerbis, pulcherrimè & maximo cum diſcentium fructu preſcribit. De infinitis, gerundijs, & ſupinis docet multa quæ hactenus fuerant à nemine cogitata. De participijs, & numero participiorum, nouo more, & noua, hac ætate ſententia, ueterum oratorum, & latinitatis perfectiſsimę conſuetudinem, undiq;, magna diligentia perquiſitam tradit.

LONGIORIBVS fortaſſe adhuc uſus eſſe principijs uidebor, nec multum ad ſequentia accommodatis. Tu uerò cogites uelim frater, hoc alijs etiam à doctis hominibus fieri illuſtrium auctorum exemplo conſueuiſſe, & mihi neceſſariam in his libris omnibus cauſam accidiſſe, cur adhibendum hoc principiorum genus eſſe putem. Vt enim de artificio eius rei ineptiſsimum ſit hoc loco diſputare, illud certè quod in uſu uerſatur, ſine præceptis uulgò ab

gò ab omnibus cognitum, omni in genere ſermonis commemorari poteſt, nonnullos græcorum, acutiſsimos etiam dicendi magiſtros, & Saluſtium ex noſtris, cuius tanta eſt in oratione auctoritas, alienis à ſcriptione reliqua, exordijs uſum fuiſſe. Atq; is non caruit laude quanquam ea commemoret ante hiſtoriam quæ ad propoſitæ materiæ nullam partem lumen queant afferre, nos uerò ſermonẽ ijs de rebus introducere ſæpius cogimur, quæ ſummam latinitatis uniuerſæ attingũt. Quid.n.amplius de latinitate ſcribat quiſquam hodie, niſi oſtendat inſanire eos, qui latinitatem ex rebus humanis tollere conantur? Quid iuuentutem ad hoc ſtudium adhorter niſi prius illorum opinione reprehenſa, probem, eſſe hodie innumerabiles, qui ſunt immortalitatem latinè ſcribendo conſequuti? Ne illi quidem nos de latinè & rectiſsimè loquendo ſcribere permittunt, qui ſe philoſophos, medicos, theologos, iuriſconſultos haberi uolunt. Quid? grammaticam, bonasq; literas, à grammaticorum inſcitia ac turpitudine uindicandas non arbitramur? Hoc mihi quùm uehemẽter eſſet laborandum, nec locus foret, ubi cõmodius agi his de rebus poſſet, neceſſariò & ex ueterũ conſuetudine, facere mihi ſum uiſus, ut principia huiuſmodi his libris accommodarem. Itaq; pergam hoc loco illa etiam renouare quæ docti quondam homines, literarum præceptoribus eſſe pernеceſſaria duxerunt. Quanquam ea ne admoneri quidem oportebat quæ per ſe ipſum qui non uidet, is profecto nihil uideat neceſſe eſt. Nam, ſi quiſquam fuit iam inde ab Euandro Rege, aut Latino, aut ſiquid uetuſtius poſſem dicere uſq; ad hanc memoriam, non de oratoribus modo & poetis, ſed omnino alia ſtudia ſequutis, qui ſine literis græcis perfectam ſermonis latini ſcientiam tenuerit, & in numero ſit habitus eorũ qui perfectè ſcripſerunt, ego ſcientijs omnibus obeſſe græcas literas confitebor. Iam uerò ſine artificio dicendi, uel dialecticorum diſciplina, quis aut ipſe uerbum facere, aut oratorem, aut poetam, aut ſcriptorum genus aliquod explicaturum ſe promittat? Non dico morem antiquitatis, obſeruationem uetuſti ſermonis, memorias temporum, artificia poetarum. Nam illa de parte philoſophiæ quæ pertinet ad mores puto ſupervacaneum eſſe dicere quum doctiſsimi ueterum, ſi Varronis, Lucretij, Empedoclis lectionem grammaticus uitare non poſſet, ei neceſſario alteram partem quæ de natura eſt, cognoſcendam eſſe confirmarint. Non ne etiam hiſtorici ſæpius & oratores in loca eiuſmodi incurrunt? An poetarum libri carent philoſophiæ parte aliqua, uel artium cæterarum? Nam de aſtrologiæ ſcientia di-

cendum nihil erat quum & ipſi poetæ & auctores omnes,& ij præcipuè qui de agrorum cultu ſcripſerunt (ut alia plura nō dicā) certe quidem anni tēpora,uel menſiū,uel cæteras partes,obſeruatione ſiderum cognitas, eorundem exortu & conuerſionibus declarant. Oratio autem componi ex arte rhetorum, uſu oratorum, naturaq; ſermonis à quoquam non poteſt, niſi ab eo qui omnia uerſuū genera ex poetis fere omnibus cognita habuerit. Nam ſoluta oratio ſi facienda eſt (ut alijs etiam in rebus) rectiſsimè quid in ea ſequendū fugiendumue ſit cognoſcere oportebit. Porrò autē hæc nihil habet quod à poetica ratione ortum non ſit, nihil ei rurſus ita cauendum eſt ut eadem ratio poetarum. Coniunctam hanc præceptionem uolunt eſſe cū diſciplina muſicorū, quæ ſi ignoretur, ea quæ de metris numeriſq; obſeruatio eſt,rectiſsimè teneri non poſsit. Vbi ſunt igitur qui nullius eſſe negotij grāmaticam tenere & literas latinas arbitrantur? Arripiunt hæc ſtudia quāplurimi nō recto iudicio adducti,ſed falſa opinione multitudinis,egeſtate ac fame impulſi, quod uel iuris uel medicinæ uel maximarū rerum ſcīa deſperata, ex literis oībus aliud nō eſſe breuius iter ad quæſtū ſibi perſuaſerunt. Hi ſunt qui ſe magiſtros literarum dici & haberi uolunt, qui literas & literarum nomen ubiq; turpiſsimū reddiderunt. Vtinā uero cū barbarie ac ſordibus (quod etiā à bene doctis hominibus requiro) ſaltem ad mores ad recteque ſentiendum pertinentia docerent. Dolendū eſt enim teneros ad huc animos,qui ad philoſophiā, ad iura, ad alios docendos,ad gubernacula rerū publicarum,ad regna,ad imperia educantur,domi ad ſuperbiā,ad immanitatem, ad leuiſsimaque omnia inſtitutos,in ſcholis autem uel neglectos omnino uel ad peiora etiam animatos,eò deniq; aſcendere,illa cum peruerſitate opinionū atq; ſenſus,ut nō optime de rebus humanis ac diuinis mereri poſsint. Quare neminē pudeat honeſtatis,morū, pietatis, eaq; in primis doceāt omnes quibus māſuetudo,humanitas,religio,cognitio ſui ipſius,rectiſsimiq; ſenſus informētur. nec alienū putēt ea tradere quæ ſunt omniū prima elementa,uel Deo,Cœlitibus, & Virgini matri præcipue ſupplicandi, uel ſumma de religione ex maiorū, Pontificiſque Maximi auctoritate,ſentiendi. Peſsimè enim in literis operā locamus,dequè ſermone ac lingua, uitia & barbariem tollere conamur,ſi moribus tamen & uita intimoq; ſenſu barbariem immanitatemque ſeruamus. Verum tranſeo nunc ut uerbi quæ ſunt reliqua exponam, & participia ad finem huius libri includam. Ex ijs quæ uerbo adiuncta ſunt quùm ſatis uideamur de coniungationibus,

Quid primo docendū?

bus, de ſpecie, de figura, de perſonis, de numeris, & proximo libro de generibus quatuor uerborum eſſe perſequuti, quæ alia etiã in ſubtiliora quędam genera diuiſimus, reliqua nunc ſunt poſtrema duo, ideſt modi ac tempora de quibus hoc loco diſſeratur. Modos antè poſuimus indicandi, imperãdi, optandi, ſubiungendi, & quem dixerunt infinitum. Doctiſsimi ueterum interque eos Marius Victorinus Afer, his adiunxere etiam promittendi, concedendi, hortandi, percontandi, gerendi, & imperſonalis. Verum ſint hæc illorũ temporum, ideſt artis grammaticæ nondum ſatis conſtitutæ. Nunc uerò nullus dicatur modus, niſi quem diuerſa etiam in tempora diſtribui natura patiatur. Hos tantum Apollonius, hos Herodianus Apollonij filius, & antiquiſsimi græcorum nobis tradiderunt. Vt enim quod ſentio dicam non multa ſunt quæ in grammatica, illiuſque partibus quantumcunque minimis (excepto uſu rectiſsimo latinitatis) quæ offendere nos debeant. Nec eos laudo qui maledicendi cupiditate, & licentia, dum corrigere plurima uideri uolunt illa etiam temerè accuſant, quæ in hac diſciplina M. Tullius quæ M. Varro, quæ doctiſsimi, uel noſtrorum hominum, uel græcorum nobis reliquerunt. Illorum enim auctoritates, uel arrogantiſſimè contemnunt, uel turpiſsimè ignorant. Sed quod ad modos attinet his ipſis, quos & ratio, & ſumme literatorum hominum conſenſus probauit contenti ſimus. Neque illud nobis ueniat in mentem, ut contra atque ij quos iam dixi, modos eſſe pauciores etiã, putemus. Non defuere enim qui optandi modum ſuperuacaneum eſſe dicerent, quod neque uoces, neque tempora omnino habeat niſi eadem quæ ipſa à natura ſubiungẽdi modo ſint attributa. Qua de re mox uiderimus quid reſpondendum erit. His tempora ſubiecta ſunt præſens, præteritum imperfectum, præteritum perfectum, præteritum pluſquam perfectum, futurum. Quinque hæc ſunt quorum nullo caret uel indicandi, uel ſubiungendi modus.

Modi uerborum non plures quinque.

Sunt autem tria per naturam, inſtans, præteritum, futurum, laudo, laudaui, laudabo. Sed præteriti ratio nobis quidem, tripartita fuit. Inſtantis enim, ac futuri uoces, quum ſingulæ ſatis eſſe uiderentur, nec ratio reliqua naturæ nos cogeret (quemadmodum græci fecerunt) quinque, ut uocibus deſtingueremus, præteritum certe fieri prorſus non potuit quin (ut iam dixi) tripartitum eſſet. Neceſſario enim illius actiones, aut imperfectæ ſunt, ut legebas

quum ego ueni, aut abſolutæ ut legiſti oratorem, aut quæ abſolutæ ſunt alias anteceſſere actiones, ut ſcripſeras antequam inaudires. Abſolutis actionibus una tantum uox data eſt quam dixi, nec illud ſibi maiores noſtri uidendum putauere, utrum diu an paulo ante res geſta ſit. Itaque audiui & ſcripſi tempus alterutrum ſignificare poſſunt, quemadmodum ἤκουσα, ἔγραψα, quibus græci tempus indefinitum, ideſt quem uocant ἀόριστον χρόνον dederunt. Verbis tamen quæ patiendi uocem habent non deeſt illud præteriti diſcrimen, laudatus ſum & lauudatus fui, laudatus eram, & laudatus fueram, qua de re plenius infra dicendum erit. Tria præterita abſunt à modo imperandi, duo priora ab infinitatis: nec tamen uno modo abſunt. Infinitatis enim uoce tantum caret præteriti imperfecti, & perfecti temporis, uim tamen ſeruat utriuſque. Nam legere & legiſſe quum dicitur, præteriti imperfecti ſignificatio in priore, perfecti uerò in poſteriore deliteſcit. Modo autem imperandi, neque uocem noſtri homines ullam quæſiuere tranſacti temporis, quemadmodum græci, neque uim ſibi eſſe ualde neceſſariam putarunt. Indicandi facillima ratio eſt ut ex temporum cognitione apparebit. Imperandi autem non ualde in uſu eſt ſecunda perſona temporis inſtantis ex patiente numero plurali.

Vtimini eſt in uſu potius quàm utamini aut utiminor.

Nam legamini & audiamini ubi dicendum erat (id quod Flauius etiam Cariſius aduertit) indicandi potius uoce utimur, legimini, audimini, & à deponentibus etiam ſequimini, fortimini, paciſcimini. Ita enim loquimur uulgò ut Catilina apud Saluſtium; uel Imperatore, uel milite me utimini. Ex uſu auctorum utimini dicimus, quò in loco ex arte utamini dicendum erat: nec magis obuium eſt aliquid in ueterum ſcriptis omnibus. Futurum imperatiui, etſi pro locis uideri poſsit aliquando ad res præſentes referri, non tamen ea ſatis magna cauſa eſt, cur id non futurum putemus. Nam ſi à græcis, imperatiuo, tranſacta etiam tempora aſsignata ſunt, quibus παρακειμένων καὶ ἀορίστων illorum grammatici nomina dederunt, quanto rectius noſtri futurum ei tempus dederunt? Sæpius enim ita poſtulat natura ut rem futuri temporis imperium reſpicere debeat. Rectiſsimè igitur ut omnia Virgilius hæc tempora diſtinxit;

Scribito uel ſcribitote ad futurum tempus pertinent.

Phyllada mitte mihi, meus eſt natalis, Iola,
Quùm faciam uitula pro frugibus, ipſe uenito.

Quare leges etiam uel teſtamenta ſcribentes, quorum ad ſequens tẽpus ſpectat imperium ſic loquũtur, Mulieres faciem ne radunto, neue

neue funeris ergo leſſum habento. Octauius mihi ex dodrante hæres eſto. Bona mea à meis nepotibus ne poſsidentor. Eandem in futuro eſſe uocem perſonæ tertiæ cum ſecunda, uenito tu, & uenito ille, declarat ſenex apud Terentium qui ſic de abſente paraſito loquitur;

Sexcentas perinde potius ſcribito iam mihi dicas.

Imperatiuo autem nulla negatio apud oratores iungi ſolet quod primæ antiquitati ſolum, poetis, atq; hiſtoricis permiſſum eſt, ut;

Ne pete connubijs natam ſociare latinis.

M. Tullius uerò cum alijs quibuſdam ab hac loquendi forma abſtinuit. Pertinet etiam imperatiuus ad orandum, ut;

Vos ò Calliope precor aſpirate canenti.

ad hortandum, ad uetandum, petendum, permittendum, ut optatiuus, & ſubiunctiuus non ad ſolam optandi uim, aut coniungendi. Perſonam primam non habet imperandi modus niſi eam quæ eſt multitudinis quum ad hortandi eſt potius quam imperandi, ut;

Moriamur & in media arma ruamus.

Huic præteritum græci dederunt, & Apollonio differre uiſum eſt

τὸ κλειέσθω ἡ θύρα, τῷ κεκλείσθω

Optatiuus autem ſimilia habet omnia ſubiunctiuo, præſens, illius præterito imperfecto, præteritum, præterito pluſquam perfecto, futurum præſenti; ſed facile hæc ſenſus diſcernit. Illud, primum cognoſcere oportet, quod iam dixi, non optandi uim in optatiuo ineſſe tantum, ſed alios etiam ad motus animi illum pertinere. Optandi quidem ſunt illa;

Atq; utinam Rex ipſe noto compulſus eodem
Afforet Aeneas,

Hic uerò ita modus eſt optandi, ut modum ad ſubiungendi nulla ratione accommodari poſsit. Nam uerbum illud afforet & quæ ſunt rationis eiuſmodi, proforet, deforet, & conforet, & ſimplex uerbum forem, fores, foret, ut ne dicam, omnia hæc, eſſe duriuſcula, ſi modo ſubiunctiuo pronunciare uolumus, id quod uerè tamen poſſem dicere, illud neminem puto inficias iturum, Virgilij auctoritate ac iudicio, de modis uerborum deq; ſermone latino quæſtiones poſſe omnes terminari, nunc uerò afforet Aeneas, tempore præſenti eſſe dictum, & nullum eſſe eiuſmodi uocem ſubiunctiui præſentis neceſſe eſt confiteri. Quid ergo eſt cur optandi modum eſſe eo loco, ut uſquam in latina lingua negare quis poſsit? Quamobrem ad optandum illa pertinent etiam; Vtinam ad reip. cauſam te adiungeres.

Diſtinctos uult eſſe modos optandi & ſubiungendi.

Vtinam Pompej amicitiam cum Cæſare, aut nunquam iunxiſſes, aut nunquam diremiſſes. Vtinam ſic ſint qui mi male uolunt. O ſi adeſſet Africanus. O ſi te ad nos conferre uoluiſſes. O ſi poſſem te ad meam ſententiam adducere. ut Virgilius;

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos
& in ſexto
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto

Huius loci multa ſunt unde abſunt etiam aduerbia optandi, ut;

τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν

Quod noſtri etiam ſic protulere;

Exoriare aliquis noſtris ex oſsibus ultor
Qui face Dardanios ferroq; ſequare colonos.

Nullo negotio hæc norunt, etiam qui literas ignorant. Alia ſunt quæ ſola temporum inſpecta differentia ſeparantur à ſubiunctiuis, ut; Poterat utrunq; præclare ſi eſſet fides, ſi grauitas in hominibus conſularibus. Quum uideas enim hic nullam eſſe rationem præteriti, etſi nihil obtetur, neceſſe tamen eſt præſentem eſſe modum optatiui. Nam perfidiæ uitium in hominibus adhuc erat idem. Declarat hoc etiam græci conſuetudo ac natura ſermonis, quæ diſtinctas à ſubiunctiuo habet uoces optatiui. Eſto.n.uulgare illud exemplum; ſi eſſet in ijs fides in quibus ſumma eſſe debebat non laboraremus; idest, εἰ πίστις εἴη ἐν οἷσ ἀνθρώποις ὤφειλεν εἶναι μεγάλη. Præteritum imperfectum ſubiunctiui apud illos eſt eadem uoce omnino qua præſens, ubi dicere non licebat, εἰ πίστις ἦ. Sint igitur mille exempla illi ſimilia Demoſthenis, τίς δ' ἂν ἄλλος (ὃ μὴ γίνοιτο) ἀνατρέψειε τὴν πόλιν, εἰ λάβοιτο ἐξουσίας? tria uerba, γίνοιτο, ἀνατρέψειε, λάβοιτο, modi ſunt optatiui. Quamobrem de noſtris dubitandum non erit, ſi dicatur; Quis remp. alius euerteret pernicioſius (quod Dij omen auertant) ſi hæc illi facultas daretur. Præteritum uerò pluſquã perfectum optatiui difficilius eſt à ſubiunctiuo tẽporis eiuſdem ſeparare: primũ quod non uoce tantum, ſed ipſo etiam tẽpore cõueniunt, deinde, quod non eſt inuenire quibus græcorum exemplis utamur. Illi.n.huius præteriti loco, plurimũ, præterito imperfecto, uel ſuis ἀορίστοις indicãdi modi abutuntur, ut; εἰ μὲν ἤρεσκέ τι ὑμῖν τῶν ὑπὸ τούτων ῥηθέντων ἡσυχίαν ἂν ἦγον, εἰ δὲ μή, τότ' ἂν αὐτὸς ἐπειρώμην ἃ γιγνώσκω λέγειν: quod noſtri etiam poetæ imitantur, ut Virgilius;

Et ſi non alium latè iactaret odorem
Laurus erat.

Simile

Simile Varronis illud eſt octauo libro de lingua latina; Si.n.uſquequaq; non eſſet analogia, tum ſequebatur, ut in uerbis quoq; non eſſet, non quum eſſet uſquequaq; ut eſt, non eſſe in uerbis. Facilis tamen differentia eſt ubi aut ita per optandi modum loquimur; His conſilijs ſi te præſentem habuiſſem (ut opinio mea fert) eſſem uſus ijſdem; aut ubi apud nos participium deeſt tranſacti temporis actiui, ut; Quũ ſcripſiſſet epiſtolã diſceſsit, τὴν ἐπιστολὴν γράψας ᾤχετο. Futuri exempla ſunt, præter quæ iam dixi; Ita uiuam, ut ex animo te dilexi ſemper: Moriar niſi plus te hiſce oculis amo: Nec ualeam, nec uiuam, ſi quenquam habeo, quem tibi anteponam: Male deſperem ſi tale quicquam putaui. Ternæ autem adſunt uoces temporum optandi modi quia non à grammaticorum, & Apollonij ſolum diſputationibus, ſed à natura etiam cognouimus futura nos & præterita, & præſentia optare poſſe, ut utinam adſis, adeſſes, affuiſſes. Sed quando grammatici quidam nobis hoc loco repugnant, ijs opponam Varronis locum, ex nono libro de lingua latina, qui optandi etiam inter modos poſuit uerborum: optandi ſpecies (inquit) ut, uiuatur, ametur, uiueretur, amaretur. Nos tamen communi in cõſuetudine ſermonis capere modos omnes alium pro alio ſolemus, ut indicandi pro ſubiungendi, quale eſt;

Modos profectò à natura diſtinctos alium tamen pro alio capere ſolemus.

Si pereo, manibus hominum perijſſe iuuabit.

Contra ſubiungendi, pro indicandi, quemadmodum Cicero ad Atticum; De triumpho tibi aſſentior, quem quidem totum facile & libenter abiecero. Subiungendi, pro ijs quæ ſunt optandi, uel debendi, pertinendi uel pro eo quod eſt poſſe, ut; Si quis noui quid inſtituerit, is non omnia quæ ante acta ſunt rata eſſe patiatur. Indicandi pro ijs quæ pertinent ad imperandum, ut; Valebis meaque negotia uidebis, meque Dijs adiuuantibus ante brumam expectabis. Imperandi loco, ſubſtituimus etiam ſubiungendi, ut; Nihil ignoueris, nihil gratiæ cauſa feceris. Pertinet indicandi modus ad optandum, ut; Tu Iuppiter, qui ijſdem, quibus hæc urbs auſpicijs à Romulo es conſtitutus, quem ſtatorem huius urbis atque imperij uerè nominamus, hanc & huius ſocios à tuís aris cæteriſque templis, à tectis urbis & mœnibus, à uita, fortuniſque ciuium omnium arcebis & omnes inimicos bonorum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe, ac nefaria ſocietate cõuinctos, æternis ſupplicijs uiuos mortuoſq; mactabis. Trãsfertur imperandi uox ad rogandũ, ut; Hoc nobis da Scæuola & perfice. Trãsfertur ad permittendũ, ut; Niſi uobis, id hominũ honeſtiſsimorũ tabulis pla-

nũ fecero, fingi à me hoc totũ tẽporis cauſa putatote. Deniq; ſi hæc perſequi lõgius uellẽ, uix finis eſſet exẽpl rũ. Maxime uſitata ſunt .n. à noſtris & a grçcis uel poetis uel oratoribus & quõdã à doctiſſimis grammaticorum animaduerſa & mandata literis. Apollonius quidem Alexandrinus à quo Priſciani ſtudium ac diligentia plurimum adiuta eſt in tertio librorum quos fecit περὶ συντάξεως; hac de cõfuſione modorum, ita ſcribit, ἐμοί γε δοκεῖ τὰ τῆς ἐγκλίσεως ἐπιτεταράχθαι: τὸν δὲ παρακείμενον σύνδεσμον αἴτιον γίνεσθαι τῆς διεστραμμένης ἐννοίας, καὶ εἰ ἀπὸ τῆς δυνάμεως τῶν συνδέσμων ἔοικε τὰ ῥήματα ἀνάγεσθαι: οὐδὲν γὰρ κωλύει, καὶ τὰς λοιπὰς ἐγκλίσεις μετατίθεσθαι τῆς ἰδίας ἐγκλίσεως, ἀναδεξαμένας τὴν ἐκ τῶν συνδέσμων δύναμιν: οὐ γάρ ἐστιν ὁριστικὸν εἰ ἔγραψα, εἰ ἐφιλολόγησα, οὐδὲ ταυτό ἐστι τὸ φιλολογήσω τῷ ἤτοι φιλολογήσω ἢ περιπατήσομαι, εἰ περίπατον, ἀλλὰ τὸ γράψαιμι ἂν ὠχὸν ἐπαγγέλλεται. Idem auctor grammaticæ quos ego legerim grauiſsimus, iudicandi modus qui adiunctum habeant aduerbium optandi optatiuos eſſe uoluit: Sic enim ſcriptum reliquit: ἐπὶ μὲν γὰρ τοῦ εἴθε ἔγραψε τρύφων, εἴθε ἐλάλησε, καὶ ἔτι τῶν τοιούτων, δῆλον ὅτι ἐν τῷ δέοντι παράκειται τὸ εἴθε, ἵνα ἡ ὁριστικὴ ἔγκλισις διὰ τοῦ παρακειμένου εὐκτικοῦ ἐπιρρήματος, εὐκτικὴν σύνταξιν ἀναδέξηται: δῆλον γὰρ ὡς διαφέρει, τὸ ἔγραψε, τοῦ εἴθε ἔγραψε τρύφων. Sed quamplurimis tamen de exemplis auctorum, hæc pauca à nobis, aut alijs quoq; à doctis hominibus, eo ſunt allata ut ex his, quæ ratio modorum ſit rectiſsima cognoſcatur, neq; ueniat in mentem nobis (quod ſunt quidam arbitrati) ut ullos uerborum certos eſſe modos negemus. Quinque ſunt enim conſenſu ferè omnium doctorum, quos non ſtatim eſſe nullos putabimus, aut incertos, ſi loca ſunt quædam latini ſermonis, ubi alij pro alijs aptiſsimè rationeq; certiſsima ponuntur, & ſi qui ſunt alij à grammaticis, nec indoctis hominibus poſiti, ad hos quos diximus quinque referuntur, ſed reuertor de ſingulis ut exponam.

Subiunctiuo autem ex eo nomen fuit, quod alijs cum uerbis coniungitur: quare etiam à coniungendo, coniunctiuum hunc ueteres quidam dixerunt, ut; Quum te uideam bonis delectari literis, hos de lingua latina libros fore tibi non inutiles putaui. Quum duo uerba coniungenda ſunt utimur his potiſsimum uerbis, Quum, Quoniam, Quia, Si, Siquidem, Quando, Quandoquidem, item pronomine Qui, quæ, Quod, & nomine Siquis, uel Siquiſquam, & quæ ſunt huiuſmodi: preterea aduerbijs Antequam, Poſtquã, Simul, Simulac, Simulatq;, & quæ ſunt loci infiniti, Quocunq;, Vbicunq;, & eius naturæ

turæ plurimis. Ac refertur etiam ſubiunctiuus, ad res certas quidem, ſed incertis de rebus cum loquimur uix locus eſſe niſi ſubiunctiuo poteſt, ut; Siquis te nunc roget, quid reſpondeas non erit. Non recte hic Regat, & Reſpondens, dictum eſſet: quemadmodum ſi dicatur, Nihil intereſt utrum hoc an illud facias: Seu loquare ſeu taceas non obſcura tamen tua ſententia eſt. Sic Demoſthenes; Ἅπας ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι κἂν μεγάλην πόλιν οἰκῶσι κἂν μικρὰν, φύσει καὶ νόμοις διοικεῖται. Illud etiam frequens eſt loquendi genus; Dubito quid reſpondeam: Scio quid ſcribam: Quærendum eſt cui Deo uota faciamus; ideſt, quid reſpondere, quid ſcribere, cui uota facere debeamus. In his aliquid ex tribus uerbis lateat neceſſe eſt, Volo, Poſſum, Debeo, ut;

Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem
Quum accerſor ultro? an potius ita me comperem
Non perpeti meretricum contumelias?

Hic enim quid facere, num ad meretricem redire, quid conſtituere debeat, ſecum adoleſcens quærit, ut Virgilius,

Quid faceret? quo ſe rapta bis coniuge ferret?
Quo fletu manes, quæ numina uoce moueret?

Deniq; uel M. Tullius, uel oratores, uel poetæ omnes, uel Romani, uel Græci, & communis conſuetudo ſermonis, nihil habent hoc genere frequentius. Vbiq; obuiam ſunt loca eiuſmodi; Ἀγαθῇ τύχῃ ἐπηρώτα ὁ Ἀθηναίων, περὶ τοῦ σημείου τοῦ ἐν τῷ οὐρανῷ γενομένου, ὅτι ἂν δρῶσιν, Ἀθηναῖοι ἢ ὅτῳ θεῷ θύουσιν. Quare ſi dicimus; Nihil eſt quod metum uiro forti poſsit afferre; Hoc recte, & magnam partem ex uſu dictum erit, ſed animaduertimus iam in ſuperioribus de exemplis aliquod ſemper ex tribus quæ dixi uerbis eſſe ſublatum. Itaq; fit etiam ſic ut liceat ſcribere. Nihil eſt quod uiro forti metum afferat; quo modo palam auctores omnes loquuntur. Quamobrem Cicero librorum primo de officijs, quia fieri poſſe uidebat, aurium & numeri complendi gratia, id uerbum appoſuit, quo ſententia elegantiſsime carere potuiſſet, ut; Homines autem hominum cauſa eſſe generatos, ut inter ſe alij alijs prodeſſe poſſent. Eodem in loco idem auctor, id potentiæ uerbum ſubſtulit, unde eſſe debuerat, appoſuit ubi non debuerat, ut primo libro Tuſculanarum in principio; Diſertus eſſe poſſem, ſi contra iſta dicerem. Nam ratio ita poſtulare uidebatur potius; Diſertus eſſem, ſi contra iſta poſſem dicere. Hunc tamen ſenſum nos quidem non raro, ſed græci ſæpius optandi modo expreſſerunt, ut; τί γὰρ ἂν γένοιτο συκοφαντίας, καὶ παρανομίας

δεινό-

δεινότερον? Subiunctiuo autem,& pronomine, Qui,Quæ, Quod ad interrogationes dubitationesq; utimur,ut; Miſi qui de rebus cognoſcat, ad meq; perſcribat. Græci autem ad hoc, ſæpius futurum accōmodant indicandi, quemadmodum Demoſthenes; πρέσβειαν δ᾽ἐκπέμπειν, ὅτις ταῦτ᾽ ἐρεῖ καὶ παρέσται τοῖς πράγμασι. Noſtri ratio ſermonis, ταῦτ᾽ ἐρῶ, καὶ παρῶ τοῖς πράγμασι, poſtulabat; ideſt legatos mittere qui hæc exponant, & rebus interſint. Nec etiam hoc ſolemus imitari, & tale quiddā audere quale Plauti illud eſt in Rudēte;

Scibis faxo:

quod eſt in uſu omnium ſcias faxo. Perquam raro enim ſic loquimur, ut Cato Maior; Priuſquam porcum fœminam immolabis, Iano ſtruem commoueto. Idem auctor; eam patinam in ſole ponito, areſcat, ubi arebit, in aulam nouam indito; alio loco: teſtam de tegula craſſam puram calfacito in igni bene: ubi calebit eam picato, reſticula alligata, teſtam demittito in dolium leniter. Cicero etiam poſuit indicatiuum, ubi ſubiunctiuo opus eſſe uidebatur, ut; Siquis ueſtrum iudices, aut eorum qui adſunt forte miratur,me qui tot annos in cauſis iudicijsq; publicis ita ſim uerſatus, ut defenderim multos, leſerim neminem. Siquis miretur dicendum erat:ſed orationem adiuuit aduerbio Fortè quod proprium eſt dubitationum. Certis autem de rebus utimur indicatiuo. Quid enim ita ſit hebes, ut non uideat, quantum interſit, utrum quis dicat; Adeſt qui nos docet, uel Adeſt qui nos doceat? Incertis de rebus Turnum ſic Virgilius dubitantem facit;

Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc,
An ſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat,& crudum per coſtas exigat enſem,
Fluctibus an iaciat medijs,& litora nando
Curua petat, Teucrumq; iterum ſe reddat in arma?

Nec dificile eſt aut mirum quod libro tertio περὶ συντάξεως monuit Apollonius dubitationem fieri ſi coniunctio apponatur σαφὲς γὰρ (inquit) ὅτι τὸ ἐὰν γράφω καὶ τὰ τούτοις ὅμοια δισταγμὸν τοῦ ἐσομένου πράγματος σημαίνει. Quæ uerò certa ſunt, & antiquiſsimis monumentis teſtata ſic idem expreſsit;

Si potuit manes arceſſere coniugis Orpheus
Threicia fretus Cythara fidibusq; canoris,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque uiam toties

Interpretantur enim grammatici illud Si pro Quando aut Quandoquidem

doquidem, aut Quoniam, aut Quia, quæ rebus de certis dicuntur, ut;

-Quando hæc te cura remordet

Quare indicandi modus eſſe eo Terentij loco debuit in Andria;

Si te in germani fratris dilexi loco,

Siue hæc te ſolum ſemper fecit maxumi,

Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.

Præteritum imperfectum, ut iam dixi uoce eadem eſt qua præſens optatiui: quæ duo, temporum differentia facillime apud auctores diſcernit. Sed pergam de ſubiunctiui differentia atque indicatiui exempla afferre. Quod ergo dictum eſt;

Ante pudor quam te uiolem;

Vox eſt nondum conſtituentis, an pudicitiam uiolare debeat:

Ante pudor quam te uiolo;

Aliquid aliud facere cogitantis, antequam ad conſtitutæ iam turpitudinis flagitium accedat. Quamobrem Terentiano adoleſcenti qui ſibi ex amore non dubitabat moriendum eſſe, ita loqui neceſſe fuit;

Omnia experiri certum eſt priuſquam pereo.

Loca ſunt etiam ubi nihil refert, utrum ſic dicas; Antequam de rep. dicere incipio P.C. an illo modo; Antequã de rep. dicere incipiam, ut ſunt illa exempla;

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos:

Item ſi dies eſt, lucet: alia cogitatio eſt eius qui dicat, ſi dies ſit; & quum ibi dicatur lucet, hic dicendum erit, luceat neceſſe eſt. Prorſus autem, non poetæ ſolum ſed etiam Oratores, uideri poſsint negligere ſæpius hanc legem, quæ & uera & neceſſaria eſt, & ſeruatur ab omnibus, ut indicandi coniungendiq; modum, alterum pro altero ponant, ut Virgilius;

-Aut ſiqua id fortuna uetabit,

Abſenti ferat inferias, decoretq; ſepulchro

Vetabit indicandi modo poſuit, pro uetet, aut uetuerit, quemadmodum ante iam attuli Demoſthenis exemplum, ὅτις ταῦτ' ἐρεῖ, καὶ παρέςι τοῖς πράγμασι, ratione fit etiam ut non rarò indicandi ſit pro coniungendi modo, quum dubijs in rebus magis ad certum affirmationemque inclinat animus, quemadmodum in Terentio;

-Si Dijs placet,

Spero me habere qui hunc meo cruciem modo:

& in

& in Andria;

-Si impetro,

Quid alias malim, quam hodie has fieri nuptias?

Illud uerò, quod idem ait in Phormione;

Sic ſum, ſi placeo, utere,

eiuſmodi cauſam habet, quod leno conſtitui ſubito uolens, tempus non concederet adoleſcenti ad cogitandum. Fuiſſet enim tarditas maior quædam in modo coniungendi. Ac de præſenti quæ dicta ſunt cæteris etiam de temporibus intelligenda eſſe nemo ignorat. Preteritum uerò imperfectum ut iam dixi, uoce eadem eſt qua præſens optantis modi, quas uoces facillime ſeparat apud auctores temporum diſcrimen, ut; Si uiueret mihi pater, lætior forem. Quum proficiſci cogitarem, tuas de ſtatu rerum mearum literas accepi. De præterito etiam perfecto cognitis quæ iam dixi, non multa ſunt quæ dubitare quis poſsit. Eius enim ratio eſt eadem, quæ præſentis. Proprium uero hoc habet, ut præſentis loco optatiui ponatur, ut Horatius;

Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum:

& Cicero ad Trebatium; Ego omnibus unde petitur, hoc conſilij dederim, ut à ſingulis Interregibus binas aduocationes poſtulent. Loco etiam præteriti perfecti indicantis modi, ut idem auctor ad Varronem; Scito me poſtquam in urbem uenerim redijſſe cum ueteribus amicis, id eſt cum libris noſtris in gratiam. Eſſe enim debuerat; Poſtquam in urbem ueni, ut;

Poſtquam altos tetigit fluctus & ad æquora uenit.

Primo libro quùm de Syllabis mihi ſermo eſſet, huius præteriti uoces ita ſeparabam à futuri, ut hic, ſecunda unitatis perſona poſtremam ſyllabam corriperet, ut cœlauerim, cœlaueris, monuerim, monueris, legerim, legeris, audiuerim, audiueris, tulerim, tuleris, uoluerim, uolueris: unde numero multitudinis, etiam proximæ ſyllabæ à poſtremis corripi debeant, cœlauérimus, cœlauéritis, monuérimus, monuéritis, legérimus, legéritis, audiuérimus, audiuéritis, tulérimus, tuléritis, uoluérimus, uoluéritis, Contra autem, futuri, quum producatur, ut apud Horatium;

Audiueris hæres, ergo nunc Dama ſodalis,

cæteras hinc natas, ut à cœlauero, cœlaueris, monuero, monueris, futurisq; ſubiunctiuis omnibus legerîmus legerîtis, audiuerîmus audiuerîtis, tulerîmus tulerîtis, produci neceſſe ſit ſecundas à poſtremis. Pertinet hoc præteritum ſæpius, ad concedendum, ut;

Affuiſſe

Affuiſſe me dixiſti, quum bona uenderentur. Eſtò ſanè affuerim, quale crimen hoc eſſe uoluiſti? Murænæ plures obuiam proceſſerunt: infiniti etiam proceſſerint, quid hoc Murænam lædit? In Africa uos fuiſſe gloriamini: fueritis ut lubet: Carthaginem quoq; ui cœperitis, aliud hoc iudicio quæritur. Eadem pene uis eſt illius generis fac affuerim quum bona uenderentur: Fac plurimi Murænæ obuiam proceſſerint: fac in Africa fueritis ut M. Tullius; Facite hoc meum conſilium legiones nouas non improbare: in quæſtionibus Tuſculanis; Fac (ut iſti uolunt) animos non remanere poſt mortem, ſiquid tamen inter hæc duo intereſt, illud interſit, ut illa priora ad concedenda quæ uera ſunt hæc autem poſteriora ad quæ ſunt falſa magis pertineant. Præteriti uerò pluſquam perfecti, breuior tractatio eſſe debet, quam cæterorum quę iam dixi, temporum, & breuior quam futuri; ſi memoria tenemus ea de quibus à principio huius loci diſputabam. Huius præteriti loco, ut etiam optatiui pluſquam perfecti ſuorum græci ἀορίστων uel παρακειμένων participijs utuntur. Nam quod nos ita loquimur; Tres ibi dies quum ſediſſemus, nihil de auxilio audiebatur, τρεῖς ἡμῶν ἐκεῖ ἡμέρας προσδοκησάντων μηδὲν ἠχεῖτο περὶ βοηθείας. Ac ſanè maiores noſtri illud excogitarunt, ut participiorum loco actiuorum tranſacti temporis quæ noſtro in ſermone deſiderantur, ipſis uerbis modi ſubiunctiui, & coniunctione Quum uterentur. Futurum eſt laudauero, uenero, laudaueris, ueneris, unde ſunt laudauerîmus & uenerîmus, laudauerîtis & uenerîtis, ſyllabis ut iam dictum eſt productis quæ poſtremas antecedunt, quale exemplum Catulli ſupra afferebam;

Dein quum millia multa fecerîmus
Conturbabimus illa ne ſciamus.

Elegantem & neceſſarium hoc habet uſum apud nos quum ita dicimus; Ego uidero: Nos uiderimus, id eſt, ego te aut nos iſta cura liberamus. Ego iſtuc non uidero: hoc eſt, cogitare aut ſollicitus eſſe hac de re nolo: uel in hoc me non interponam. Vos uideritis. Illi uiderint, perinde eſt atque ſi dicatur, uobis aut illis reddendam facti alicuius rationẽ relinquimus, utrũ bene an male res agatur. Hoc ita Græci expreſſerunt; αὐτὸς ἂν εἰδείης ὅτι ἀποκρίνεσθαι δεῖ σε ὑπὲρ αὐτοῦ. Nec iterandum hic eſt quod iam dixi, quæ de præſenti ſubiunctiuo ſunt à nobis diſputata eadem hoc transferri omnia oportere. Significationem futuri ſubiunctiui longius remotam eſſe quam futuri indicantis modi norunt omnes, ut Cicero ad Atticum; Nunc uerò ſentio (quod commodo tuo facere poteris) uenias ad id tempus

Ego uidero.

quod

quod ſcribis, obieris Quinti fratris Comitia, nos longo interuallo uiſeris, Acutilianam controuerſiam transegeris. Hoc tempus ita ſignificāt Græci, εἰδ' ὁ μὲν ὡς αἰεὶ τὶ μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν ἐγνωκὼς ἔσαι, ὑμεῖς ὡς οὐδεὶς ἀντιληπτίον ἔῤῥωμένως τῶν πραγμάτων, σκοπεῖτε, εἰς τί ποτε ἐλπὶς ταῦτα τελευτήσαι. Ita Demoſthenes, ἐγνωκὼς ἔσαι, dixit, ideſt ſi ea ſemper cupiditate Philippus fuerit. Patibilis formæ hoc futurum, duas habet uoces, ideſt laudatus ero & laudatus fuero. Nec dubium eſt ſic eas differre ut in preterito perfecto indicantis modi ſupra iam docuimus: Vt enim παρακειμένυ loco eſt laudatus ſum, laudatus uerò fui temporis eſt remotioris, quemadmodum laudatus erā & fueram, laudatus ſim & fuerim, laudatus eſſem & fuiſſem ſic, ratio quædam ſimilis eſt futuroꝝ. Nam laudabor, tempus amplectitur etiam longè poſt futuræ laudationis: quem græci tamen habent μέλλοντα μετ' ὀλίγον eodem hoc futuro nos latinè pronunciamus. Temporis autem longinquioris eſt laudatus ero. Sit.n. locus ubi nihil interſit indicantis an coniungentis modo utamur, ut Ciceronis ille eſt ad Atticum; Spero ſi abſolutus erit, coniunctiorem nobis fore in ratione petitionis. Differunt hæc duo tempora abſoluetur, & abſolutus erit, & longiſsime poſt futurum eſt ſi dicas abſolutus fuerit. Illa quoque diſcrimen habent, remotioris ac uicini temporis quæ etiam ipſa ad patiendi rationem pertinent, laudatus ſim uel fuerim, laudatus eſſem uel fuiſſem, laudatum eſſe uel fuiſſe. Nam primæ quæque uoces minus longe remotam habent ſignificationem temporis. Eſt autem hoc à natura uerbi unde ad hunc locum hæ translatæ ſunt, ubi differunt quo dixi modo, ſim & fuerim, eſſem & fuiſſem, eſſe uel fuiſſe. Sæpius tamen ſim pro fuerim, & eſſem & eſſe, pro fuiſſem & fuiſſe legimus; ut in Verrem Cicero; Timarchides negat eſſe ei periculum à ſecuri: & ad Terentiam, Hunc miſer quando tuas iam literas accipiam? Quis ad me perferet? Quas ego expectaſſem Brūduſij, ſi eſſet licitum per nautas qui tempeſtatem prætermittere noluerunt. Ijs duobus in exemplis, eſſe & eſſet pro fuiſſe dixit & fuiſſet. Verum hinc ordine poſt ſubiunctiuum, nobis transeundum eſt ad modum uerbi infinitum, de quo ea mihi propoſui ad explicandum, quæ maximè ad latinitatis uſum pertinebunt. Modi igitur infiniti. Si non uim quæ iam dicta eſt, ſed uoces tantum ſpectemus tria tempora ſunt quæ diximus, præſens, præteritum perfectum & pluſquam perfectum, futurum, ut ſcribere, ſcripſiſſe; ſcripturum eſſe: paſsiui totidem, ſcribi, ſcriptum eſſe uel fuiſſe, ſcriptum iri. Hic res quæ

De modo infinito.

agit

agit in actiuis, & quæ patitur, in paſsiuis, dãda eſt accuſatiuo, quod fieri nullo modo poteſt, niſi aliud infinito uerbum antecedat. Vbi enim dicimus; Audio Curionem aduentare. Memini te fuiſſe admonitum à patre: Si tollas hinc audio & memini, imperfectam & mancam feceris orationem. Verbum igitur præponendum infinitis eſt, nõ cuius idcunq; ſit naturę, ſed cũ ex alijs quibuſdam paucis tum ex ijs potiſsimum quæ ad aures, ad oculos, ad linguam, uel ad animum pertinent, quo de genere ſunt audire, uidere, negare, cogitare, placere, diſplicere, & multa quæ ſint ad notandos huiuſmodi ſenſus nata. Hic quatuor ferè in uerbis immoratur Apollonius χρῆ, δεῖ, ἀναγκάζω, ποιῶ, quod nobis etiam dicere conſuetum eſt uos oportet legere, illos decuit audire, faciam te uideri liberalem, latrones cogam diſcedere, quemadmodum Audio Varronem ægrotare: Video multos diſcedere: Scio uos diſſentire, Aiunt claſſem appropinquare. Sed priora Apollonij duo uerba, dubitationem habere ne apud nos quidem poſſunt unquam. Semper enim oportet, pœnitet, pudet, delectat, & (uno uerbo) impersonalia omnia, ſeu agendi, ſeu patiendi, ijs exceptis quæ ſecundi fecimus generis, ut accidit, expedit, contingit, quibus & ſi non ſemper, certè plerunque dandi caſum tribuimus, cætera eiuſmodi ſunt, ut nobis neceſſario quam diximus & quo modo diximus hanc rationem infiniti gubernent. Nec mirari tamen oportet, quód alia adhuc uerba longè ab his diuerſa præponantur ſæpe infinitis, qualia ſunt fremere, prætermittere, turbare, ſcribere, expedire, prodeſſe, mittere, intereſſe, referre, apparere, & quæ omnia colligi uix poſsint. His enim quæ in hoc ſenſu perpetua non ſunt, & interdum pro locis apte eleganterque ſunt illorum loco poſita, rectè ſi interpretemur, uidebimus eundem penè ſenſum quem ſuperioribus eſſe datum, ut; Conſtituit ſe Cato amplius non uiuere. Scribit Sulpitius Pompeium eſſe ſuperatum. Arrius conſulatum ſibi ereptum fremit. Germani legatos miſerunt, ſeſe quod imperatum eſſet eſſe facturos. Apparet hunc ſeruum eſſe domini pauperis. Noſtrapte culpa facimus, ut malos expediat eſſe. Cicero pro Cn. Plancio; Equitis autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Et ad Atticum; Ita ſpero nobis profici quiddam, quum hoc percrebeſcit, plurimos noſtros amicos inueniri. Horum loco omnium ſunt etiam uerbis cognata nomina, aut idem efficientia, ut ſpes, timor, ſollicitudo, metus, lætitia, uox, rumor,

Quæ uerborum genera præponenda ſint infinitis.

nuncius,

nuncius,fama,literæ,ſermo teſtis. Deniq; his ipſis coniugata cum uerbis, ut ſentire & ſententia, uel ſenſus,opinari & opinio, conſule re & conſilium, iudicare & iudicium, dubitare & dubitatio,affirma re & affirmatio,negare & negatio, metuere & metus, timere & timor, ſperare & ſpes,teſtari & teſtis,laudare & laus,confiteri & con feſsio, & ſimilia his omnia, ut; Spes eſt, omnia hæc ad pacem ſpectare. Timor iniectus eſt hominibus, bellum ualde acerbum fore. Certorum hominum literæ ſunt Craſſum triduo eſſe uenturum. Hic omnium eſt in ore, te niſi à tuis nullam iniuriam accepiſſe. Meum gnatum rumor eſt amare. Meum iudicium ſemper fuit omnia noſtros inueniſſe per ſe ſapientius quam Græcos. Iterum M. Tullius ad Antonium; Nullam mihi abs te relatam gratiam, tu es optimus teſtis. Sunt illa quoq; ad uetandum, permittendum, iubendum, ſequendum, antecedendum, repugnandum, concludendum,negandum,concedendum,cõfirmandum,promittendum,contingendum, agendum, conuincendum, arguendum, diſputandum pertinentia. Itaq; dicimus; Ne permittas puerum audire turpia. Iuſsit neminem ad ſe introduci. Legionibus imperat nullum dari commeatum. Sequitur ex his nullam pacem eſſe factam. Iubeo te (Cicero inquit) bene ſperare, & bono animo eſſe. Adhuc de ora tore; Lex peregrinum prohibet in murum aſcendere. Ad Lentulum; Dixiq; eodem teſte alio loco, eoſdem eſſe qui Bibulum exire domo prohibuiſſent, & qui me coegiſſent. De finibus; Illud uehementer repugnat,eundem & beatum eſſe,& multis malis oppreſſum. In Topicis; Repugnat enim rectè accipere, & inuitum reddere. Pro A. Cæcina; Quum uideatis nihil aliud actum, niſi poſſeſsionem per interdictum eſſe repetitam. Terentius in Phormione;

Aruſpex uetuit ante brumam aliquid noui
Negoti incipere.

Hoc etiam quod ſuperiora præſtant etiam iniuſtum eſt, par eſt, iniquum eſt, conueniens eſt, ſatis eſt, credibile eſt, fas eſt, nefas eſt, opus eſt,moleſtum eſt, ſuaue eſt. Item facile, difficile, bonum, malum, turpe, honeſtum & ſimilia his omnia. Cicero in Antoniũ; Satis.n.erat probatum illum eſſe Pop. Romano. Terentius iterum in Phormione;

Non ſat tuum te officium feciſſe, ſi non id fama approbat?

Cicero; Par eſt omnes omnia experiri, & alibi idem auctor, mihi ni hil eſt moleſtius, quam ſtatium manumiſſum. Sed non committam

ut

ut rem ſatis apertam, pluribus onerem exemplis. Illud moneo ſine his quæ dicta ſunt, hanc rationem infiniti, non poſſe conſtare, niſi genus quoddam ſit figuratæ orationis. Talia ſunt;

Me ne incepto deſiſtere uictam?
Me ne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe?
Adeone ingenio te eſſe duro atq; inexorabili?

Me miſerum, te iſta uirtute, fide, probitate, humanitate, in tantas ærumnas propter me incidiſſe?

Seruon fortunas meas me commiſiſſe futili?
Ex illa familia tam illaberale facinus ortum eſſe?
Quenquam ne hominem in animo inſtituere, aut
Parare quod ſit carius quam ipſe eſt ſibi.

Idem alio loco M.Tullius Illam clementiam & manſuetudinem noſtri imperij in tantam crudelitatem inmanitatemq; eſſe conuerſam? Crebra in omnibus hæc ſunt ut ne uitari quidem poſsint. Deniq; tamen apparet illud in primis uidendum eſſe ne ſi uerbum ſit quemadmodum ante dicebam id recipiendum putemus ex genere patiendi, uel eiuſmodi, quod ab illo infiniti accuſatiuo quem diximus omnino abhorrere uideatur. Nam ſi dicas, mihi uiſi eſtis ita eſſe facturi minimè licebit etiam illud facturi accuſandi caſu dicere niſi imperſonale faciamus uerbum, ut; Mihi uiſum eſt uos ita eſſe facturos. Imperſonalia enim ſeu agendi ſeu patiendi quanquam ad ſenſus quos dictum eſt non referantur, ualde tamen commoda ſunt omnia ad rationem infiniti, ut; Nunciatum eſt fugiſſe hoſtes. Narratur paucisſimos in prælio uulneratos fuiſſe: Mea permagni intereſt non adeſſe Curionem: Valde omnium refert exire quamprimum legatos. Maxime conducit armatos uenire quamplurimos: Nondum contigerat illum abeſſe à noſtris diſputationibus. Placuit omnibus iterum legi orationem. Illis autem de imperſonalibus oportere, delectare, pudere, miſerere, pœnitere, iuuare, decere, pigere, nihil eſt quod à me requiri neceſſe ſit, quibus aliud quam infinitum, & accuſandi caſum dare non poſsis quicquam, ut; Vos non decuit officium illud prætermittere. Catonem oportuit in Africa morari. Adhuc genus eſt illud, quoties uitamus quod per infinitum dici oportebat. Etenim uulgò loquimur ſic etiam ſæpiſsime; Puto iraſcetur miles; Arbitror inueniam qui mihi opem ferat. Scio redibit hodie pater. Credo iam ut ſolet iurgabit. Credo (ut fit) miſera præ amore excluſit hunc foras. Hoc

R ſcio

ſcio animus tibi pendet. Annibal credo erat ad portas. Diem mihi credo dixerat. Rectè uerò hæc diſtinguenda ſunt ab illis, quũ dicimus; Mando ſic facias. Volo mihi reſpondeas. Nolo me in tempore hoc uideas. Hæc nanq; exponere ſolemus per, Vt, illa per Quod, ut ſcias hęc ad ſubiunctiuum, illa pertinere potius ad infinitum. Hęc duo genera (ſi duo eſſe uolumus) apta ſunt ad amphibologiam uitandam, quæ inter duas ſuppoſiti, & appoſiti perſonas animatas neceſſario accidit actiuo infinito, niſi potius paſsiuè malis dicere; Nolo hoc in tempore uideri à ſene. Amphibologia nulla erit ſi id fiat quod ſcripſit Apollonius ut ijs infinitis utamur quæ reſpuunt accuſatiuum ut ποίησον τρύφωνα χαρίζεσθαι ἀπολλωνίῳ, iube Tryphonem gratificari Apollonio. Leuiuſcula ſunt quæ deinde admonuit, ſunt tamen huius loci, & me, ut ea dicerem, hominis doctiſsimi auctoritas commouit: προσηνῦον γὰρ, inquit, τὸ ἀπαρέμφατον, ἀμφοτέραις αἰτιατικαῖς, οὐκ ἐμφαίνει καθίστασι τὸν ἐνεργοῦντα, καὶ ἐνεργούμενον. Solent hunc locum ita gręci explicare quemadmodum Iſocrates πεποιήκασιν ὥστε πολλοὺς ἀμφισβητεῖν, quod nobis; fecerunt ut multos dubitare, nullo pacto dicere licebit. Omnino autem illi accuſatiuo eiuſmodi liberius utuntur. De noſtris uerò nemo ita ſcripſit unquam, ut tantulum reſpicere hanc infiniti formam uideretur: immo adeo ne illud quidẽ genus; ἐν τῷ πορεύεσθαι, τὴν δύναμιν, ἐν τῷ συνελθεῖν τοὺς ἄρχοντας, πρὶν τοὺς ἀνθρώπους γενέσθαι. Plura adhuc talia ſunt apud eos quę nos ita dicere ſolemus; Quum exercitus proficiſceretur: Quum Principes conuenirent: Antequam homines eſſent. Vel ſi paſsiua ſignificatio ſit; In conuocanda concione: In ſcribendo ſenatuſconſulto: In legendis tuis literis. quæ poſtrema exempla in gerundijs explicanda nobis erunt. Eſt etiam ille mos uitandi infiniti quoties una eademq; res, uel perſona ſuppoſitum eſt & appoſitũ uerbi ipſius quod modo eſſe debuerat infinito, quo de genere illud ex multis exẽplum ſit Ciceronis ad Torquatũ; Tu uelim te, ut debes, & ſoles, tua uirtute ſuſtentes. Hic ratio ulla non erat qua obſcuritas amphibologiæ uitaretur, niſi infinitus, prætermiſſus eſſet. Latiſsimè patet hoc genus. Hinc ſunt illa cõmunia; Tu me uelim ames. Tu te uelim cures. Velim, ſe ille ad nos reciperet. Pleni ſunt libri auctorum, ac doctiſsimorum omnium hac loquendi figura. Solebant autem hic ueteres ita orationem inſtituere, ut accuſatiuum illi uerbo uoluntatis accommodarent, ut Plautus in Aulularia;

Nimis hercle ego illum coruum ad me ueniat uelim:

Cum uerbo mirandi poeta idem, accuſatiuo eſt uſus, ut;

Seruum

Seruum meum Strophilum miror ubi ſit. *Seruum miror ubi ſit.*

Quod poſterius exemplum à græcis uidetur eſſe ſumptum. Illi.n. ita loqui ſolent ut Ariſtophanes;

πυθοίμεθ' ἂν τὸν χρησμὸν ὑμῶν, ὅτι νοεῖ.

Hæc amore tantum antiquitatis, noſtri homines fecere ut aliquando imitarentur. Nec ipſius.n.à M.Tullij ſcriptis quædam abſunt huiuſmodi exempla: nec multum diſsimile eſt quod is ad Quintum fratrem ſcripſit; Hæc me ut confidam faciunt. Auctore.n.Plauto eſt uſus apud quem ait Soſia;

Me meus herus fecit ut uigilem.

Hic me locus dicere admonet rem uel perſonam quæ agit in actiuis, & quæ patitur in paſsiuis expreſſam eſſe non ſignificatam debere. Nec moueor quod non ſeruatum aliquando uideam hoc à Cicerone etiam maximisq; auctoribus ut ita loquantur quemadmodum Terentius:

Hoc qui nequit, fateatur neſcire imperare liberis

Et Virgilius

Hoc ſignum cecinit miſſuram Diua creatrix.

Non tamen omnia quæ ſunt latinæ linguæ auctoribus interdũ conceſſa, grãmaticam quoq; diſcentibus, putem eſſe permittenda. Præterea etiam in ijs quæ non uno modo dicuntur (ut nihil de ratione dicam) uidendum puto, utrum magis, aut quid maxime ſit uſitatum, idq; ego ſtatuo ſequendum. Quamobrem græcis hoc genus relinquatur, quorum eſt in cõi conſuetudine ſermonis; ἐγὼ δ' οἶδι συμπρεσβευκέναι φημὶ σοι. Illa quoq; ſunt huius generis, ab noſtroq; uſu remotiora; ὅσα ὑμῖν ὑπεσχόμην ἀρχόμενος τοῦ λόγου δείξω πεποιηκώς. Contra Demoſthenes idem, κατὰ Τιμοκράτους: βούλομαι τοίνυν ὑμῖν ἃ ὑπεσχόμην, ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου ἀπολογήσασθαι, πεποιηκότα ἐμαυτόν. Minus uerò à ſermonis latini cõſuetudine recedũt quũ ſimiliter ut hic, uitantes infinitũ eodẽ participio ſic inſtituunt ſermonẽ; αἰσθάνομαι δὲ ἐμαυτὸν ἔξω φερόμενον τῆς συμμετρίας τοῖς συντεταγμένοις τοῖς προοιμίοις. Atq; apud nos eas quas dixi perſonas in ratione infiniti & expreſſas eſſe, & caſu (quod nemo dubitat) accuſatiuo expreſſas, neceſſe eſt. Caue.n. ad præcepta loquendi transferas illud genus orationis; Fateor eſſe ſuperbum. Fateor eſſe indoctum. Nam ſi pronomen taceas dicendum erit; Fateor eſſe ſuperbus. Fateor eſſe indoctus: uel addito pronomine; Fateor me eſſe ſuperbũ, Fateor me eſſe indoctũ: Affirmas eſſe amicus, &; Affirmas te eſſe amicũ. Sin ſermo tertia de perſona ſit, dicere non licebit aliter, quam per accuſa- *Fateor eſſe ſuperbus uel me eſſe ſuperbum.*

 tiuum,

tiuum, ut; Contendit Cicero Antonium eſſe malum ciuē, & hoſtem reipublicæ. Non eſt.n.ullus nominatiuo locus, niſi quum perſonam quæcunq; ea ſit, uel prima, uel ſecunda, uel tertia, ipſam de ſe loqui oſtendimus, ut; Dico eſſe iuſtus. Tu dicis eſſe Romanus. Iuturna dolet eſſe Dea. Græci etiam ſic loquuntur;

Ἀθάνατος εἶναι φημὶ διόνυσος, διός.

Illa ipſa in fabula idem Ariſtophanes,

Δοῦλος ὢν ἴφασκες εἶναι δεσπότης.

Illis familiare tritumq; eſt hoc loquēdi genus. Id quod noſtri etiam poetæ ſæpius imitantur, ut Virgilius;

Senſit medios delapſus in hoſtes.

& Catullus

Faſelus ille quem uidetis hoſpites,
Ait fuiſſe nauium celerrimus.

Minus à uero abeſt Horatij exemplum

Vxor inuicti Iouis eſſe neſcis?

Quid afferat ad modos infinitos, perſonale aut imperſonale uerbum.

Quod ſi uerbum perſonale paſsiuum, infinito antecedat, res qua de agitur caſu nominatiuo eſſe debet, ut; Pompeius Brunduſio erupiſſe dicitur. Cæſariani æquites capti ad Vriam dicuntur fuiſſe. Sin uerbum ſit imperſonale, ſequetur accuſatiuus, ut; Cicero; Venerē Adonidi nupſiſſe traditum eſt. Hoc ſi mutes in uerbum perſonale, dicetur; Venus Adonidi nupſiſſe traditur, quemadmodum Cæſar primo libro de bello ciuili; Hæc conſultantibus eis nunciantur aquatores ab equitatu premi noſtro. Fac eſſe nunciatur, aut nunciatum eſt, & aquatores ex nominatiuo fiat accuſatiuus. Age, Terentiano etiam exemplo res fiat illuſtrior;

In hac habitaſſe platea dictum eſt Chryſidem.

Accuſatiuus Chryſidem, ad nominatiuum redeat neceſſe erit, ſi perſonali uerbo uti placeat, ut; In hac habitaſſe platea dicta eſt Chryſis. Vtrumque morem loquendi, etiam græci ſequuntur. Nā quod apud Xenophontē eſt; τὸν δὲ κῦρον πρὸς ταῦτα ἀποκρίνασθαι λέγεται. Licuiſſet etiam nominatiuo caſu dicere, ὁ δὲ κῦρος. Quumque per accuſatiuum loqui, & per nominatiuum liceat, uidendum eſt ne ſi duo ſint membra orationis, alius in ſecundo atque in primo caſus ponatur, id quod Cicero ſibi in primo Tuſculanarum libro permiſit, ut; Ita ſacerdos aducta in fanum, quum currus eſſet ductus à filijs precata à Dea dicitur, ut illis præmium daret, pro pietate, quod maximum homini dari poſſet à Deo. Poſt, epulatos cum matre adoleſcentes, ſomno ſe dediſſe, mane inuentos eſſe mortuos.

Miros in Cicerone & in Terentio notat locos.

Quum

Quum cœpiſſet hic nominandi, orationem accuſandi caſu terminauit: contra Terentius in Andria ab accuſandi cœptam clauſit nominandi, ut;

In hac habitaſſe platea dictum eſt Chryſidem;
Quæ ſeſe inhoneſte optauit parare hic diuitias
Magis quam in patria paupera uiuere.

Duo hæc exempla ſunt eiuſmodi, ut ſtudioſum latinitatis, nec reprehendere, nec ignorare, nec ualde imitari ſine iudicio adhibito uelim. Tollendæ ſunt ab ratione infiniti coniunctiones, aut relatiua pronomina, aut quicquid deniq; uſum habet, ſuſpendendæ ſententiæ uſq; ad alterum uerbum. Quod.n.ante dicebatur; Simulat Appius, quod multas à Cicerone iniurias accepit: nunc dicere oportet; ſimulat Appius ſe multas à Cicerone iniurias accepiſſe. Quod autẽ eſt in uſu; Audiui quum appellatus à matre fuiſti; doleo quoties in crimen uocaris; gaudeo ſanè quemadmodum ipſe ſcribis; iraſcerer ſi à ſtultis laudarere: quatuor hæ orationes & infinitæ huiuſmodi, ni ſi auferatur Quũ, Quoties, Quemadmodum, Si, uel Quia, uel Quando, uel Quoniam, uel Vt, uel Sicut, uel ſimilia his multa, infinito explicari non poſſunt, loquendumq; erit ita ut Virgilius;

Dædalus ut fama eſt fugiens Minoia regna
Præpetibus pennis auſus ſe credere cœlo
Inſuetum per iter gelidas enauit ad Arctos.

Secus uerò ubi nota abfuit ſimilitudinis quæ erat impedimentum allatura infinito, ut;

-Fama eſt huc Helidis amnem
Occultas egiſſe uias.

Per pronomen quoq; relatiuum, ſi dicas; Audio amicos nunc eſſe tuos qui ante lædebant: ſatis eſt prius uerbum eſſe infinitum. Alteri uerbo, eiuſdem eſſe modi, pronomine impediente relatiuo non licebit. Similiter etiam; Neſcio quæ ratio nobis ineunda ſit parandę pecuniæ. Scio quid ego reſpondeam patri. Audiſti tu ubi lateat ſeruus. Dubito an redierit frater. Conſtituendum quæ potiſsimum uia teneri debeat. Non dubium eſt, quin uxorem nolit filius. Deliberat Senatus utrum Romæ an Veij eſſe malit. Sciunt omnes à quo inuenta ſit hæc fallacia. Nemo ſuſpicatur, unde ueniam. Sciebant omnes, quo profectus eſſes. His quoq; omnibus in exemplis, illa uerba, Quæ, Quid, Vbi, An, Quin, Vtrum, Quo, Vnde, obſtant quo minus loqui per infinitum poſsimus. Obſtant etiam uel Quam uel Qualis, uel Quantus, uel ſimilia, ut; Nemo ignorat quam arrogans fuiſti

ſemper. Sciunt omnes qualem tribunatum geſſeris. Cicero pro M. Celio; Iam intelligitis quantum iudicium ſuſtineatis, quanta ſit res commiſſa uobis. Non ſæpiſsime etiam ſic noſtri auctores loquuntur quemadmodum Cicero; Nō ut par quidem ſit po ulat: inferiorem eſſe patietur: & alio loco; In Italia autem nos ſedentes quid erimus? Nam medios eſſe iam non libet. Idem alibi; Quo in genere mihi, negligenti eſſe non licet: & pro Cornelio Balbo; Si ciui Romano licet eſſe Gaditanum. C. Cæſar de bello ciuili; Is enim erat annus, quo per legem, ei conſulem fieri liceret. Sed ut ad infiniti ipſius tempora reuertamur, animaduertendum, nihil eſſe quod in præſenti quidem, & preterito actiuo dubitare poſsis, eſſe tamen aliquid in futuro. Videndum igitur ne quis errore hic labatur, & exiſtimet latinè prorſus, eodem hoc ſenſu, ac forma infiniti nos poſſe dicere; Scias laudatum ire omnes homines uirtutem tuam. Hoc.n. tametſi dicatur, nego tamen huius eſſe aut loci, aut ſignificationis. Hic ergo dicimus, laudaturum non laudatum ire, nihil diſcrepantia nos impediente numerorum. Veruntamen hoc etiam de genere loquendi, aliquid hoc loco dicimus. Forma eſt igitur latini ſermonis proba, & antiquis auctoribus uſitata. Aiunt etiam hic literatiſsimi quidam, Romanos homines, hanc à græcis imitatos eſſe. Afferunt enim ab illis multa, illi Demoſthenis exemplo ſimilia; ᾤχετ' ἰὼν ἀπιών, ubi nihil erat cur ultimum uerbum primo adiungeretur. Quare græcos noſtri etiam ſequuti, ſæpius dixerunt; Mihi iniuria factum itur. Bona mihi mea ereptum uenis. Iniurias ultum eunt: pro iniuria ſit, bona eripis, iniurias ulciſcuntur. Terentius etiam dixit;

Ciui Romano licet eſſe Gaditanum.

Laudatū ire ex laudaturum eſſe.

In mea uita tu tibi laudem is quæſitum ſcelus.

C. Cæſar de bello Gallico: Qua proximum iter in ulteriorem Galliam per alpes erat, cum his quinq; legionibus, ire contendit. Idem paulo poſt; Bibracte, ire cōtendit: & libro quarto: in Britanniā proficiſci contendit. Cicero de Diuinatione; Conclaue illud ubi erat manſurus, ſi ire perrexiſſet, proxima nocte corruit: & in Lucullo; Confeſtim ad eum ire perreximus. T. Liuius; Ad Crotonem oppugnandum pergunt ire. Virgilius;

Quæ ſigna ferant, quo tendere pergant.

Plautus in Ciſtellaria;

Qui magis potueritis mihi honorem ire habitum?

& in Bacchidibus

Sine hoc exorare abs te,
Vt iſthuc delictum deſiſtas tantopere ire oppugnatum.

Nec

Nec modo ire perrexit, & ire ſeu proficiſci contendit, ſed repetito eiuſdem uerbi infinitiuo, properat properare dixerũt, ut idem Plautus in Aulularia;

Nunc domum properare propero.

Homerus etiam ſæpiſsime ſic loquitur

βὰν δ' ἴμεν καθ' ὅμιλον ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ἀχαιῶν.

Quando igitur uulgare eſt apud noſtros etiam ſic loqui; In Hiſpaniam irre perrexit. Ad exercitum ire perrexit. In Italiam proficiſci contendit, ſociantur etiam hæc uerba ſæpe cum ijs quæ motu carẽt, ut ita loquamur quemadmodum Saluſtius; Bonorum præmia ereptum eunt. Idem auctor; Fuere tamen ciues, qui ſeſe remq; publicam obſtinatis animis perditum irent. Ergo hæc ipſa loquendi eſſe forma exiſtimanda eſt, quum dicimus; Animaduerti te direptum ire quotidie fortunas meas, quod quis neget aut miretur præſentis eſſe temporis nihil pertinens ad futurũ infiniti? Quare ne illud quidem mirari oportebit, quod paſsiua etiam in forma & ſignificatione uerborum, ac tempore præſenti dicamus; Domum meã non patiar aſsidue dilapidatũ iri: quod idem eſt omnino, ac ſi dicamus, dilapidari. Sed redeo ad rationem infiniti. Quando igitur huius futurũ eſt, non laudatum ire, ſed laudaturũ eſſe, loqui ſic licet etiam, per genera omnia atq; numeros, Arbitror ciues hoc tuos ægrè permiſſurum: tuas etiam ſorores moleſtè accepturum. Exiſtimabãt homines aliter hęc mala eſſe caſurum: quæ natura eſt infiniti huius præſertim actiui, ut neq; generibus, neq; numeris, ulla cum parte orationis conueniat. *Ciues tuos permiſſurum an permiſſuros.* Vtimur quidem ſæpius hic participio quam infinito, ut ciues ægrè permiſſuros, ſorores moleſtè accepturas, & mala dicamus eſſe caſura: ſed nullum erat actiui futurum infiniti, hoc ſi agnoſcere, aut renouare noluiſſem, & prouideri debuit, ne futurum hoc tempus noſtro in ſermone obſoleſceret. Video præterea antiquitatem, uſque ad ſæculũ Ciceronis hoc loquendi genere fuiſſe delectatam, ut Plautus etiam dixerit quum de ancilla ſermo eſſet;

Deierauit occiſurum eum hac nocte quicum cubaret.

Paulo etiã poſt, eadem in fabula, duos illam gladios habere, quorum altero te occiſurũ ait, altero uillicum. M. Tullius in oratione in Verrem de ſupplicijs; Sed quocunq; uenerint, hanc ſibi rẽ præſidio ſperant futurũ. Alia exẽpla, quæ ego quidẽ ipſis in auctoribus legerim, in prõptu mihi nõ erãt, nec puto ex ijs qui poſt Ciceronẽ integri ad nos peruenerũt, eſſe aliquẽ unde exẽplũ eiuſmodi afferre poſsis. Nemo tñ eſt quin ſciat ueteres palã ſic loquutos eſſe. Locos. n. plurimos

docti h mines attulere ex auctoribus, qui declarant Plautum,& M. Tullium ex media latinitate, probatiſsimoq; uſu loquendi ſumpſiſſe ut quo dixi more ſcriberent. Equidem non uideor mihi feciſſe adhuc ut ex ijs quæ interiere ſcriptis ueterum,id quod ego ſentio probarem. Sed nunc dabitur mihi à doctiſsimis uenia, ut quæ ſunt obſeruata ab alijs, quæq; ego nec legere nec uidere alius ætate noſtra potuerit quiſquam,ijs ad probãdum quod uolo teſtimonijs uti poſſim. Itaq; illud afferunt ex M.Catonis quinto originum;

Illi polliciti ſeſe facturum omnia.

& Lucilij decimo ſexto libro;

Ad Penelopam conuerſus ait;
Nupturum te nupta negas, quod uiuere Vliſſem,
Speras.

Hanc Priſciano gratiam debemus, qui nobis duorum locos hominum doctiſsimorum conſeruauit. Sed quatuor quibus dixi magnis auctoribus quùm credi ſatis debeat, acceſſere ijs etiam plures qui rem confirmare magis poſsint. Ac primum C. Gracchi teſtimonio utuntur,cuius ea uerba ſunt; Credo ego inimicos meos hoc dicturum: & Q.Quadrigarij; Eſt quod ſperemus Deos bonis benefacturum. Sic,Valerium quoq; Antiatem ſcripſiſſe teſtati ſunt; Si hæ res diuinæ factæ,rectèq; perlitatę eſſent, Aruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſurum. Deniq; Laberium nominant auctorem ita in Gemellis loquentẽ;Non putaui inquit hoc eam facturũ. Vides ergo non unum aut alterũ è doctis hoc loquendi genere uſum fuiſſe ſed plures & magna auctoritate homines,& quidem tanta, quæ à Graccho,Catone,Plauto, & M.Tullio non minimi ſit ęſtimata. Si nihil eſſet eiuſmodi in ſcriptis ueterũ,quod nos ipſi legere poſſemus,nemo tamen homini doctiſsimo A. Gellio ea de re teſtimoniũ dicẽti quã ipſe uidit,nõ credendũ putaret, quid ſi nobis Plautus quoq;, & M.Tullius duo latinitatis lumina ſunt auctores, ut illo modo etiam loquamur ſi uelimus? Ego quidẽ certè ex tanta auctoritate hominũ & publica olim cõſuetudine rectiſsimè loquendi, ſiquãdo mihi adhuc accidit,ut ita ſim loquutus, uel ſi docti homines atq; diſerti in magna ſcriptione aliqua,pudenter,(ut Horatiano uerbo dicã)rarò ac uarietatis cauſa, & amore antiquitatis hoc faciant,nego reprehẽdi oportere. Ex his quæ dicta ſunt facile eſt paſsiui etiã præſentis rationẽ cognoſcere,ut;Non inuitus patior ab indoctis iudicium repudiari meũ. Verbi ſubſtantiui futurũ eſt fore, ut; Speramus fore otiũ; Scito nos fore in urbe: aut fore beatos. Confido fore ut nos

ames.

ames. Non proponam hic exempla, unde probare ſtudent, fore, eſſe temporis etiam præſentis, quæ neminem imitari uelim. Fuerat quidem in hac uoce præſens tempus iam olim à principio latinitatis. Dicebatur enim Fuo, ut;

Tros Rutulusue fuat.

atque hinc temporis inſtantis, modo infinito priſci illi auctores utebantur, Fore, quemadmodũ nunc & optimis tẽporibus latini ſermonis, forẽ, fores, foret (quę uoces nunquã tẽpus mutauerũt) quoſdam ex noſtris non miramur aliquando, ueterẽ loquendi morem ſequutos, Fore uſurpauiſſe quo in loco Eſſe frequẽtius dixerunt. Quamobrem T. Liuij & illuſtrium ſcriptorum, non ego auctoritatem plurimi nõ facio, ſed in ijs grãmatici, diuinũ ſplendorem latinitatis nõ intelligũt, qui locos illorũ quoſdã falſo contra nos eſſe arbitrantur. Præteritũ uerò paſsiuum, eſt, uti iam à principio diximus, ſcriptum eſſe uel fuiſſe. Variatur hoc per genera, numeros, perſonas, caſus quemadmodum auditus ſum uel fui, auditus eram uel fueram, & quę ſunt ex his nata omnia, ut; Superiores ad te meas literas cognoui nõ fuiſſe perlatas. Vnius hominis prudentia ſcito fracta eſſe hoſtiũ conſilia, niſi apud Plautum ſi rectè ſcriptum eſt in Amphitruone;

Iuſtam rem & facilem eſſe oratum à uobis uolo.

At futuri uox una eſt quæ nullos in caſus alios declinari poſsit, ut ſcriptũ iri, & laudatũ iri. Dicamus ergo; Confido probatum iri animũ tibi & uoluntatẽ, aut conſilium meũ. Perditiſsimi hominis mores, artes, ac latrocinia confido uobis omnibus cognitum iri. Infiniti loco ueteres dicebant. Facto opus eſt: inuento opus eſt Phædria: conciliatũ oportuit Cæſarem: mihi cõicatum oportuit, pro facere, inuenire, conciliare, cõmunicare. Non deeſt in his ne Ciceronis quidem auctoritas, ut; Opus fuit Hircio conuento. Verũ hoc iam quidẽ factũ oportuit. Interemptum eſſe L. Catilinam, & grauiſsimo ſupplicio affectum iam pridem oportebat. A uerbo etiam neutro abſoluto quemadmodum Terentius; *Participium pro infinito.*

Vt ut erat pater, manſum tamen oportuit,

Sed non ualde pertinent hæc ad eam ipſam rationem infiniti, quade nunc ſermo erat, ſed potius ad ſimplicem illam, pueris notam; Aueo ſcire: cupio diſcedere, deſijt furere, cœpit rogare, quæ neſcio an genus aliud uerborum admittat, prę terquę ad animum, uel ad incipiendum pertinent, uel deſinendum, uel ad facultates, ut cupio, poſſum, queo, ualeo, licet: niſi ſi loquare ita quomodo M. Tullius pro A. Cæcina; Nullam eſſe rationẽ amittere eiuſmodi occaſionem: ideſt *Modus infinitus gerundij loco.*

ideſt nihil eſſe cur ea occaſio amitti debeat. Iterum, in Lucullo; Nec uerò eſſe ullam rationem diſputare cum iis qui nihil probarẽt: & in Andria Terentius:

Poſt ubi iam tempus eſt promiſſa perfici,
Tum coacti, neceſſario ſe aperiunt.

& Catullus;

Surgere iam tempus, iam pingues linquere menſas,

Huic diuerſa ratio eſt eorundem græcorum illa, quoties uerbo utimur quod ὑπαρκτικὸν uocant, loco eius quod eſt potẽtiæ, uel pro eo quod eſt licere, ut Poeta in ſexto Aeneidos;

Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum
Cernere erat

Solent admonere pueros infinitum capi ſæpius præteriti loco imperfecti, ubi præſertim breuiter multa colligere neceſſe eſt, ut;

Inuidere omnes mihi,
Mordere clanculum: ego non floccipendere:
Illi; inuidere miſerè.

M. Tullius in Verrem; Quærere incepimus de Carpinatio, quiſnam eſſet is Verrutius: hærere homo, auerſari, rubere: & Virgilius;

Hinc mihi prima mali labes, hinc ſemper Vliſſes
Criminibus terrere nouis, hinc ſpargere uoces
In uulgum ambiguas, & quærere conſcius arma.

Illud ergo intereſt maximè quod præteritum imperfectũ, ſicut iam quinto libro diximus ad actionum quoq; tarditates, infinitum uerò ad narrandi celeritates adhiberi ſolet: quod uidens in Phormione Terentius, eodem, hæc duo in loco diſtinxit, ut;

Noſter quid ageret neſcire, & illam ducere.
Cupiebat, & metuebat abſentem patrem.

Illud poſtremum ſit, eſſe apud noſtros etiam dare bibere, quemadmodum in Andria Terentius docuit;

Poſt deinde, quod iuſsi, ei date bibere;

& Cato Maior de Re ruſtica;

Bis in die id faciet: meridie bibere dato.

Tranſit à modo infinito ad gerundium. Poſtulat autem hic locus de gerundijs etiam explicemus ea, quæ ſummis auctoribus uſitata, & maximè latinitati conſentanea eſſe uidebuntur. Nomen uerò gerundiorũ ideo uitare nolui, quod nemini ueterũ, ac ne M. quidẽ Varroni uiſum eſt id uitari debuiſſe. In his.n. libris, præter quæ ſunt propria ipſius grãmaticæ ea tantum permitti uolo mihi quæ maximis oratorũ, & poetarum ſunt permiſſa. Libentiſsimè

tiſsimè autem accedo ad hanc partem, diligentiſsimeq; mihi tractandam, & ſtudioſis noſtræ linguæ diſcendam puto, quæ pars nihil habeat cõmune cum græca, aut aliarum gentium linguis, & nata apud nos, propria ſit latinitatis. Affert prætereà plurimas ad loquendum commoditates, & lepidiſsimas loquutionum formas, unde adiumenti, & uenuſtatis plurimũ latinæ orationi acquiratur. Ac deniq; ſunt gerundiorũ duo genera prima, quæ literatiſsimi noſtrorũ hominũ, nominibus quoq; diſtincta eſſe uoluerunt, unum legendi, legendo, legendũ plerunq; ſignificationis actiuæ: alterũ legendus, legẽda, legendũ, ſignificationis paſsiuæ. Prioris generis exẽpla dari hæc poſſunt. Nullũ facio finẽ legendi. Defeſſus iam ſum ſcribẽdo: uenio ad audiendũ. De paſsiuo cõſtituere ſic neceſſe eſt; Duo illud ſecunda in genera diſtribui debere, unũ quod ſponte rem fieri demonſtrat, quoties ita loquimur; Accedo ad rẽ publicã adminiſtrandã, aut literas diſcendas: alterũ, quod neceſsitate, ut; Mihi adminiſtrãda eſt res publica, diſcendæ literæ, ducẽda uxor. Significamus etiã hoc genere loquẽdi, ſiquid ad me officiumq; meũ pertinet, ſed neceſsitas eſt in eo frequẽtior. Nã græci etiã, qui gerũdia nõ habẽt, illa ſua βαδιστέον, μενετέον, πεμπτέον, hanc ipſam neceſsitatis uim ſignificantia, θέσεως ἐπιῤῥήματα dixerunt. Et ſi.n. ἐπιῤῥήματα non ualde mihi placeat nominare, quia abſunt multũ ab aduerbij natura, & caſum regere, & uirile fœmineũq; genus habere poſſunt; ut πεμπτέος πρέσβυς, γαμητέα θυγάτηρ, φοβητέον πολέμιοις ratione tamen optima θέσεως dixere, quo uerbo, illã quæ dicta eſt neceſsitatis uim oſtendere uoluerunt, ſed uenio ad quæ ſunt latinitatis propria. Tã ſpontis quã neceſsitatis declinatur more adiectiui nominis, ut legẽdus, legẽda, legendũ. Sũt hæc duo poſtrema ſic inter ſe diſtincta, nõ opinione mea, ſed natura. Lõgè.n. differũt, ita ut alterũ, eſſe pro altero nunquã poſsit. Prætetea uerò, quũ illud q̃rimus, utrũ habeãt gerundia nominatiuũ, dici cõſtanter aliquid ea de re nõ poteſt, niſi hæc duo uelimus eſſe diſtincta. Nã illud qđ ſpõtis, uolũtatisq; eſſe diximus, nominatiuũ nõ hẽt ullũ, niſi à poetis quendã rarò uſurpatũ qualis eſt apud Virgilium;

Turne quod optanti Diuum promittere nemo
Auderet, uoluenda dies en attulit ultro.

Cuius rei, ueteres quidem alij, ſed Lucretius potiſsimum Virgilio auctor fuit, apud quem extat hoc genus.

Sic uoluenda ætas commutat tempora rerum

Immo ne ille quidem nominatiuus eſt, unde potuerint ij quos dixi gerundiorum caſus ullo modo declinari. Rectè.n. ſi exiſtimemus

hoc

Pulcherrima, in latinitate ratio et elegantia gerundiorum.

Gerundia, duo prima in genera uult eſſe diſtributa.

Gerundia paſſiua duorum generũ.

Noua, ſed neceſſaria appellatione gerũdia uocat ſpontis et neceſsitatis.

Voluenda dies, genus diuerſum omnino à ſuperioribus gerundijs.

hoc tertium erit quoddam gerundium in conſuetudine poetarum, ſignificatione à ſuperioribus omnino ſeparatum, à quo ſit ablatiuus pluralis,

Triginta magnos uoluendis menſibus orbes
Imperio explebit:

Vt apud Homerum quoq;

ἔτος ἦλθε περιπλομένων ἐνιαυτῶν

An gerundia ſint participia præſentis temporis. Niſi ſi, quemadmodum homines docti quidam uoluerunt, gerūdia omnia, nos uel hoc unum gerundium uelimus eſſe participium præſentis temporis. Verum hac de re iudicet quiſq; ut uolet; ego ad illud reuertor, ut moneam gerundia quæ dixi neceſsitatis, carere nominatiuo non poſſe quem habent tota in latina lingua frequentiſsimum, ut mihi exorandus eſt pater, ducenda uxor, fugiendum crimen. Gerundijs igitur hæc in genera diſtributis, nihil de his confuſè cogitari poteſt, & quoties dubitatio erit, ad ſuum quęq;, certumq; genus referre poterimus. Pronunciabantur olim hæc omnia in tertia coniugatione & quarta, quod ſæpius in ueterum ſcriptis eſt, legundi, legundo, legundum, & audiundi, audiundo, audiundum, idq; etiam in adiectiuis, ut legundus & audiundus, ut iuris dicundi, communi diuidundo, familiæ herciſcundæ, finium regundorum. Percurram ergo ſingula, & quicquid habent memoratu, aut ueterum elegantia dignum, id potiſsimum notabo. De tribus illis prioris generis primum eſt legendi ſignificationis actiuæ. Paſsiui exempla quæ & pauca & minus grauia ſunt, imitari nolim. Cauendum enim nequid à ueterum uſu oratorum diſcedamus. Dependet hoc, ut cæteri omnes genitiui ab antecedente nomine ſubſtantiuo, ut auiditas legendi, uoluntas audiendi: interdum adiectiuo, ut auidus pugnandi, cupidus nauigandi, ut Horatius;

-Expers ipſa ſecandi.

Terentius in Hecira,

-Non dici poteſt
Quam cupida eram, huc redeundi, & abeundi à milite,
Voſq; hic uidendi.

Hoc eodem in exemplo uides etiam, huic gerundio caſum tribui poſſe, qui ſuis etiam uerbis apponatur. Nec miremur huius loco, modum eſſe aliquando infinitum;

Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad uenandum.

Sint enim hæc, non huius loci & noſtræ præceptionis, ſed ueterum auctori-

auctoritatis. Illa ſunt etiam quæ pluribus dicuntur modis, Nunc tuum eſt officium has bene ut aſsimiles nuptias. Hic priſcè etiam ſuperioreq; exemplo, dici potuiſſet, aſsimulare, & quod eſt poetæ eiuſdem & bonorum omnium conſuetudinis;

Tuum eſt officium has bene aſsimulandi nuptias.

Sed quod ad horum trium gerundiorum ſignificationem attinet, qua de re omnes ferè grammatici multa, inter ſeq; diuerſa diſputarunt, illud ſcire oportet antiquiſsimis temporibus ſic loquutos eſſe homines, ut his paſsiuam quoq; ſignificationem darent. Declarat hoc, tritum illud M. Tullij uulgareq; exẽplum quod habet etiam pueri quotidie in manibus in epiſtola ad Papirium Pætum; Nunc ades (inquit) ad imperandum, uel parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur. Apparet iam ut ad imperãdum ſignificatione paſsiua dixerit: hoc eſt ut Papirio à Cicerone imperetur. Apparet etiã antiquiſsimis hominibus hoc fuiſſe in conſuetudine ſermonis. Hoc exemplum quod ſolum eſſe uidebatur, uir doctiſsimus latinæ linguæ Paulus Manutius, altero Saluſtij exemplo pulcherrimo illuſtrauit. Illius auctoris in bello Iugurthino locus eſt huiuſmodi. Iugurtha ubi armis, uiriſq;, & pecunia ſpoliatus eſt, quum ipſe ad imperandum, Tiſdrum uocaretur, rurſus cœpit flectere animum ſuum, & ex mala conſcientia, digna timere. Durius etiam hoc uideri poteſt, quod gerundio ex genere tertio neutrorum paſsiua ſignificatio data ſit. Et ſi enim dicamus imperare frumentum populis, imperare pecuniam ciuitatibus, nemo tamen dicat imperare populos, aut ciuitates. Antiquitas uerò in uſu habuit ut præter uerbi naturam diceret; Ades ad imperandum ut ſcias ex ijs uerbis quæ paſsiuam naturaliter poſſunt habere ſignificationem, gerundia huiuſmodi paſsiua, communi in conſuetudine omnium fuiſſe. Quamuis igitur tribus his gerundijs, legendi, legendo, legendum, nunc actiue magis quam paſsiue utimur, antiquiſsimum tamen loquendi morem auctores imitati ſunt, ut (quemadmodum infra apparebit) ea, interdum paſsiua quoq; in ſignificatione uſurparint. Quare non præcipio equidem poſteriora duo præſertim, nullo modo paſsiue dici, ſed auctorum huiuſmodi exempla, ſuadeo rectiſsime uideri, atq; ab ijs nihil omnino diſcedi, nequid fiat aut ſæpius, aut aliter quam illi fecerunt. Secundum uerò gerũdium cohærere unquam poteſt cum ſubſtantiuo nomine. Et ſi enim dicatur audiendo Platone, legendo poeta, audiendo tamen & legendo ad ſignificationem pertinet paſsiuam. Habet ſæpe caſus pro uerborum natura, ut refellendo

Ades ad imperandum.

do argumenta, ſeruiendo ſtudijs. Ipſum fit aliquando ablatiuus ex ui præpoſitionum, ut; Non diſtinguit Epicurus à non dolendo uoluptatem. Idem Cicero de Natura Deorum; In redeundo quum pomoerium tranſiret, auſpicari eſſet oblitus. Tertio Tuſculanarũ quæſtionum libro; Quoniam confidens, mala conſuetudine loquendi, in uitio ponitur, ductum uerbum à confidendo, quod laudis eſt. Eodem in loco; Diſcrepat.n. à non timendo confidere. Præterea de tranſeundo in Epirum: & inuidiam eſſe dictam ab inuidendo, & amorem, amicitiamq; ab amando, & nos deterreri à diſcendo, & aliquem eſſe multum & ineptum in loquendo, & eſſe interfectorem in confitendo, uel inficiando, & diſputatum de non ſentiendo, idem Cicero, auctoreſque omnes ſæpiſsime dixerunt. Illud rarum eſt quod huic ablatiuo caſum tribuunt aliquando, ut in officijs Cicero dixit in tribuendo ſuum cuique, & in Tuſculanarum tertio quæſtionum libro; ut effugiamus ambiguum nomen inuidiæ, quod uerbum ductum eſt à nimis intuendo fortunam alterius. Illud apponunt etiam ex libro M. Varronis tertio de Re ruſtica, niſi tamen aliam diſtinctionem uelimus eſſe uerborum; In ſupponendo oua, obſeruant ut numero ſint imparia. Sunt alia quædam uel M. Tullij, uel cæterorum huiuſmodi interdum exempla, quæ inſaniat neceſſe eſt ſiquis latina eſſe non putarit, quæ ut concedam ueterum auctoritati, nolim tamen pueris nouiſque imitatoribus proponi ad imitandum. Præterquam enim quod rara ſunt, eſt etiam alia ratio loquendi magis tuta, & uulgata omnibus, quam pro hac ſequi poſsimus, & placet mihi minime dubiam tyronibus maximeque tritam loquendi uiam oſtendere. Habet aliquando gerundium hoc paſsiuam quoq; ſignificationem. Præter enim exempla quæ attulerunt grammatici à Virgilio;

In tribuẽdo ſuum cuiq;.

Accuſandi etiã paſsiuè.

-Alitur uitium creſcitq; medendo,

Sunt illa quoq; Terentij in Phormione;

Quando iam accuſando fieri infectum non poteſt.

&;

Nihil eſt Antipho, quin male narrando poſsit deprauarier;

Illud etiam Ciceronis eſt in Catone Maiore; Animi autem excolendo leuantur. Ad Atticum libro octauo; Leuatur enim omnis cura, quum aut conſiſtit conſilium, aut cogitando nihil explicatur. Meminerimus tamen his gerundijs paſsiuis, nullum ablatiuum perſonæ aut rei agentis dandum eſſe. Non enim dicas accuſando à te, uel exercendo ab hominibus, uel narrando à nobis. Inuenimus

gerundium

gerundium hoc poſitum aliquando cum uerbo ſubſtantiuo. Dicimus enim ſic; Pater ſoluendo non eſt. Publicani ſoluendo non erant. Cicero ad Atticum; Magius ſoluendo non erat. Ad Appium Pulchrum; Sumptus decerni legatis nimis magnos, quùm ſoluendo ciuitates non eſſent. Rectè quidem hoc ſenſu, & hoc ſoluendi, uerbo nemo tamen dicat pater non eſt reſpondendo, aut publicani exigendo. Licet cum uerbo ſoluere ſic loqui, non licet cum cæteris. Simile quiddam fortaſſe admoneri de eo poterit quod in Topicis idem Cicero dixit; Quia coniugata uerba ſunt pluuia & pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri quæ pluendo creuiſſet. Sit ergo nix & ningendo, tonus & tonando, lux & lucendo, amor & amando, error & errando ac denique in uerbis omnibus, id ſequamur, quod M. Tullius uno in uerbo, idq; ſemel dixit pluuia & pluendo. Audaciæ eſſet hoc, & non ferendæ temeritatis quæ latinum ſermonem euerteret. Concedimus enim hæc ſummis aliquando uiris, nõ ueteribus modo, ſed noſtri etiã ſæculi doctis hominibus quoties grauiſsimis in rebus, de ratione uerborum aliquid ſit neceſſe quemadmodum hoc loco Ciceroni diſputare. In ſcholis uerò & communi uſu loquendi, apud eos qui integri ad grammaticam accedunt, ſuadeo his exemplis, atque hoc genere loquendi omnino ſuperſederi. Nec male tamen uiſum eſt doctis hominibus pluendo à Cicerone illo more dictũ eſſe quo à græcis τὸ ὕειν, τὸ βροντᾶν, τὸ βλέπειν dici conſueuit. Solemus enim (id quod facere neceſſe eſt) quoties nuda ponimus uerba, eaque interpretamur, uel quoquomodo non ſuarum cauſa notionum uſurpamus ita loqui ut numeri, caſus, modi, & quæcunq; omnino illorũ declinatio nullis alijs à uerbis regantur, ut à ſub & limis deductum eſt ſublimis, recte hic generis & caſus neglecta ratio eſt: itemq; ſi à grammatico aut ignaro latinitatis dicantur ſimiles habere uoces dolere & gaudere: ex eodẽ eſſe principio atq; origine lætitia & lætari, uel fructus & fruendo quemadmodum pluuia & pluendo. Leuia putari hæc poſſunt, quæ & uera ſunt, nec ab uſu remota, & à doctiſsimo quondam Apollonio multis uerbis diſputata, & quidem ad rem qua de agitur neceſſaria quæ ſignificatio apud græcos articulorum oppoſitione fit expreſsior, ut;

Soluendo nõ erat.

Nuda uerba & ſine ſuis ſignificationibus poſita quomodo tractare conueniat.

τὸ ὀφλισκάνω οὐ πολλὰ σημαίνει: τὸ ἐπιφράττω δευτέρας ἐστὶ συζυγίας: τὸ
Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα
πρῶτον ἐποίησεν ὁ ποιητὴς στίχον

Diſcen-

Diſcentium tamen gratia hæc dicta ſunt. Nam docti norunt ipſi meliora & poſſunt hæc eruditius explicare. Ne illud quidem admoneri oportebat, huic gerundio motum de loco non temere dandum eſſe nec ualde uſitatum inueniri, Venio à legendo, uel redeo à diſputando, nec magnifacienda ſunt quæ grammatici aduerſus hanc ſententiam exempla attulerunt. Item illud, inter duas perſonas minime poſſe quẽadmodum ne participia quidem collocari. Vt enim oratio foret inaudita ſcribẽtes docti homines cognita ſapientia eſt, ita etiam ſi dicatur; Scribendo docti homines eſt cognita. Nam poſt ſcribentes uel ſcribendo ſequatur neceſſe eſt uerbum quod eadem hæreat cum perſona, ad quam ipſa uel gerundia uel participia referuntur, ut; Scribendo docti homines ſapientiam illuſtrarunt. Sunt quidem exempla ueterum quibus probetur, ſic etiam dici poſſe, eaq; illuſtrium auctorum, ſed maximo ac latiniſsimo omnium Terentio contenti ſimus. Is enim ita in Hecyra ſcribit;

Gerundiũ inter duas perſonas an poni liceat.

Nam de te quidem ſatis ſcio, peccando, detrimenti nihil fieri poteſt.

Rarum Terentij exemplum.

Eadem in fabula;

Vouiſſe hunc dicam, ſi ſaluus domum
Redijſſet unquam ut me, ambulando, rumperet.

Cæcilius quoq; apud Ciceronem in Catone Maiore fortaſſe uideatur hunc ipſum loquendi morem ſequutus;

Aedepol ſenectus ſi nihil quicquam aliud uitij
Apporet ſecum cum aduenerit, unum id ſatis eſt,
Quod diu uiuendo, multa quæ non uult uidet.

Hunc Cicero malum indicat auctorem latinitatis. Terentij uerò fabellas propter elegantiam ſcribit ſolitas, eo tempore ad Lælium ac Scipionem deferri. Quid ergo? Ex illius auctoritate nobis ita loquendum erit, ut alias ad perſonas gerundia ac uerba referantur, ſæpiusq; nihil ſit quo referri gerundia uelimus? Dicemus poſthac; Tu docendo nos lætamur, aut; Vos laudando nihil ad ueſtram gloriam addi poteſt: idq; pro latini ſermonis publica lege habebitur? Equidem, ad imitandos optimos etiam auctores, totamq; rationem latinæ linguę, magnum quoddam iudicium ſentio adhibendum eſſe, quod ſi non fiat, magna parte latinitatis periclitandum nobis erit. Scio quibus religio ſumma eſt à M. Tullio, ac bonis auctoribus, uel paululum diſcedere, quia tamen iudicio carent imitandi, nihil afferunt, quo rectè loqui, ac ſcribere uideantur. Auctores enim quos imitamur, omnino perfecti ſunt omnes, at culpa in nobis eſt, qui

non

non rectà illos didicimus imitari. Quamobrem nos id ſequamur quod in uſu eſt frequentiore bonorum auctorum omnium, & in ijs quædam non intelligere nos, modeſtiæ loco ſit confiteri. Nunc tamen etiam pueri intelligunt, gerundium à Terentio eſſe poſitum, quo in loco participium eſſe oportebat, id quod ab omnibus uitandum erit. Quod autem eſſet, ſcribendo docti homines cognita ſapientia eſt, non dico ferendum non eſſe quod nemo unquam tulit, ſed cauſam eſſe cur ferri non debeat, quia ex duobus nominandi caſibus, alter, uerbum non haberet ad quod referri poſsit, quo nihil eſt à grammatica, aut etiam, omni à ſermonis natura magis alienum. Sunt illa probatiſsimo in more poſita loquẽdi, adeſſe ſcribendo, abeſſe ſcribendo, ut; Scribendo affuerũt L. Domitius; Q. Cælius. Idem Cicero alibi; Decreto ſcribendo uideo abfuiſſe Lyſaniam. Tertium gerundium eſt legendum, cadens in literas ac ſignificationes accuſatiui, ſemperq; ſubiectam habet præpoſitionem Ad, ut; Veni ad legendum, ad ſeruiendum, ad fruendum. Poteſt & ſine uerbis oſſe pertinentibus ad motum, ut in Phormione Terentius;

Potior ſit, qui prior ad dandum eſt:

& cum adiectiuis, idoneus ad diſcendum, aptus ad diſputandum, paratus ad audiendum, promptus ad pugnandum, animatus ad confligendum, & huiuſmodi quamplurimis. Eſt illud quoq; genus; Ad imitandum mihi propoſitum exemplar illud eſt. Et; Attici nobis propoſiti ſunt ad imitandum: qua forma loquendi Cicero cum bonis omnibus plurimum delectatur; ubi gerundium pro uerborũ natura poteſt nunc actiue exponi nunc paſsiue, ut; Propono mihi aliquid ad illuſtrandum. Magna res propoſita nobis eſt ad ſcribẽdum. Philoſophia habet multa difficilia ad explicandum. Sunt etiam illa quum accuſatiuus gerundij alias habet ſubiectas præpoſitiones, ut mercedem petere ob abſoluendum, uel ob ius dicendum, uel ob iudicandum, ut idem Cicero ad Atticum; Vt de ijs qui ob iudicandum pecuniam accepiſſent quæreretur. Poſſunt igitur ferè hic eſſe præpoſitiones quæ ad motum pertinent, uel ad cauſſas. Ad motum uerò ſeu ad locũ ſignificent, ut Ad, ſeu de loco ut A, Ab, Abs, De, E, Ex, Pro, ut uenire ad ſpectandum, diſcedere uel abeſſe à diſcendis literis, cogitare de remigrãdo, uel de legionibus, traijciẽdis, orationem habere pro captiuis redimendis, relinquere omnia propter pauperes defendendos. De Pro, exemplum nobis dedit Plautus in Aulularia, ut;

Gerundiũ patiendi qua ratione agendi ſolcat fieri.

Quibus præpoſitionibus gerundia iungantur.

Pro uapulando hercle ego abs te mercedem petam.

S Aliæ

Aliæ uerò præpoſitiones quædam, uel raræ ſunt in hoc genere, uel poetis conceſſæ. Verum ego paulatim delapſus eram ad exempla gerundij adiectiui paſsiui. Sed exempla quibus probetur huic gerundio tertio actiuo accuſatiuum poſſe dari pauca ſunt. Recitant.n.ex M.Tullio ad Atticum; Ad uaſtandum Italiam: & in Catilinam; Ad placandum Deos: & ad P.Seſtium; Ad leuandum fortunam tuam:& de Oratore; A principio agreſte quiddam eſt, & illud idem ad confirmandum uocem ſalutare: & neſcio quid ex alijs, quæ ut uera ſint, & uitio careant ſcripturæ,raritas tamen exemplorum facit, ut rudibus ægre ſic loqui permittam, & quæri de his adhuc uelim diligentius. Gerundij autem adiectiui nobis à principio bipartita ratiò fuit: una ſpontis (hoc enim uerbo utendum eſt) altera neceſsitatis. Priore igitur de genere nunc ſcribendum erit. Hoc,ſignificatione prædità paſsiua, per genera, numeros, & caſus more nominis adiectiui declinatur. Cohæreat ergo neceſſe eſt cum ſubſtantiuis, in caſibus quos, aut uerba poſtulent, aut participia, aut præpoſitiones, aut prorſus quæcunq; ratio alia ſit nominum adiectiuorum. Solo caret hoc (ut dixi) recto caſu utriuſq; numeri: quare à genitiuis incipere licebit, ut cupiditas legendi Platonis, uidendæ matris, ſalutandi numinis. Data eſt opera placando Cæſari, conciliandæ amicitiæ, componendo bello; Veniebant ad cognoſcendum Liuium, ad audiendam hiſtoriam, ad legendum poema. Abeſt à gerendo magiſtratu, à tuenda republica, à frequentando foro. Sic etiam delectatio, fructus, utilitasue legendorum oratorum, cognoſcendarum ſtirpium, obſeruandorum ſiderum. Inuenimus tamen à ueteribus gerundij caſum genitiuum unitatis, alio cum gignendi caſu multitudinis coniunctum. Ego uerò nondum conſtituo, utrum is genitiuus, nominum eſſe, & quarumuis partium orationis poſsit. Vereor enim in quotidiani ac triti conſuetudinem ſermonis, illud genus introducere, aut in præcepta loquendi referre, legendi oratorum, cognoſcendi ſtirpium, obſeruandi ſyderum, ut præter naturam numeri, aurium cauſa rationem grammaticæ negligamus. Nec ignoro equidem Plauti illud in grammaticorum præceptis exemplum;

Nouitatis neniã petit.

Adhortãdi ueſtri,ſeu audiendi philoſophorũ quatenus uideatur eſſe permittendum.

Nominandi iſtorum tibi erit magis quàm edundi copia

& Ciceronis, de Diuinatione: Dolebis tamen ſtoicos noſtros Epicureis irridendi ſui facultatem dediſſe. Deniq; T.Liuij; Non enim uereor, ne quis hoc, me ueſtri adhortandi cauſa magnifice loqui exiſtimet. Quid? dicet aliquis: maximis auctoribus, Plauto, Cicerone,

cerone, Liuio, adhuc uereris ut latinè ſatis dicatur, legendi oratorum, cognoſcendi ſtirpium & obſeruandi ſyderum, ut latiniſsimè dictum eſt adhortandi ueſtri, irridendi ſui, & nominandi iſtorum? Iſtuc equidem uereor quia uſus eſt rarus exemplorum, & quæ modo recitata ſunt, habent quod me uehementer moueat, & in nouam fortaſſe cogitationem inducat. Video enim genitiuos qui gerundijs adhærent, eſſe tantum à pronominibus: quam loquendi rationem ſi rectè imitemur, nec à ueterum uſu diſcedamus, ego & mihi & omnibus permiſſum uolo, ut nominandi iſtos & iſtorum, adhortandi uos & ueſtri latiniſsimè dicamus, & prorſus omni in ſermone uſurpare poſsimus. Ciceronis autem illud; Irridendi ſui dure nimis aliter dictum eſſet. Omnino autem quoties pronomen ſit appoſitum, aliquid ſubeſt quod reſpicere debeamus, & præſertim ſi pronomen ſit relationum, ut poteſtas aduocandi quos uelim, ubi nullus genitiuo locus eſſe poteſt. Non eo tamen inficias aliquo fuiſſe in uſu antiquitatis, ut cognoſcendi quoque ſtirpium diceretur. Etenim in prologo ἑαυτὸν τιμωρουμένου ſcriptum legimus;

Facite æqui ſiis, date creſcendi copiam,
Nouarum qui ſpectandi faciunt copiam
Sine uitijs

Sed ſcilicet præcepta latini ſermonis exquiſitiora dum tradere conamur ſubeunda nobis indoctorum ſuſpicio eſt, ut ijs non admirari omnino ſummam elegantiam, & maxima auctorum ingenia uideamur. Et poterit eſſe quiſquam tanta iniquitate iudex, & ægre accipiat, quod ex M. Tullio etiam ea proponam ſæpius quæ ego putem eſſe meliora? Reprehendet aliquis iudicium ac diligentiam meam, quod quùm ex bonis omnibus, omnia nos imitari uelim, alijs tamen alia magis probem? Denique in ſummis auctoribus nihil habeo quod non putem eſſe perfectum, & ſiquid in ijs eſt quod à nobis aut magnam partem, aut omnino dici nolim, ea re nolo, quia non ualde exercitatos, nec dum imitandi perfectiſsimam ſcientiam conſequutos in epiſtola præſertim, & paruis quibuſdam lucubrationibus, non puto eiuſmodi periculis committi oportere. Hæc mihi tamen de uſu genitiui eius quem dixi ueniebant in mentem, qua in opinione, illud me cõfirmat etiam, quod ea diſcrepantia numerorũ ſuauitatis gratia quęſita eſſe uideretur ne inconcinnè dicamus nominandorũ iſtorũ, quæ ſi cũ genitiuis aliarũ partiũ orationis permitteretur, ſæpe oratores uitiũ illud male con-

iungendi uitarent, idque Cicero uel ſemper, uel eo loco in Catelinam uitaſſet; Quum multi principes ciuitatis Roma non tam ſui conſeruandi, quam tuorum conſiliorum reprimendorum cauſa profugerunt: cur non potius tuorum conſiliorum reprimendi cauſa, quod ſuauius fuiſſet? Cur illud conſeruandi ſui hic non uitauit ut nec alibi, irridendi ſui? Verum quia ſatis ut opinor aperta ratio eſt, iam tranſeo ad reliqua. Datiuus ablatiuusq; eſt ſalutandis amicis, diſcendis literis, diluendis criminibus. Accuſatiuus denique ad commonendos amicos, ad copulandas amicitias, ad punienda ſcelera. Nec expectet aliquis dum dicam, quos caſus, quibus dari gerundijs oporteat. Iam apparuit enim adiectiui nominis quadam natura hoc eſſe gerundium. Quapropter fieri non poteſt, quin ſubſtantiuo nomini ſemper aptum ſit atque coniunctum. Caſibus erga ijſdem neceſſe eſt hoc eſſe quibus nomina ſubſtantiua ſunt, aut etiam forent, tametſi gerundia non adeſſent. Tolle enim hæc à ſuperioribus, & eadem omnino uerborum omnium, & caſuum ratio manebit. Nam præcipiunt etiam cuiuſcunq; ſint generis, aut numeri genitiuos, eorum dumtaxat quæ adhuc dicta ſunt gerundiorum, ab his pendere ſæpe ablatiuus, cauſa, gratia, mente, animo, ſtudio, uoluntate. Hæc tamen ratio non magis ad gerundia, quam ad ipſa nomina pertinet, etiam ſine gerundijs, in oratione collocata. Nam quod Platonem, Architæ cauſa Tarentum ueniſſe dicimus, quod hominum gratia philoſophiam mandaſſe literis, quod adductum ſtudio ſapientiæ Aegyptum peragraſſe, his genitiuis nihil mutata forma orationis gerundia poſsis addere ut Architæ audiendi, hominum iuuandorum, ſapientiæ perdiſcendæ. Quod dico eò pertinet etiam ut oſtendam neq; huiuſmodi in genitiuis, neq; alia in re ulla, uel addito, uel detracto hoc gerundio paſsiuo, diuerſum genus fieri ſermonis. Quæ præpoſitiones autem gerundijs præponantur, colligi poteſt ex his quæ ſubiungam exemplis; Dicimus.n.in propulſando bello, in capiendis uoluptatibus. Venio ad ſpectandos ludos. Ob deponendum imperium, uel propter aſſequendos magiſtratus ad urbem accedere. Boni auctores multi ſic loquuntur, ut dicant; Inter cœnandum ſcripſit, inter currendum cecidit, ut Virgilius;

Non quotidianum Terentij exemplum.

Facile, nullumq; prorſus negotiũ eſt patiendi gerundia tradere.

De præpoſitionibus ad gerundia.

Potum paſtas age Tityre, & inter agendum
Occurſare capro, cornu ferit ille caueto.

Rarior eſt uſus præpoſitionis Ante, ut;

Ante domandum
Ingentes tollent animos.

Pergam

Pergam de reliquis dicere, ut; Romam miſſus eſt de redimendis captiuis. Vel; Agitur de ornando Cæſare, de reſtituendo Ptolemæo. uel; Mutauit conſilium de fugiendo in Africam. Item ex turpiter uiuendo ſuſpicio ſceleris eſt nata. E tollenda lege aut minuenda libertate conſequutum eſt odium. A conſulendo ſunt conſules nominati. Diu feriati ſumus ab hiſtoria ſcribenda. Nihil habent cõe deliciæ cum ſapienter uiuendó, aut cũ literis diſcendis. Siquibus alijs etiã præpoſitionibus cũ gerundio alij auctores utũtur, ſciamus hoc rarius fieri ſolere, ut Varronis in quinto (ut arbitror) de latina lingua libro locus eſt; Nec ſine canendo tibicines dicti. Vtimur etiã gerundij huius ablatiuo, à præpoſitionibus, aut uerbis quibuſcunq; absoluto. Nec.n.ualde raró, tale quiddam in ſcriptis eſt ueterum. Multum aſſequeris doctrinæ Platone legendo, antiqua literarum cõſuetudine renouanda, eloquentiæ lumine cum omni ſapientia coniungendo. Sed huiuſmodi in exemplis tamen diſpiciendum, recteq; uidendum eſt, quoties huiuſmodi in ratione loquendi, certa cum perſona hoc gerundiũ cõiungitur, tum ſignificationem eſſe actiuã. Hic ergo quũ ea ſint ad ſecundam perſonam (quæ certa eſt) relata, ita exponendum eſt, ſi Platonẽ legeris, antiquam literarum conſuetudinem renouaris, lumen eloquentiæ cum ſapientia coniunxeris. Ratio nẽ habet eandẽ, quod M. Tullius ad Sulpitium ſcripſit; Gratiã quoq; nos inire defendenda pace arbitramur. Sic etiam & reliqui auctores omnes, & Cicero ipſe quum alibi ſæpius, tum ad Lentulum; Videbatur.n.reconciliata nobis uoluntas ſenatus eſſe, quod tum dicendo, tum ſingulis appellandis, rogandisq; perſpexeram. Ad Marcum filium; Orationem autem latinam profectò legendis noſtris efficies pleniorem. Hæc rurſus certam ad perſonam ſi referri non poſsint, tum, paſsiuam ideſt naturalem ſignificationem obtinebunt. Idẽ Cicero ad Atticum; Quum concio more hoc inſulſo & nouo, plauſum meo nomine recitando dediſſet, habui orationem. Ergo ſuperiora exempla, ſi ita paululum commutamus; Magna doctrinæ fieret acceſsio legendo Platone, antiqua literarum conſuetudine renouanda eloquentiæ, lumine, cum omni ſapientia coniungendo: item; Defendenda pace clamores in ſenatu fuerunt, ſingulis appellandis, rogandisque, ſcito cauſam tuam ab omnibus eſſe adiutam, ſignificatio hic erit ea, quæ per naturam eſſe debet, gerundij paſsiui. Venuſtẽ hoc gerundium iungitur his uerbis, do, loco, conduco, mãdo, trado, accipio, curo, ſuſcipio, puto, cenſeo, exiſtimo, ut mandaui deſcribẽdos libros, locaui ædificandam domum, ut Cicero de Diuinatione;

Ablatiuus gerũdiorum abſolutus.

tione; Redemptores columnam de Cotta & Torquato conduxerunt faciendam. Et apud Terentium;

Neq; pol ſeruandum tibi quicquam dare auſim.

Idem alibi;

Ea lauatum dum it ſeruandum mihi dedit anulum.

Sic tu dicas etiam; Curaui erudiendum puerum, uel redimendos captiuos. Dabo tibi legendam epiſtolam, uel diſcenda carmina. Illi conduxerunt deſiccandam paludem, uel ſternendos montes. Putaui ad te ſcribendum. Exiſtimaui eas ad te literas non eſſe mittendas. Cenſuit Caninius Lentulo eſſe ſuccedendum, uel adimendam prouinciam, uel abrogandum imperium. A deponentibus etiam uerbis hoc gerundium fit quibus datur ablatiuus, ut, ea quæ acceperis utenda Cicero dixit, & Plautus in Aulularia;

Cultrum, ſecurim, piſtillum, mortarium,

Quæ utenda uaſa ſemper uicini rogant.

& in Rudente;

Videbatur ad me ſimia agredirier

Rogare ſcalas ut darem utendas ſibi,

Commoda hic ea uerba ſunt, quibus rationem infiniti conſtare iam dictum eſt, ſed ea magis quæ ad linguam, & maximè omnium quæ ad animi ſenſum pertinent.

Gerūdia quę dicuntur neceſsitatis.

Genus fuit alterum gerundij paſsiui, qđ eſt neceſsitatis, habetq; cæteris cum caſibus nominatiuum, ut; Diſſimulandus mihi dolor fuit, ſubeunda inuidia, cœlandū uulnus. Non multis arbitror hic opus eſſe exemplis. Nam & per genitiuos quoq; dicimus; Turbatus eſt metu Pamphilus ducendæ uxoris, mercator abijciendarum mercium: pro uxore quam illi ſit inuito neceſſe ducere, & mercibus quas cogatur in mare hic abijcere: qđ ualde apud omnes tritum eſt loquendi genus. Apertius tamen hoc apparet in accuſatiuis, ut; Prouideo fugiendam eſſe tibi patriam, relinquendos honores, & accipiendas improborum iniurias. Sunt hæc neceſsitatis omnia, quod etiam antè docti ac literati homines uiderunt. Etenim Aelius Donatus ſæpe in ijs cōmentarijs quos in Terentiū ſcripſit rectè admonuit, quod poſteriores grāmatici neglexerunt.

Genus illud quo dicimus peto mihi gloriandum.

Non prætereundum hic arbitror, quod hoc gerundium ad neutrius formam utimur ſingularis, quod a uerbis omnibus duci poteſt, cuiuſcunq; ſint naturæ, uel legendum eſt, carendum eſt, ſeruiendum eſt, bibendum eſt, uapulandum, tranſeundum, gaudendum, philoſophandum, utendum, miſerendum, recordandum, ſuffragandum, gloriandum, moriendum, naſcendum, ingrediendum, pudendum, pœni-

pœnitendum. Denique à uerbis poteſt omnibus hoc deduci, præter ſubſtantiua, & quæ nata ſint à ſubſtantiuis: item à quinto genere neutrorum & imperſonalibus quibuſdam paucis. Ergo dicimus; Catoni exulandum fuit ab Italia, qui illo potiſsimum tempore ſibi putauit eſſe moriendum. Cæſari manendum in ſententia, utendum fortuna, reſiſtendum audaciæ, occurrendum inſidijs inimicorum. M. Tullio ueniendum ad amicitiam Cæſaris, redeundum ad literas, carendum foro, & ſenatu, ſeruiendum tempori. Dicebant etiam uetuſtiores, per hoc gerundium, atque uerba quibus dari conueniat accuſatiuus; Nigidio fuit audiendum philoſophos, fugiendum magiſtratus, legendum libros doctorum hominum, græci ſermonis (ut arbitror) figuram ſequuti ἀκουςέον φευκτέον ἀναγνωςέον. His enim, illi dant accuſatiuum quoties liceat per naturam uerbi, ut; λεκτέον μοι τάδε, γραπτέον τὴν ἐπιςολὴν, ἀναγνωςέον τοὺς λόγους quod loquendi genus ætate etiam C. Cæſaris quùm minime corrupta, & cultiſsima latini ſermonis integritas fuit, boni quoque auctores aliquando imitati ſunt, Varro, Lucretius, Virgilius, ut;

Audiendum eſt philoſophos an dicendum ſit.

-Alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Troiano ab Rege petendum.

Is etiam quem dixi Lucretius præter cætera quæ grammatici habent in ore;

Aeternas quoniam pœnas in morte timendum.

Libro etiam ut opinor quarto ſcriptum ſic reliquit;

Multaq; in his rebus quærendum multaq; nobis
Clarandum, planè ſi res exponere auemus.

Varronis quædam ſunt eiuſmodi, ut; Subulo dictus quod ita dicunt tibicines Tuſci: quocirca radices eius in Etruria non Latio quærendum. Auctor idem octauo libro de lingua latina; Sic enim omnes repudiandum eſt artes, quod in medicina & in muſica, & in alijs multis diſcrepant ſcriptores. Ego tamen Lucretium, Varronem, Virgilium cæteros, auctores iudico eſſe admirabiles, uerum quando aliud eſt genus loquendi uſitatum, atque etiam ita uſitatum, ut (propè dixerim) ſingulis in uerſibus occurrat non puto docti eſſe diligentisque imitatoris, id ſtatim arripere, & paſsim inculcare, quod ex raritate ipſa apparet eſſe ab alijs multum, ab alijs omnino diligentiſsimeque uitatum. Si ergo magna quædam, & grauia tibi ſcribenda eſſent, totque libris explicanda, ut illi quos dixi fecerunt, non uereri fortaſſe deberes tanta in ampli-

tudine rerum, atq; operis,tuo iure interdum proferre duriora:pueris autem,& quibus epiſtola componenda eſt,diuq; laborandum, ut inſolentiam exuant ſermonis, & uerba ſex latina faciant,non hæc ſola, uerum alia etiam infinita huiuſmodi prohibere te uelim. Poſtremus eſt ſupinorum locus quæ duo ſunt,unum actiuæ ſignificationis, ut lectum à lego;alterum paſsiuæ,ut lectu à legor. Actiui uſus penè idem eſt, atq; gerundij eius quo dicimus uenio ad ſpectandum, uel eo ad redimendos captiuos. Apponimus huic ſui uerbi caſum, ut Terentius;

Quæ ſupina dicuntur.

Fucum factum mulieri,

Iterum in Phormione;

Venias nunc mihi precibus lauatum peccatum tuum:

& Virgilius

-Graijs ſeruitum matribus ibo.

Sæpius tamen ſine ullis caſibus ponuntur, cuiuſmodi ſexcenta ſunt eiuſdem poetæ, atq; aliorum omnium exempla, ut; Videre uideor iam illum diem quum hinc egens profugiet militatum: & in Eunucho;

Abeunt lauatum:

Differt à gerundio ſupinum, quod illud eſſe poteſt aliquando ſine motu, ut adſum ad audiendum,quemadmodum ante recitaui ex Terentio exemplum;

Potior ſit qui prior ad dandum eſt:

Huic uerò locus non poteſt eſſe aliquis quo in ſermone motus quidam non ſit. Deniq; prius hoc ſupinum eſt ab omnibus actiuę ſignificationis etiam à deponentibus uerbis, ut in Phormione Terentius;

Percontatum ibo ad portum.

Quod autem ſignificationis eſt paſsiuæ, iungitur huiuſmodi ſemper nominibus adiectiuis,dignus,mirabilis, horrendus,obſcœnus,turpis, ut res turpis uiſu, obſcœna dictu, digna memoratu, ut Virgilius;

Infert ſe ſeptus nebula, mirabile dictu.

Nec alia, aut longiore præceptione res eget. Quoniam uerò ut gerundia, & ſupina, ſic participium quoque naſcitur ex uerbo,placuit mihi, id cum ſuperioribus hunc eundem in librum ad finem uerbi conijcere. Hoc nomen Quintilianus, modo participijs,modo gerundijs attribuit quam rectè gerundijs non uidero: participijs quidem certè aptius excogitari nomen, aut magis proprium non potuit:

tuit: & profectò Græcorum antiquiſsima fuit hæc, ipſaq; de re nata appellatio, ut ea μετοχὰς illi nominarent ad quæ neſcio an M. Varro primus auctor, inde participiorum nomen uerterit.

Participium eſt igitur pars orationis ex eo dicta quod partem capit à nomine, i. leſt genera & caſus, partem à uerbo tempora & ſignificationes, & ab utroq; numerum & figuram. Participium conſequuntur (ut literatis græcorum loquendi mos eſt) genus, caſus, tempus, ſignificatio, numerus, figura. Genera ſunt maſculinum, fœmininum, neutrum, ut lectus, lecta, lectum, & cummune trium generũ, ut legens. Caſus totidem ſunt participiorum, quot nominum fuerunt, eodemq; modo ut nomina ipſa declinantur, ideſt legens declinatione tertia, ut uetus & prudens: lecturus, lectus, & legendus (ſi tamen poſtremum hoc, participium eſſe uelis) ut clarus, clara, clarum. Tempora tria ſunt, præſens, præteritum perfectum, futurum, ut legens, lectus, lecturus. Significationes accipiunt à uerbis unde naſcuntur; quare legens à lego actiuum eſt, lectus à legor paſsiuum, ſeruiens à ſeruio neutrum, ſequens à ſequor deponens. Numeri duo, ſingularis ut legens, pluralis ut legentes. Figuræ etiam duæ ut in nomine: uel ſimplex enim eſt, ut ſcribens, uel compoſita, ut perſcribens, quamuis perſcribens non à participio ſed à uerbo perſcribendi potius ducatur. Nec infringens enim à frangens eſſe poteſt, ſed ab infregendi uerbo: nec participij hoc recipit natura componi ut poſsit. Quod ſi aut alia quædam, aut id quod eſt innocens nullo à uerbo eſſe poteſt & à nocens participio ductum eſt, non participium tamen ſed nomen potius id eſſe cognoſcamus. Quare participia uel ſimplicia eſſe, ut legens, uel decompoſita ideſt παρασύνθετα oportet ut intelligens. Nam σύνθετα quæ dicuntur eſſe nõ poſſunt. Sed nunc uidendum eſt quæ participia à quibus uerbis naſcantur. Itaq; à uerbis actiuis duo participia ſunt unum præſentis temporis, ut amans & legens, alterum futuri, ut amaturus & lecturus. A paſsiuis unum, lectus & amatus temporis præteriti. A neutris duo, ſeruiens & ſeruiturus; uerum ab ijs quæ præteritum habent uocis paſsiuæ tria, ut gaudens, gauiſus, & gauiſurus. A uerbo quod ſubſtantiuum nominant unum eſt participium futurus futura futurum. Præſens uerò nullum eſt, & aliquod eſſe debebat, illud uidelicet quod ſatis molliri poterat analogia minime repugnante. Nam, quis reprehendat quod C. Cæſar, aut alij doctiſsimi ENS participium eſſe noluerunt, quum reprehendat nemo, præſens & abſens, quæ fuerunt olim duriora? Sed profectò, maiores noſtri, om-

Participiũ.

ENS.

nis

nis elegantiæ candoriſque ſtudioſiſsimi, nouitatem in uerbis ac ſermone, contra quam græci, quibus licere omnia uolumus, prope dixerim nimis formidabant. Diſsimulare ſæpius hoc participium ſolent Romani ſcriptores, quemadmodum Cicero ad Varronem; Videbar enim mihi quum me in res turbulentiſsimas infideliſsimis ſocijs demiſiſſem, præceptis illorum non ſatis paruiſſe. Et ad Trebatium; Nihil te ad me poſtea ſcripſiſſe demiror, præſertim tam nouis rebus; ideſt *καινῶν ὄντων*, uel *γεγενημένων πραγμάτων*. A deponentibus quemadmodum à neutro paſsiuis tria participia ducũtur, ut ſequens, ſequutus, & ſequuturus, omnia pro natura deponentiũ, ſignificationis actiuæ, quare etiam uoce actiua ſunt ſequens & ſequuturus, quæ fieri alijs à paſsiuis minimè poſſunt. Non enim à legor, ſed à lego fit legens & lecturus. Sequendus uerò, fruendus, utendus, paciſcendus gerundia ſunt non participia. Quibus enim uerbis deponentibus, accuſatiuum dari oportet, ea tametſi actiua ſignificatione ſint, gerundium tamen habent aliquando paſsiuum, ut imitandus, ulciſcendus, inficiandus, aſpernandus. Nanq; utor & abutor hanc rem ueteres dicebant, ut Terentius;

Quæ participijs loco eius quod eſt ENS dicantur.

In ſcribendis prologis operam abutitur.

Hoc poſteriores etiam imitati ſunt. Quocirca licuit etiam Ciceroni dicere, Ea quæ acceperis utenda, maiore mẽſura iubet reddere Heſiodus. Adhuc in Verrem libro primo; Is qui teſtamentum fecit, huic Heraclito ante aliquanto quam eſt mortuus, omnia utenda, ac poſsidenda tradiderat.

Terentius in Adelphis;

Maior filius tuus Aeſchinus
Quem fratri adoptandum dediſti, neq; boni,
Neq; liberalis functus officium eſt uiri.

Lucretius libro tertio;

Mala multa animus contagia fungitur.

Supra etiam in gerundijs afferebam ex Aulularia Plauti exemplum;

Quæ utenda uaſa ſemper uicini rogant.

Ea re factum, ut in munere fungendo, ſapientia aut uoluptate fruenda ſæpe à bonis auctoribus dictum ſit, ut; Fruendæ iuſtitiæ cauſa uidentur olim bene morati Reges conſtituti. Genus porrò gerundij quod dicebã antea neutrũ ſingulare, quale eſt; Vtendum fuit iniquis iudicibus, à uerbis oĩbus fit, ſeu actiua, ſeu neutra ſint, ſeu deponentia, quęcunq; ijs caſum dare conueniat. Participium uerò paſsiuum

temporis

temporis futuri ſiquod eſſe tamen uolumus nullis à deponentibus uerbis duci poteſt. Multa à nominibus nata, loco participiorum habenda non ſunt, auritus, pellitus, galeatus, togatus, palliatus, paludatus, trabeatus, falcatus, lunatus. Sunt autem hæc plurima, quæ originem à uerbis quia nullam habent, huius eſſe loci non putantur. His Victorinus Afer; non ab oratorum uſu nomen ſumptum dedit ut participia nominatiua eſſe diceret. Redeo nunc, ut quibus poſſim, participia exemplis demonſtrem. Quod igitur duobus uerbis, & relatiuo, aut aliqua coniunctionum media, ignari latinitatis ante dicebant; Cato ſcribit & laborat, uel; Cato qui ſcribit laborat: nunc uerbum prius in participium conuertere neceſſe eſt, & quicquid inter duo eſt medium, prorſus reijcere, ut; Cato ſcribens laborat. Non rectè enim ſatis dicebatur; ſcribit & laborat. Nam quoties duo quædam ponimus, id quod alteri cauſam affert, ut nunc ſcriptio labori, participio magis quam uerbo pronunciandum erit. Quod ſi cauſa intercedat nulla, participio tamen locus eſſe poteſt, ut Veniens incidi in multa, quæ uidere noluiſſem, quo in genere exemplorum ſola temporis coniunctio eſt. Sin ita uerba diſiuncta ſint, ut omnino aliud alio fiat, uix participio locus eſſe poteſt, niſi apud poetas, ut;

Participij ratio.

Quin ut te peterem, & ſupplex tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat.

Diuerſa quidem inter ſe ſunt orare & mandare, ſed conueniunt hic in tempore, quod ſimul utrunque faciebat Anchiſes. In actionibus etiam coniunctis idem ſeruare oportebit, ut; Veniens offendi multa quæ non putauiſſem. Diſcedens reliqui ægram uxorem. Vt rectiſsimè enim dicatur perſona & tempus conueniant neceſſe eſt, ut uerbum ac participium præſens eodem in tempore eandem reſpiciant perſonam. Nam uerba contraria tranſacti præſertim temporis iungere poſſumus, ut; Cato ſedit & ambulauit: Diſputauit & tacuit, quod alio tempore, aliud Cato egit: non poſſumus autem contrarium uerbo participium præſens, ut; Cato ſedens ambulauit: tacens diſputauit, uel bellum gerens filium laudauit. Hæc enim participij præſentis temporis ac gerundij natura eſt, ut ſimul utrunque fieri demonſtret cum uerbo. Qualis enim oratio foret, ita ſi loquare; Suppeditaui filio ſumptus uitæ neceſſarios, illum à ſinu matris auferens: aut illi togam puram dandi? Nam præterquam quod aliud eſt ſuppeditandi ſumptus, aliud togam puram dandi tempus,

illud

illud quoq; impedit, quod eripiendi pueri à ſinu matris actio, puramq; togam dandi ſtatim tranſit, ſumptus uerò ſuppeditandi perpetua eſt: quare locum in his eſſe participio gerundioue minime putabimus. Si contra fiat aliquando à latinis aut græcis etiam auctoribus aliquid, meminerimus tamen tota in grammatica ea præcipi debere quæ uideantur eſſe certiora. Ergo inter duo uerba quoties uel relatiuum pronomen, uel huiuſmodi ſint coniunctiones, quæ rerum uel antecedentium, uel coniunctarum cauſas declarant, Quum, Quia, Quando, Quoniam, Siquidem, quo in uerbo cauſa eſt illud in participium conuerti debet. Cauſas porro non ſemper eſſe conficientes intelligo debere, ſolaq; ui ſua agentes aliquid, ut quum uulnus, uenenum, aut percuſsio attulit mortis cauſam, ſed illas etiã, aut illas potiſsimum, in quibus neceſſaria uis conficiendi nulla eſt, ut rediens à cœna quis eſt interfectus: Villam ingrediens cępit ægrotare: Proficiſcens Romam accepit à tabellario literas. His duobus poſtremis in exemplis, ſine ullo prorſus genere cauſarum, coniunctæ ſaltem ſunt actiones, ut literas quis acceperit eodem tempore quo Romam proficiſceretur: nec ſane dicatur; Egrediens domo Cęſar, Oceanum, & Britanniam cognouit. Deniq; oratio ſine participijs aut uno uerbo eſt abſoluta, aut pluribus. Si unum ſit uerbum, idq; mutes in participium, priuata uelut anima quadam uerbi, oratio, ſtare non poteſt. Eſto enim exempli gratia, Plato ſcribit: plena ſententia eſt. Hinc uerò ſi fiat, Plato ſcribens, nihil omnino dixeris. Aſſumas igitur neceſſe eſt alterum uerbum, quo ſenſus fiat aliquis, ut Plato ſcribens laborat, ſcribens miratur, ſcribens mortuus eſt. Sin ita loquare, ut participium ſimul & pronomen coniunctione in ſermone adſint, iam duo uerba deſiderabit oratio: unũ quod participio: alterum quod pronomini apponatur uel coniunctioni, ut; Pater qui ex Africa rediens mortuum filium putauit, ſtatim ſe ſuſpendit. Quod ſi pronomini ac participio coniunctionem quoq; adiungas, tertium duobus primis uerbum adiungere opus erit, ut; Pater qui quum ex Africa rediens mortuum filium putauiſſet, dolori par non fuit, ſtatim ſe ſuſpendit. Vides enim ut uerba uerbis reſpondent, & ſuſpendit, ad participium, fuit, ad pronomen, putauiſſet, ad coniunctionem reſpicit? Quoniam uerò eandem ad perſonam, atq; ad idem tempus aut uerbum utrunq;, aut cum uerbo præſens (ut dixi) participium referri neceſſe eſt, ſi perſonarum diuerſitas erit, caſu ablatiuo eſſe participium debebit. Vbi enim dicimus; Cato legens miratur: ſi transferas uerbũ miratur, à Catonis,

ad Lelij perſonam, uitioſa ne dicam fœda oratio fiet, niſi dicas; Catone legente, Lælius miratur. Nam duo ſubiecti diuerſarum perſonarum nominatiui, quando alterum ex ijs neceſſario eſſet ſine uerbo, ad unum atque idem referri uerbum nullo modo poſſunt. Fit hoc igitur ut per ablatiuum loquamur, ſi duæ ſint perſonæ: perquàm raro ſi una: quale Terentij fortaſſe illud exemplum eſt;

Quemquam ne animo tam comi eſſe & leni,
Qui ſe uidente amicam patiatur ſuam?

Inter duas uerò perſonas aliter quam per ablatiuum loqui nemini licebit. Supra etiam demonſtraui hoc fieri ne in gerundio quidem permittendum eſſe. Nec me loca mouent in auctoribus alia quædam ubi hæc ratio neglecta poterit uideri, ut locus ablatiuo ſit in quo non duæ adſint uel res uel perſonæ, ut pro M. Cælio; Fuit hic aſsiduus mecum, Prætore me. Quod exemplum, eo afferre uolui, quod non in participio ſolum præſentis ac futuri actiui, & præteriti paſsiui, ſed ubi etiam participia non ſint ſpectandus eſt hic numerus perſonarum. Huic ergo non diſsimilis eſt ille ad Piſones Horatij locus;

Quoties aliã perſonam reſpicit uerbũ, aliam participiũ uel gerundium.

Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero caſtigatorq; minorum

Participium uero hanc ad rationem Cicero addidit ſcribẽs ad Lucceium; Alacres animo ſumus ut & cæteri uiuentibus nobis, ex literis tuis nos cognoſcãt, & noſmetipſi uiui gloria noſtra perfruamur. Adhuc, in Antonium; Nemo erit præter unum me, qui credat, te inuito, prouinciam tibi eſſe decretam. Alibi etiam; Non potes effugere huius culpæ pœnam te patrono. Hoc apud græcos uſitatum genus loquendi, ijs qui non magnum habent latini ſermonis uſum ac ſcientiam, minimè puto eſſe concedendum. Idem tamen Cicero, neceſſario ad ſententiam, ſic alio loco ſcripſit; Memineram nobis priuatis uſq; ad Cæſarem & Bibulum COSS. quùm ſententiæ noſtræ magnum in Senatu pondus haberent, unum ferè ſenſum fuiſſe bonorum omnium. Illa ipſa quam ſupra dixi ratio cauſæ temporis ac perſonæ, ſeruanda eſt in participijs, etiam futuri temporis, quorum nunc exempla ſubiungam. Quod enim dicimus; Quintus proficiſcetur in Aſiam, participio licebit explicare: Quintus profecturus eſt in Aſiam. Fit per alia uerba quam per ſubſtantiuum: Quintus profecturus in Aſiam, familiam comparat. Huic rationi ſi addas relatiuum pronomen, uel coniunctiones, uel aduerbia de quibus ante dixi, neceſſe erit alterũ quoq; uerbum adiungere, ut; Quin-

tus Cicero qui profecturus eſt in Aſiam Ciceroni fratri domũ commendat. Cæſar cum ingreſſurus eſſet in Britanniam, tribunos ad ſe uenire iuſsit. Quod ſi plura uno ſint uerba, plures ad perſonas relata, eadem ratio erit ablatiui quæ ante in participio præſenti demonſtrata eſt, ut; Profecturo in Italiam Cæſare, noua conſilia Pompeio quærebantur. Deniq; his duobus participijs, caſus dari pro ſuorum natura uerborum, ne admonendum quidem erat. Tractatio autem præteriti paſsiui, huiuſmodi eſt; Miſſus in Africam Scipio, Carthaginem uicit. Hic etiam ut in actiuis, oratio, aut ſingulis uerbis contexitur, aut addito pronomine relatiuo, aut coniunctionibus adiectis, aut aduerbijs quæ ante memoraui, in quibus omnibus, eadem ratio ſit quæ ſuperiorum. Similiter per ea participia quæ à uerbis deponentibus deſcẽdunt, ut; Scipio ſemel complexus rempublicam, duelli ab ea nunquam potuit. Si duæ adſint perſonæ, ut ſupra dictum eſt, ablatiuo caſu utendum erit; ut; Miſſo in Africam Scipione, fore otium in Italia ſperabatur. Sin uerbum, aut aliud fuerit quod uelut poſſeſsio, uel tanquam ad appoſitum uel quoquo modo ad Scipionis perſonam referri debeat, uidere oportet, cuiuſmodi illud ſit. Ita enim eo caſu erit nomen & participium, quem id uerbum poſtulabit, ut; Scipionis domum reuerſi, fortuna & uirtus laudata eſt. Tibi iſtam gloriam conſequuto, inuiſum eſt ab inimicis. Ligarium Cicero defendit à Tuberone accuſatum. Amici ueniunt ad Marcellum patriæ reſtitutum. Conciliata ciuium gratia, liberaliter uſi ſumus. A renouatis in Italia bonis literis abhorruiſti ſemper. Ineptum eſt exempla inculcare ueterum, & hæc non leuiſsima putare, ſicut ne illud quidem ualde magni faciendum puto, quod aiunt participium hoc ad præſens tempus interdum pertinere, quale apud M. Tullium uulgare exemplum eſt; Lætor (inquit) tum præſenti, tum ſperata tua dignitate. Si enim hæc participia eſſe concedam, nego tamen ſpectari latinitatem ex huiuſmodi exemplis debere. Futuri paſsiui, hæc informatio quædam erat olim à grammaticis tradita; Fabius docendus eſt literas. Fabius quum literas docendus eſſet, ſibi libros emi rogauit. Fabius qui acerbè à patruo ſe accipiendum intelligeret, latuit eo die. Nemo tamen ignorat poſtremo in exemplo, ſi latinitatem ſpectemus, acceptum iri, non accipiendum eſſe dici oportere. Et profectò locum non arbitror eſſe, in lingua latina ullum, ubi docendus, accipiendus, legendus, & ſimilia his futuri participij magis quam gerundij uis eſſe appareat. Itaque, ut rem nouam Donatus in eum Terentij locum;

Participium patiendi futurum in ſermone latino nullum eſſe.

Ea primum ab illo animaduertenda iniuria eſt, nos participium à paſsiuo notare uoluit, quod non minus tamen gerundium eſt quam cætera. Præterea etiam (quod magnum argumentum eſt) M.Varro, ubi participia numeranda ei omnia fuiſſent, tria ſolum ex ijs poſuit. Is enim octauo libro de lingua latina in extremo ita ſcripſit; Analogiam item de ijs quæ appellantur participia reprehendunt multi iniuria. Nam non debent duci terna à ſingulis uerbis, Amaturus, Amans, Amatus; quod eſt ab amo Amans & Amaturus: ab amor Amatus. Hic à uerbo quod eſt amo, poſuit Amans & Amaturus: ab eo autem quod eſt amor, tantum Amatus: ubi Amandus participium ſi eſſe credidiſſet, non uidetur quùm recenſeret cætera, id fuiſſe prætermiſſurus. Non tamen coniecturis de ſententia hominis doctiſsimi eiuſdemque grauiſsimi uiri agendum putemus. Is enim hoc loco illud confirmare uoluit, quod ſeptimo libro ante poſuerat, ex illorum perſona qui analogiam tollere conabantur. Ita enim ſcripſerat quod mihi puto altiuſcule eſſe repetendum. Præterea (inquit) quum ſint ab eadē origine uerborū uocabula diſsimilia ſuperiorū quod ſimul habeant caſus & tēpora quæ uocantur participia, & multa ſint contraria, ut amor amo, feror fero, ab amo & huiuſmodi oībus uerbis oriantur præſens & futurū, ut amās & amaturus, & ab his uerbis tertium, quod debet fingi præteriti, in lingua latina reperiri non poteſt: non ergo eſt analogia. Sic ab amor legor & eiuſmodi uerbis, eſt uocabulum eius generis, præteriti temporis, ſicut amatus eram, ſum, ero, neq; præſentis & futuri ab his fit, non eſt ergo analogia, præſertim cum tantus numerus uocabulorum in eo genere interierit, qđ dicimus in his uerbis, & in ijs uerbis quæ cōtraria nō habēt, loquor, uenor, tñ dicimus loquens, uenās, loquuturus uenaturus, quod ſecundū analogias non eſt, quoniam dicimus loquor & uenor, unde illa quæ erant ſuperiora minus ſeruantur quod cum his quæ cōtraria uerba habeant, alia efficiunt terna, ut ea quæ dixi, alia bina ut ea quæ dicam, currens, ambulans, curſurus ambulaturus: tertia enim præteriti non ſunt, ut curſurus ſum, ambulaturus ſum. Hæc ſi magna eſt Varronis auctoritas, illud uide etiam, hoc loco aliorum quoq; doctorum hominum, nec unius tantum ſeculi nobis propoſitas eſſe ab illo auctoritates. Ita.n.certa res tum erat omnibus, futuri nullum eſſe participium à patiendi uerbis, ut maximum inde argumentum fieret ad grauiſsimas de lingua latina quæſtiones, & contra analogiam (quod nunc ad rem attinet) duo illa potiſsimū ſint propoſita Varroni à diſputato-

ſputatoribus ad quæ reſpondere hic debeat, unum quod non quemadmodum græci ratio ſermonis tulit, & natura poſtulabat à uerbis agendi participia ſint anteacti temporis, ut à *βαδίζω, ἀγαπάω, μογίω, βαδίσας, ἀγαπήσας, μογήσας*: alterum, quod uerba quæ habent contraria, id eſt à quibus fiunt etiam patiendi uoces, ut à lego, legor, amo amor terna ſolum participia ducantur legens lecturus & lectus, quarto penitus repudiato, quod fuiſſet legendus. Verumtamen quum ſint hæc per ſe magna illud eſt profecto maximum, quod nunquam latinitas, loco participiorum his uocibus eſt uſa legendus, audiendus, mouendus, ampliandus, & conſuetudo ſermonis hæc diſtinguit. Perquam rarò enim huic paſsiuo ablatiuus datur perſonæ uel rei agentis, plurimum uerò datiuus, ut; Mihi docendus eſt puer: ſternenda eſt uia: aperiendum eſt iter: quæ tractatio eſt gerundiorum. Poſtremum uerò illud argumentum ſit quod loco participij eius quod nullum eſt apud nos, illo genere loquendi utimur pluriumq; circuitione uerborum quæ uel apud omnes eſt, uel apud M. Tullium frequens; Non dubito fore ut omnibus cognita ſit uis in te amoris mei. Quam plurima ſunt enim apud auctores omnes, quale tritum eſt illud ad Lentulum Ciceronis exemplũ; Valde ſuſpicor fore ut infringatur hominũ improbitas, & conſilijs tuorum amicorum & ipſa die. Quis enim dicere hic audeat, confido improbitatem infringendã, idq; participium eſſe contendat? Quamobrem ſi non luce clariora eſſent ea quæ iam dicta ſunt, uel ex hac frequentia exemplorum, uitationeq; participij, etiam ſi nulla fuiſſet Varronis, & ueterum doctorum hominum ea de re auctoritas, noui tamen de participio aliquid nobis cogitandum eſſet. Afferunt mihi quidem literati homines exempla quæ participij ſpeciem aliquam habere uideantur, ut;

Quæ eius loco participij uſurpare ſoleant auctores.

Prima dicte mihi ſumma dicende camœna,

aliaq; his parum diſsimilia. Hanc tamen ego, aut alias paulo grauiores de lingua latina quæſtiones, non puto mihi aut cuiquam eius modi minime illuſtrium raritate exemplorum terminandas eſſe. Nõ enim obuia in locis omnibus hæc ſunt, ſed rara, & labore, ac ſtudio quæſita, neq; prorſus ea quibus tanta res confirmari, doctiſsimorũq; hominum, & Varronis auctoritas, & loquendi publica conſuetudo conuelli poſsit, collige enim omnia ex auctoribus quæ participij ſimilitudine aliqua parum attentos fallunt, confer ea cum ijs quæ dixi & uſu latinitatis, hinc paucula neſcio quæ, & ineptè, allata inde clariſsimum ſimul uniuerſæ latinæ linguæ lumen, grauiſsimamque auctori-

auctoritatem uidebis. Neq; faciendum eſt omnino, ut hanc uel cęteras, de latinitatis uſu (ut iam dixi) quæſtiones eiuſmodi mendicitate exemplorum, auctoritate grauiſsima doctorum omnium repugnante, conſtituendas putemus. Sunt.n.ut in rebus oībus ita etiam in ratione loquendi multa ſimilia & profectò ſi legendus & audiendus participium eſſe poſsit, inter huius participij & gerūdij uocem, non ſimilitudinem diceret eſſe quiſquam ſed eadem prorſus omnia, inter quæ ne litera quidem interſit ulla. Et certe quidem duo mihi potiſsimum uidentur eſſe unde natus eſt error, atq; opinio ut à grāmaticis loco participiorum gerundia haberentur: Vnum quod momento nullo uocis diſcreta ſunt, alterum quod nomen quoq; unum atq; idem participijs ac gerundijs Romanorum doctiſsimi olim dabāt. Quintilianus.n.hoc à Nigidio Varrone primisq; latinæ linguæ auctoribus quum accepiſſet illo in exemplo Virgilij;

Magnum dat ferre talentum

Sic exiſtimauit ferre pro ferendum, ideſt uerbum participij loco eſſe poſitum, ubi nemo eum dubitat, pro gerundio participium dixiſſe: Patebat.n.latius hoc participiorum nomen, ut ijs etiam quæ ſupina hodie uocantur, participialium uerborum auctor idem nomen dederit. Redeo tamē, de participijs, quę ſuperſunt pauca ut abſoluam. Tria hæc participia, ſi caſus nō habeant uerborum unde naſcuntur, loco ſunt habenda nominum, ut fugitans litium Terentius dixit, & lactis abundans Virgilius. Item ſemper quùm ſunt his præpoſitiones additæ, nec habent aliud unde ducta uideri queant, ut indoctus innocens. Sed facile eſt hæc à nominibus diſtinguere, ipſam oratio nis partium uim atq; naturam intuenti. Pauca ſunt igitur facie quidem paſsiua, ui ac ſignificatione, actiua: ſcitus, fluxus, profuſus, tacitus, ignotus, argutus, falſus, tutus, cautus, diſertus, circunſpectus, cōſideratus, complacitus, iuratus, potus, excretus, exoletus, adultus, defectus, inueteratus, excelſus. Hæc ut uocem, ita uim habent patiendi à natura, id quod nonnullo etiam in uſu remanſit, ut pleraq; ex his, etiam paſsiue uſurpemus. Notum eſt.n.illud;

Quis te magne Cato tacitum aut te coſſe relinquat

Ignotus etiam, falſus, inconſideratus, & potus utranq; ſignificatio nem habent ſæpe quemadmodum tacitus. Aliter.n.ac Virgilius Cicero in Verrem ſcripſit; Vos iam me tacito intelligetis. Atq; hic frequens eſt uſus. Alia contra paſsiua, quum ex forma & caſu literarum uim uideantur habere actiuorum, intemperans, euidens, indulgentior, honorificentiſsimus, magnificentiſsimus, munificentiſsimus:

Vnde hic error

tria hæc poſteriora quoties ad animi expertia referuntur. Participio etiam præſentis temporis à forma actiua, loco præteriti abutimur. Huiuſmodi.n.à uerbis participium præteritum latinitas non habet ullum. Quare aut per uerbum coniunctionesq; loquimur, ut;

Dijs magnas merito gratias habeo atq; ago,
Quando euenere hæc frater proſperè:

aut per alieni temporis participium, ut;

Offendi adueniens
Qui cum uolebam, atq; ut uolebam collocatam filiam.

Monuerat hòc Aelius Donatus antea: quod homines docti alijs poſtea exemplis approbarunt, ut; Quum è Cilicia decedens Rhodum ueniſſem. Per alia uerba hoc facere non licebit, quam per decedo, diſcedò, aduenio, & ſiqua ſunt alia in quibus mora huiuſmodi eſſe uideatur. Pertinere enim hæc putantur modo quodam ad tempus non diſcendi ſolum, uerum etiam faciendi itineris, & perueniendi quò uolumus. Quorum igitur uerborum eiuſmodi natura eſt, ut aliquid ſtatim fieri demonſtrent, nec ſupereſſe omnino deinde quod agi poſsit, ea ad rationem quam dixi minime ſunt accommodata. Neq;.n.rectè diceretur; Negotia omnia tranſigens, aut prouinciam ornans, aut publicanis ſatisfaciens, Rhodum ueni. Nanque hæc ne minimum quidem tempus durant, ſtatimq; cœpta, fieri deſinunt. Non male tamen fortaſſe diceretur; Cælium prouinciæ legatum relinquens, Romam ueni.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. VIII.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

*L*INGVAM *latinam prædicat ſempiternam fore. Ingeniorum diuerſa genera à literis diſcendis aliena commemorat. De pronominibus, ac pronominum uſu, declinatione, reciprocatione, relationibus, ex utriuſq; linguæ uſu ea tractat, quæ nemo literatorum hactenus in præcepta collegit.*

ANTE quamad pronomen ueniā, quartam ac poſtremam orationis partē eatum, quæ declinabiles dicuntur, alloquendus es tu mihi frater, ut cui ſæpe in his libris, in ſermonibus collocutionibusque noſtris attuli ex peruerſitate quorundam hominum, & priuata mea fortuna dolorem, contra, nunc ea bona commemorem, quæ ad mortales omnes pertinent unde etiam ſumma ſpes maximarum rerum, nobis Italiæ, Europæ, & generi humano afferatur. Reuertar mox ad illa maiora & ſperata, quæ ipſius uoce numinis clariſsima, uidentur eſſe promiſſa, nunc præſentia hæc uideamus; quæ & ipſa diuinutus adiuta, maximum lumen quodam, & nouas infinitasq; opes noſtri ſeculi hominibus attulerūt. Illuxere .n. poſt res Athenienſiū deletas, è Cęlo ſidera, aduenére poſt Romanū imperiū eiuſmodi tēpora, quū reſtitutis in priſtinū candorē bonis literis recuperata iá ſcētia uetere linguarū, oīq; artificio diſſerēdi renouato, in cōtractādis diſciplinis, explicādis cogitationibus, cōſilijs capiēdis, delectu bonorū, cultu religionis, atq; in omni uita ſic

Noſtri ſeculi felicitas.

alij omnino ſumus atq; olim fuimus, ut nunc aliquod quodam & maiore lumine ſolis à Deo aucti eſſe uideamur. Cogita nunc mihi ingenia, & quæ totis mille annis uſq; ad patrū noſtrorum memoriā ſunt monumentis tradita literarum, confer ea cum his quę hodie aut paulo ante nos extitere, non dubium quin tibi uideare infinitas tenebras infinito cum ſplendore ſiderum omnium conferre. Excipio hic ſanctiſsimos homines qui ſe totos ad ſcribendum ſacris diuiniſq; de rebus dederunt, quorum animi ſolent ad quæ ſcribunt inſtinctu etiam diuino eſſe permoti, ſed philoſophos, oratores, poetas, iuriſconſultos, mathematicos & eos qui memorias temporum conſignant literis, & qui perfectè linguas tenent literasq; omnes, iam paucis ante annis extare cœpiſſe, rara felicitate quadā orbis terrarū, noua benignitate Dei, & cœli clementia neceſſe eſt confiteri. Nec dubitādum eſt, ſi Dei prouidentia hic mundus, & rerum uiciſsitudines omnium reguntur nunc aliquas terras atq; mentes hominū, ui cœleſti atq; ſpiritu afflari cœptas eſſe, perq; eos homines, occultos rerum humanarum atq; diuinarum fontes aperiri, quibus ex tantis rebus felicitatē adhuc aliam atq; nouam ad nos eſſe peruenturam cognoſcamus. Simillima.n.noſtra hæc, pauloq; ſuperior ætas ingenia tulit, ſimiliter ſcientias omnes renouat, quotidieq; res abditiſsimas in lucem profert, & apertas rerum naturas omnium ante oculos ponit, quemadmodum illis ſeculis factum ſcimus per quæ multi ingenio, uirtute, ſapientia clariſsimi heroes floruerunt. Tunc.n.parturiebat mundus totaq; hæc rerū uniuerſitas dulciſsimū Chriſti aduentum, qui nō multo poſt humanum genus uniuerſum, aſpectu præſentiaq; ſua, & cœleſti rerū omniū affluentia cumulatū redderet. Vt nos igitur, maximęq; urbes magno alicui Regi, ſic natura oīs, huic honorificentiſsimè uiam ſternebat, & ijs floribus omnium generum, quos aut inuenire, aut ferre per ſeſe ipſa pulcherrimos, & Rege ſuo digniſsimos poſſet, ornare cupiebat. Quæ autē ornamenta, aut quos fructus accipere aut hominibus donare ipſa appropinquans diuinitas poſſet, illis quidē ſeculis nondū patefacta ad cœlū uia, doctrinis, eloquentia, uirtute, ſapientiaq; meliores? Quid generi humano pulchrius quid omni mūdo ſalutarius quam illud genus hominum poſsit accidere? Quamobrem ſi nunc expreſſa uideri cœpta eſt imago fœlicitatis illorum temporum, quæ pacem in terris omnibus & futuræ initia religionis prædicerent, ſpe certiſsima debemus eſſe, hac ēt tanta rerū ſimilitudine aliquid nobis magnū ſignificari diuinitus, uel recuperationem antiquæ dignitatis, uel amplificationē imperij, uel dilatationem

nem religionis, aut aliquid prorſus quo aliqua tandem poſteritas gaudeat res humanas eſſe reſtitutas. Auget hanc ſpem firmioremq; reddit, quod ad bonas artes omnes ad latinè loquendi, rectiſsimè ſentiendi, abditiſsimarumq; rerum ſcientiam, in Italia, Gallia, & in reliqua Europa, non maximis quibuſdam præmijs ingenioſi homines à principibus orbis terrarum, aut rebus publicis adducti, ſed priuatim ac ſponte ad præclara omnia incitati ſunt, ut ipſæ mentes hominum regionesq; Italiæ & Europæ, ipſo numine diuino ad hæc afflatæ eſſe uideantur. Itaq; nos frater cum doctis omnibus qui hæc rectiſsimè atq; ut nobis uiſum eſt accipiunt ita ſecundiſsimis his rebus fruamur, ut meliora etiam expectemus illa, unde qui poſtea futuri ſunt homines, principi, auctoriq; uniuerſi, Deo, nouæ beneficentiæ cauſa, cerimonijs ac ſolenni ritu ſacra faciant. Quando igitur inter hæc ſumma bona quæ reſtituta ſunt fieri non potuit quin renouatio quoq; eſſet præcipua latinitatis, nec ulla unquam fuit ætas qua melius hæc tractari debuiſſet, quã ſpero poſtac illuſtrius tractatum iri à doctiſsimis, age nunc à me tantum expectabis frater, quantum hoc tempore, occupato animo & impedita opera præſtare poſsim. Quare accedo iam ad ſiqua poſsim de pronomine, ex antiquorum obſeruatione præcipere. Pronomen eſt pars orationis declinabilis per caſus, ex eo dicta, quòd nominis loco ponatur. Nomen hic intelligi uolo, cuiuſcunq; ſit generis illo excepto quod uocant adiectiuũ. Nam ſi diſtinctũ eſſe uocabulũ placeat à noĩe, ut ſit nomen Romulus & Herſilia uocabulũ ut gladius, & ſcutum, ex M. Varronis quidem ſententia quæ ad priora duo referuntur, pronomina, quæ ad poſteriora prouocabula dicuntur. Pronomen conſequuntur ſex, ſpecies, genus, numerus, figura, perſona, caſus. Species eſt uel primitiua ut Ego, Tu, Sui, uel Deriuatiua ut Meus, Tuus, Suus. Genus eſt ut nominis, maſculinum, ut meus, femininum ut mea, neutrũ ut meum, commune uel duorum generum ut qualis, uel trium ut Ego, Tu Sui. Numeri duo ſunt ſingularis ut ego, pluralis ut nos. Figuræ ſimiliter duæ, ſimplex ut qui, compoſita ut quicunque. Perſonæ tres ut Ego Tu Ille. Caſus denique ijdem ſunt ſex qui & nominum. Pronomina alia de ſe nata ſunt ut Ego, Tu, Sui: Alia ab his prognata ut Meus, Tuus, Suus. Alia indicandi ut Hic, Ille, Iſte, & Is. Alia poſſeſsionis, ut Meus Tuus Suus Noſter & Veſter. Alia ſunt gentis ut Cuiâs Noſtrâs Veſtrâs. Alia finita, ut ego: alia infinita ut Quiſquis: alia Q. Palæmon dixit minus quam finita, ut Tu, quod minus certum eſt quam ego. Alia relatiua ſub-

ſtantiæ ut Qui, Quæ, Quod; alia accidentis ut Qualis & Talis. Hæc tota de pronominum diſtributione, hoc libro ut poterit breuiſsimè diſſerendum erit. Mittam ergo de his quæ dicuntur ſpecies, uel de generibus, uel de numeris, uel de figuris, uel de perſonis inutilia diſputare. Mittam illa quoque à grammaticis & Sext. Pompeio commemorata apud Ennium, & antiquiſsimos inuenta, quæ nulli uſui nobis eſſe poſſunt, Sa, Sam, Sos, Sapſa, & multo magis relicta quam illa Mis, Tis, Sis. De caſibus aliquid poſtremo loco, grammaticæ rudes admonebo. Nunc primum de tribus iis quæ prima ſunt omnium, Ego, Tu, Sui, dicam paucis quæ ad linguæ latinæ uſum atque elegantiam pertinebunt. Deſcendam hinc ordine ad cætera, nec tamen ſtudio breuitatis neceſſarium aliquid prætermittam. Tria igitur quæ dixi pronomina, quùm habeant nihil in rectis aut alijs caſibus quod unquam dubitatum ſit à doctis de ſingulari tamen & plurali genitiuo, num dici poſsit commodè aliquid uidendum puto. Ac primum non arbitror iam poſſe à quoquam ignorari amplius Mei, Tui, Sui, ſignificationis eſſe tantum paſsiuæ. Valde enim agitata ea quæſtio eſt à ueteribus etiam grammaticis ex antiquo probatoq; latinitatis uſu, ita nos loqui debere, ut dicamus, nulla tibi cura eſt adiuuandi mei: Cæſar conſilium cœpit ornandi tui: Scipioni cogitatio iniecta eſt occidendi ſui. Tertium pronomē hoc pluralis numeri, unum dumtaxat habet genitiuum, prorſus eadē uoce & ſignificatione, cū ſingulari, ut, boni uiri paucisſimos inueniunt imitatores ſui. Reliqua uero duo binos genitiuos habent, unos Noſtrum & Veſtrum, alteros Noſtri & Veſtri: illos actiuæ ſignificationis ut aliquis noſtrum proficiſcatur, nemo ueſtrum profectus eſt: hos paſsiuæ, ut cognoui te eſſe cupidiſsimum noſtri: Solicitat me deſiderium ueſtri. Sic enim doctiſsimi omnes loquuntur, ſic ſcriptū ueteres reliquerunt, ut rectiſsimam hanc loquendi legem iudicauiſſe uideantur. Ijdem uero ſeculo etiam C. Cæſaris, non ut rationem hanc negligerent, ſed priſcam loquendi conſuetudinem, ut aliquando imitarentur, neſcio quid aliter interdum ſcripſerunt. Antiquitas enim etſi diſcreta hæc habuerit, ſæpius tamen priora illa, Mei, Tui, Sui, pro Meus, Tuus, Suus & contra hæc pro illis uſurpare conſueuit. Nec putandum eſt falſo mendoſeq; ſcriptum, quod in epiſtola M. Tullij eſt ad Curionem; eam autem, tui unius ſtudio me aſſequi poſſe confido. Quæſita enim ſuauitas eſt maior quam ſi tuo unius ſtudio dictum eſſet, & ornatus quidam ex imitatione uetuſtatis. Eadem ratione ſuauitatis & conſuetudinis antiquæ adductus ita etiam

Mei, Tui, Sui.

Primigenia pronomina pro deriuatis, & hæc pro illis anti qui interdū uſurpabant.

ſcripſit

ſcripſit in Lucullo; cur Deus omnia noſtri cauſa quùm faceret (ſic enim uultis) tantam uim natricum uiperarumq; fecerit. Putidum eſſet plurima inculcare, quæ non uulgo imitandi quidem, ſed uetuſtatis cognoſcendæ cauſæ de illius & aliorum ſcriptis poſsim afferre. Ac poſtremo deniq; in exemplo uidere omnes poſſunt, ut neceſſariò etiam ſic loquendum fuerit, ne ſi omnia noſtra cauſa dixiſſet ſonũ compoſitionis malum & inuenuſtum faceret ſi tria uerba deinceps tribus A A A terminare uoluiſſet: Hic ergo Tui & Veſtri, dixit pro tuo & ueſtro, alibi contrà pro Cornelio Balbo, ſua, pro ſui, ut; Ignoſco tibi, ſi neq; Pœnorum iura calles: reliqueras enim ciuitatem tuá, neq; noſtras potuiſti leges inſpicere, ipſæ enim te à cognitione ſua iudicio publico repulerunt. Hic ſonantius fuit ſua dicere quam ſui. Priore in exemplo Plautum habuit priſcè loquendi in Pſeudolo auctorem;

Duorum labori ego hominum parſiſſem libens
Mei te rogandi, & tui reſpondendi mihi:

Peto mihi ignoſci à doctiſsimis grammaticorum quod uel ſcripturæ uel poetæ ipſius hic uitium eſſe aliquod negem & publicam potius eam fuiſſe antiquis temporibus conſuetudinem loquendi affirmem. Secundi exempli, & idem Plautus & Terentius Ciceroni auctores fuerunt. Ille enim dixit in Aulularia;

Ex uſu antiquitatis nec ex librariorũ errore in Cicerone legimus ſtudio tui et ĩ Plauto labori mei.

Sed uter ueſtrorum eſt celerior memora mihi

Hic uero in Phormione;

Nunquam odio tuo me uinces

Item alibi.

Neq; negligentia tua, neq; odio id fecit tuo.

In Eunucho poeta idem, loco primigenij, deriuatũ pronomen uſurpauit ut noſtrarum diceret pro noſtrum, ut;

Hunc oculis ſuis
Noſtrarum nunquam quiſquam uidit Phædria.

Quare illud etiam ab his Cicero ſolet imitari ut pro nomine Tu aliquando pro Tuus, & illius genitiuo ſignificationis actiuæ pro huius ablatiuo aut quouis alio caſu abutatur ut; Recordamini qui dies nudius tertius decimus fuerit, quantus conſeſſus ueſtrum, quanta uirtus, quanta conſtantia, quantam ſitis à Pop. Rom. laudem, quantam gratiam conſequuti. Eundẽ in Catilinam, hunc genitiuum pro numeri multitudinis accuſatiuo poſuit pronominis poſſeſsiui, ut, Video P. C. in me omniũ ueſtrum ora, atq; oculos eſſe conuerſos. A io adhuc in loco; ut iam omnium iudicio conſtitutum eſſet, omnium

Conſeſſus ueſtrum pro ueſter.

ueſtrum bona prædam eſſe illius uictoriæ. Sic pulcherrimam patriam omnium noſtrum pro noſtram, & ueſtrum omnium cædem, eadem in oratione, & alibi ſæpius pro ueſtram aut ueſtri ex antiquorum uſu potius quam ex grammaticæ inſtitutis dicere conſueuit. Contra Virgilius mei pro mea;

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Deniq; finis non eſſet, colligere omnia ſi uelim, quæ tum auctores optimi, optimis latinæ linguæ temporibus huiuſmodi exempla uetuſtatis, tum quæ uetuſtas ipſa de libertate ſermonis græci ad quotidianum uſum transferebat, ut nunc binos genitiuos nunc terna pronomina confunderet. Nobis uerò cauendum rectè eſt quod illis eam quam dixi rationem ſequutis laudi potius quam uitio dabatur. Nec faciendum puto ut ijs etiam de nominibus dicam plura quibus interdum paſsiua pronomina ueteres, coniunxere ut, cauſa, fama, imago, poteſtas, uſus, utilitas, memoria. Nam Ciceroni, memoria noſtri tua, potius quam tui, dicendum fuit. Poteſtas uerò mea quam ad alios exerceo, poteſtas mei, qua in me alij utuntur, ut etiam differunt accuſatio mea & mei. Fama tamen dicenda mea potius quam mei, neq; aliud eſt quod hic & in tota ratione horum ſex pronominum quæ dixi arbitrer ualde eſſe permittendum. Sunt autem genitiui quos dixi ueſtrum & ueſtri: Hos antiqui rectius, atq; ex analogia uoſtrum & uoſtri pronunciabant. Vt enim à Nos declinatum eſt Noſtrum & Noſtri, cur non à Vos uoſtrum & uoſtri? Tametſi cur nō etiam à Vos uoſter uoſtra & uoſtrum, potius quam ueſter? Accidit hoc mutatione literarum ſimilitudineque ea quam primo libro eſſe docui inter quartam & ſecundam uocalem ut uerto & uertex nunc ſit ubi uortex, & uorto quondam fuit. Rationem, & antiquitatis uſum cæteris in caſibus imitati ſumus, quartam ſemper in his ut uocalem ſequamur. Quatuor pronomina ſequuntur quæ diximus indicandi, Hic, Iſte, Is, Ille quorum facilis cognitu differētia eſt. ſi.n. de me loquor, uel de meis, uel cōparatè de ijs quæ propiora ſunt mihi, uel magis ad me pertinent, nō dubiū quin dicendū ſit, Hic ſpiritus: Hic dolor: Hæc uita: Hęc anima: Hoc robur: Hęc ſomnia: ſin de ijs quæ te propius attingunt, Iſte labor: Iſta arrogantia: Iſti oculi: Iſtud corpus: Iſta ciuitas: Illa prouincia: Iſtæ familiaritates. Quod ſi tertia de perſona intelligas, hoc eſt ea quæ inter nos & illam ad quam ſermo fit, media eſt; tum Ille uir: Illa grauitas: illa urbs: Illi labores: Illa ornamenta, ſeu ſimpliciter ſeu comparate loquimur, dicēdum erit. Hoc ipſum diſcrimen eſt aduerbiorum

Hic, iſte, is ille.

rum

rum quæ tribus his ex pronominibus facta ſunt Hic, Iſtic, Illic, & eorum quæ ad motus pertinent, Hinc, Iſtinc, Illa, Horſum, Iſtorſum, Illorſum Iſte & Ille contrario interſe quodam more ponimus, ut contemnentes aliquid, Iſte homo, Iſti nebulones, Iſta mendacia: honorifice autem, uel ſiquo de homine aut re nota omnibus loquimur; Ille uir, Illa gloria; Princeps ille creator huius urbis Romulus. Medea illa ex Ponto quondam profugiſſe dicitur. Pronomen hoc in genere quodam loquendi familiariſsimo deq; medio ſumpto ſic interdum auctores uſurpare ſolent quemadmodum Orator fecit in libris de inuentione; Si legis ſcriptor exiſtat & quærat à uobis, quid dubitetis, quid poſsitis dicere, quum uobis hoc & hoc ſit demonſtratum. Quod Græci etiam incertis de perſonis τὸν καὶ τὸν dicunt, uel de rebus τὰ καὶ τά, τάδε καὶ τάδε ut Demoſthenes τὸ δεῖ τὰ καὶ τὰ πεπονθὼς ὁ δεῖνα οὐκ ἐλάμβανε δίκην παρ' ἐμοῦ & Ariſtoteles in tertio de arte dicendi librorum, ἔμελλον γὰρ διαλεχθεὶς ἐκείνῳ τάδε καὶ τάδε, καὶ ὧδε. Nec illud hoc loco prætermittam quatuor ex pronominibus quæ à principio fecimus demonſtrandi, Hic, Iſte, Ille, Is, duo priora quùm eleganter & neceſſario apud nos diſtincta ſint græce tamen his & poſterioribus tantum ſingulas uoces eſſe datas. Inter demonſtrandi, & referendi illud eſt à natura diſcrimen, quod ſecundo libro monuit Apollonius in principio, ut illa primæ hæc ſecundæ ſint cognitionis. Quum dicimus enim; Hæc Roma eſt, Hic Tyberis, Illud Capitolium, rem hoc ſermone oſtendimus nouam ideſt quæ demonſtrata ſignificataue antea non fuerit ſin ita loquamur

; Arces quibus altus Apollo.

Secundo in uerbo ſecunda cognitio eſt quam in primo prima anteceſsit. Verum hæc tametſi à magnis quondam uiris dicta ſint, mihi tamen quæri ſubtilius uidentur. Immo adeò ſunt hoc loco nô multa quæ latinitatem iuuent. Hic & Ille referuntur ad perſonarũ uel rerum diſtributiones, antepoſitarum, ut quùm duo quædam ſunt propoſita, eaq; ſingulatim exponimus, uni ex propoſitis pronomen Hic, alteri Ille dubio tamen aliquando ſenſu reſpondere facimus. ſi enim ſermo de Annibale & Hannone Carthaginenſium ducibus, dicaturq; hic de ambitu Africæ, Ille de re militari ſcripſiſſe libros, non ſatis aperta per ſe ſententia eſt omnibus, uter hos, aut illos libros ſcripſerit. Nã pronomẽ Hic ad nomen uicinius, Ille ad magis remotũ, naturaliter uidetur eſſe referendum. ſeruauit hoc M. Tullius pro Cornelio Balbo; Sit hoc diſcrimen inter gratioſos ciues, atq;

Hic, refertur ad propinquiora, Ille ad remotiora antecedẽtia, & cur ſæpius contra fiet à doctis.

fortes

fortes ut illi uiui fruantur opibus ſuis; horum etiam mortuorum (ſi quiſquam huius imperij defenſor mori poteſt) uiuat auctoritas immortalis. Hac ipſam rationem contempſiſſe pro Q. Roſcio uidetur; Quid eſt quod negligenter ſcribamus aduerſaria? quid eſt quod diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia hæc ſunt menſtrua, illæ ſunt æternæ. Rurſus autem non contempſit hoc auctor idem in quarto libro de finibus; conſectam autem auum tuum Druſum cum C. Graccho eius ferè æquali: quæ hic reip. uulnera imponebat eadē ille ſanabat. At parui eandem rationem fecit eodem in libro de finibus in principio; Quumq; duæ ſint artes; quibus perfecta ratio & oratio compleatur, una inueniendi, altera diſſerendi: hanc poſteriorem & Stoici, & Peripatetici priorem illi egregiè tradiderunt, hi omnino ne attigerunt quidem. Palàm ueteres ſic loquuntur omnes, uel ætate Ciceronis uel qui poſtea ſunt inſequuti, ut Quintilianus; Quo fit ut minus ſanguinis ac uirium declamationes habeant quàm orationes, quod in illis uera, in his aſſimulata materia eſt. Innumera hic poſſem recitare exempla ueterum unde appareat Hic, modo ad uicinius, modo ad longius poſitum, Ille uero nunc ad longius poſitum, nunc ad uicinius referri nomen. Grecè ſi loquamur obſcura ſæpius huiuſmodi oratio eſt quam ſi latinè, quod illic una utrobique uox eſt ad antecedentia nomina reſpondens: ut qui neſciat Heſiodum exempli gratia poetam eſſe, Lyſiam oratorem, is non poſsit ex uerborum ui fieri ea de re certior quum ita exponimus ὁ μὲν ῥήτωρ ὁ δὲ ποιητής: ſic etiam niſi ex literis aliorum, atq; fama Solon & ex reliqua oratione Demoſthenis cognitus Timocrates foret nemo poſſet intelligere utrius tandē uitioſæ leges eſſent, quamuis ita dicatur; Ὁμοίως γε ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι σόλων νομοθέτης καὶ τιμοκράτης. ὁ μὲν γε, καὶ τοὺς ὄντας βελτίους ποιεῖ, καὶ μέλλοντας ἔσεσθαι, ὁ δὲ καὶ τοῖς γεγενημένοις πονηροῖς ὅπως μὴ δώσουσι δίκην ἀδεῶς εὕρηκεν, καὶ τοῖς οὖσιν ὅπως ἄδεια γενήσεται κακουργεῖν. Nos etiam ubi pronomine geminato pro græcorū articulis ὁ μὲν ὁ δὲ alterū & alterū dicimus, eadem fere ſequatur obſcuritas aliquādo neceſſe eſt, quam dilucidare ſic oratores noſtri ſolent, quemadmodum Cicero ad Lentulum, Legi tuas literas quibus ad me ſcribis gratū tibi eſſe, quod crebro certior per me fias de oībus rebus, & meā erga te beneuolentiā facile perſpicias: quorum alterū mihi ut te plurimū diligā facere neceſſe eſt ſi uolo is eſſe quē tu me eſſe uoluiſti. Niſi.n. quatuor illa uerba poſuiſſet, VT TE PLVRIMVM DILIGAM, dubitatio eſſe poterat priusne, an poſterius ad membrum referri debeant quæ ſequuntur; ſi uolo is eſſe

quem

quem tu me eſſe uoluiſti. Hoc ipſum uerò indiſtinctum reliquit in prima Tuſculanarum quæſtionum, ut, Dicæarchum uerò cum Ariſtoxeno æquali & condiſcipulo ſuo doctos ſanè homines omittamus: quorum alter ne condoluiſſe quidem unquam uidetur, qui animum ſe habere non ſentiat, alter ita delectatur ſuis cantibus, ut eos, etiam ad hæc transferre conetur. Quis hic poſsit intelligere, uter ex his muſicus fuerit, uter philoſophus qui non alijs ex locis Ariſtoxenum cognouerit? Porro geminatur pronomen Hic apud nos ad res, uel perſonas quæ prorſus diſcretæ non ſunt, ut;

Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit.

Hic uel noſtra ſcire, uel Poetæ oſtendere non interfuit quænam hæ, quæ illę naues eſſent, ut nec Thucydidis in quinto, quos nominatim certosq; homines necauerit populus, quos ab urbe eiecerit, ut; μάχης γινομένης ἐν τῇ πόλει, ἐπεκράτησεν ὁ δῆμος, καὶ τοὺς μὲν ἀπέκτεινε, τοὺς δὲ ἐξήλασεν. Sed quando hæc in uerbis ambiguitas (& ſi minima ea ſit) in ſermone græco ſæpius ne uitari quidem poteſt, mirum non debet uideri ſi quando apud nos etiam occurrat. At ne liberum omnino cuiquam eſſe uideatur, ita nos loqui ut uolumus, temereq; duo hæc pronomina ſemper alterū loco alterius locari poſſe, illud obſeruari uelim, inter duo de quibus in comparatione loquimur, ſit ne aliud multo maius alio aut præſtabilius, ſit ne aliud præſentis temporis aliud præteriti, ſit ne aliud alio recentius, ſit ne ex ijs unum, de quo maior habenda ſit ratio. Non dubium enim quin ad præſtabiliora, recentiora præſentia, & in oratione potiora, pronomen Hic potius quam Ille adhiberi conueniat. Vbi enim aliquid ex his eſt, de re aut perſona quæ ſola eſt ſine contentione duorum, etſi maxime abſit, ſolemus tamen Hic pronomine uti potius quam Ille aut Is ut;

Hic tibi nate prius uinclis capiendus.

Superiore igitur in exemplo ex oratione pro Q. Roſcio quum C. Fannij potiſsimum aduerſaria M. Tullius inſtituerit labefactare, hæc menſtrua, illas uerò .i. tabulas æternas eſſe dixit. Id ipſum cognoſcere licebit in eo quod ex oratione pro Balbo allatum eſt ubi de uiris fortibus dicere princeps conſilium erat, non de gratioſis. Quod uerò ad recentiora attinet (ut dixi) unum ſit exemplum ex oratione de lege agraria contra Rullum; Videte quantum interuallum ſit interiectum inter maiorum noſtrum conſilia & inter iſtorum hominum dementiam. Illi Capuam receptaculum aratorum, nundinas

ruſtico-

ruſticorum, cellam atq; horreum Campani agri eſſe uoluerunt hi expulſis aratoribus, effuſis ac diſsipatis fructibus ueſtris eandem Capuam ſedem nouæ Reip. conſtituunt, molem contra ueterem Remp. comparant. Naturalis quidem in eo ſeruatus eſt ordo, ut pronominum, Hic & Ille, alterum ad propinquius, alterum, ad longius poſitum referret, ſed illud quoq; prouiſum, ut Hic præſentibus, Ille diu ante mortuis daretur. In eo autem quod pronomen Hic, rei, uel perſonæ datur cuius ratio maior habenda nobis in ſermone eſt, ſic accipiendum erit: ſi de cliente prior mentio eſt & in aduerſarij nomen ſententia terminatur, præpoſterè duo hæc pronomina poſſumus collocare. Sit etiam de Cęſare & Hercule nobis deſſertatio, ſed Herculis eo ſolum introducta mentio ſit, ut maior ex ea comparatione Cæſar appareat; hic non multum erit momenti Herculem ſecundo loco eſſe nominatum ubi, pronomen Hic, Cæſari potius dandum erit. Sit præterea hæc mihi de pronominibus nunc ſuſcepta diſputatio, incidatq; ſermo de figuris, earumq; ſit poſtremum in oratione uerbum: non audeas reprehendere quod pronomen longinquitatis referam ad figuras, uicinitatis ad pronomina, de quibus ratio maior habenda eſt. Declarat hoc Virgilius qui quum prius Romam deinde Mantuam propoſuiſſet, quoniam de Roma potius ei dicendum erat, pronomen Hic ad Romam retulit quamquam longius, in oratione poſitum, ut;

Vrbem quam dicunt Romam, Melibœe putaui
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ouium teneros depellere fœtus,
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos,
Noram, ſic paruis componere magna ſolebam,
Verum hæc tantùm alias inter caput extulit urbes
Quantùm lenta ſolent inter uiburna cupreſsi.

Poſtremum ſi placet eſto in his illud etiam diſcrimen, ut ex duobus quæ fuerint propoſita, ut homo exempli gratia & bellua, de quibus diſſerendum putemus, pronomen Hic & prior locus rei perſonæue dandum erit, quæ paucioribus explicari uerbis poteſt. Notus.n.eſt Ciceronis ad filium locus; Inter hominem & belluam hoc maxime intereſt quod hæc tantùm quantùm ſenſu mouetur, ad id ſolū quod adeſt, quodq; præſens eſt ſe accommodat: homo autem qui rationis eſt particeps per quam & conſequentia cernit, & quæ longius diſputantur. Sed pergam cæteris de pronominibus dicere. Is, & Ille, indicandi eſſe iam ante dictum eſt. Rectè id quidem, ſed Is rela-

Is.

tiuum

tiuum eſt ſæpius quōdam, non rarò ſic relatiuum eſt, ut pro qui omnino poſitum eſſe uideatur, ut Cicero, Venit mihi obuiam puer tuus is mihi literas abs te reddidit. Verùm ſint huiuſmodi exempla auctoritatis: illa uideamus, quę ſunt naturæ. Quoties in oratione Qui uel Quæ locum tenent antecedentis, tum ſequetur uel Hic relatiuum, uel Is, ut in Antonium; Qui familiarem iugularat quid hic data occaſione faciet inimico? Vel; Qui à parentibus odio habetur is, ne Deum quidem placatum habere poterit. Neq; uerò ſic inferri debet; Ille ne Deum quidem placatum habere poterit niſi quum uel auctoritati damus aliquid, uel, & Ille ſit pro antecedenti & Ille pro conſequenti, quod non eandem tamen refertur ad perſonam; ut; *Ille.*

Si illum obiurges uitæ qui auxilium tulit:
Quid facias illi qui dederit damnum aut malum?

Locum habent hæc duo pronomina ubi quid leuiter augendum eſt, ut; defendit legem Voconiam Cato magna uoce ac lateribus idque in ſenectute. Poterat etiam dici; & hoc in ſenectute, ſed prius illud frequentius eſt, ut; Inuidioſa pecunia, eaq; non ualde magna. Quod ſi non Qui, ſed Quicunq; antecedat per Is pronomen abſoluenda oratio eſt, ut; Quæcunq; in equite Romano dignitas eſſe poteſt, eam ſemper in M. Cælio habitam eſſe ſummam. Sæpe etiã conuerſo ordine uerborum, ut, Ea notant ſidera natalitia Chaldæi, quęcunq; lunæ iuncta eſſe uideantur. Deniq; id neutrius generis, eſt interdum loco ſubſtantiui, ut;

Id ſibi negotij credidit ſolum dari:

Sæpius adiectiui, ut Cicero ad Atticum; Idq; ſacrificium quum uirgines inſtauraſſent, mentionem à Q. Cornificio in ſenatu factam. Pronomen hoc interdum geminatur eaſdem ad res uel perſonas relatum, ut;

Fuit olim quidam ſenex
Mercator: nauem is fregit apud Andrum inſolam,
Is obijt mortem.

Fit à ſimplici Is, iunctum pronomen Idem in quo, uis quædam coniunctionis ineſt, ut; Nemo poteſt qui non idem prudens ſit iuſtus eſſe. Alio loco M. Tullius; Marcellus ille quinquies conſul, idem imperator, idem augur optimus. Quanquam ubi eſt Idem, poſſit eſſe coniunctio, ut ad Varronem; Caninius, idem tuus & idem noſter. Nec aliquid impediet ſi dicere uelimus; Quicquid cœperimus conſilij idem proderit etiam inimicis: uel remota coniunctione;

ne; idem proderit inimicis. Plura tamen hic & firmiora diligens obſeruatio docebit, quam præceptiones. Nam ut Is (quod à principio dictum eſt) referendi naturam intelligas habere, proximamque ad perſonam referri, quæ præſens nobiſcum loquitur, Sic M. Tullius in libro de fato ſcripſit; non & huic uenæ ſic mouentur & febrim is non habet. Simul uidendũ erit ut rectè eodem in libro uni eidemq; perſonæ, quatuor pronomina eodem in loco tribuit, Hic, Ipſe, Is, Ille. Stilphonem (inquit) Megaricum philoſophum, acutum ſane hominem & probatum temporibus illis accepimus. Hunc ſcribunt ipſius familiares & ebrioſum & mulieroſum fuiſſe: Neq; hoc ſcribũt uituperantes ſed potius ad laudem. Vitioſam.n. naturam ab eo ſic edomitam, & compreſſam eſſe doctrina, ut nemo unquam uinolentum illum, nemo in eo libidinis ueſtigium uiderit. Verum coniuncta ad pronomina mox redibo: nunc de ſimplicibus quæ reliqua ſunt uideamus ecquid habeant obſeruatione dignum. Is eodem loco orationis & relatiuum eſt ſæpe & antecedens, ut;

Pronomina plura diuerſaq; unã ad perſonam relata.

Nam is poſtquam exceſsit ex ephebis Soſia,
Liberius ei uiuendi fuit poteſtas:

Duæ tamen hic ſunt relationes. Prior.n. refertur ad antecedens nomen, ubi dictum eſt;

Eo pacto & gnati uitam, & conſilium meum
Cognoſces,

Poſterior, ad pronomen, ut hoc etiam ſtatuamus relatiuorum eſſe relatiua. Immo adeo neceſſe eſt ſępius tertiam eſſe relationem. Vide enim quæ ſequuntur;

Relatiuorum relatiua.

Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat.

Totum igitur ſi ſpectes locum id quod profecto dici aliter non debuit, aut certè melius non potuit, ſine metu ſolœciſmi aliquo imitabere. Ac primum Ipſe pronominibus perſonarum omnium adiungitur, ut ego ipſe, tu ipſe, hic ipſe, iſte ipſe, ille ipſe. Hic ſæpius ita loquuntur boni auctores, ut alterũ pronomen tollãt, ut; Par eſt autem primũ, ipſum eſſe uirum bonũ deinde alterũ ſui ſimilẽ quærere. Et pro Cornelio Balbo; Nihil.n. unquam audiui, quod mihi de iure ſubtilius dici uideretur, nihil de memoria, de more, de exẽplis acutius, nihil peritius de fœderibus, nihil illuſtriore auctoritate de bellis; nihil de rep. grauius; nihil de ipſo modeſtius, nihil de cauſa & crimine ornatius. Hoc loco ne potuiſſet quidẽ ſatis commodè, de ſe ipſo, dici. Nam pronomen ſe, ad certam perſonã referri debet, quæ tametſi

hoc

hoc loco non deeſt, oratio tamen ſic inſtituta eſt, ut uerbum à Pompeio, ad omnes homines traducatur. Quis enim illud non uideat quantum interſit utrum, quis dicat; Nihil potuit modeſtius de ſe ipſo dicere Pompeius: an illo modo; Nihil audiui quod mihi dici uideretur de ipſo modeſtius? Non enim ut in priore, ſic in altero exemplo, illud pronomen Se neceſſarium debet uideri. Poſtremum ſit hoc loco, pronomen Ille integrum eſſe, utq; natum eſt ita manere, nec ſyllabam ei, nec literam detractam eſſe, quare accentu dici, quo debuit à natura, Hic uerò ita pronunciari, ut ſi poſtrema ei ſyllaba detracta ſit, fueritq; olim Hicce, Hæcce, Hocce, quam ſcripturam præter Terentium & Plautum, Virgilius quoq; ſit interdum imitatus, ut;

Hocce erat alma parens.

Quamobrem, non modo quia in hoc pronomine, longa ſæpius per naturam ſyllaba eſt, ſed quia etiam poſtremas amiſit ſyllabas, ut noſtrâs, & ueſtrâs, niſi unitatis uirilem excipias caſum nominandi, cetera quæ ſingulis tantum conſtant ſyllabis, accentu circumflexo dicuntur. Quoniam uerò hic locus & pronominum ratio cum reciprocatione magnam partem coniuncta eſt, ipſius de reciprocationis uſu quædã nobis dicenda ſunt quùm hęc pars erit abſoluta. Itaq; pronomen Ipſe etiam adiungitur pronominibus poſſeſsiuis, ideſt Meus, Tuus, Suus, Noſter, Veſter, ſed caſu tãtum genitiuo, ut, Meam ipſius uitam contempſit; Tuam ipſius turpitudinem oſtendiſti; Suas ipſorum urbes incenderunt, Noſtris ipſorum argumẽtis refellimur. Præterea quùm ſit eius proprium perſonas diſtinguere uel ſi mauis illarum diſtinctioni lumen afferre, ſæpius tamen relinquit hoc munus ac diuerſum quoddam aliud aſſumit, ut ſic interdum loquamur, quemadmodum eſt in his M. Tullij exemplis quæ ſequuntur; Cato mortuus eſt annis octaginta tribus ipſis ante me conſulem. Ego has Prid. Non. Quint. proficiſcens Athenis dedi, quum ibi decem ipſos fuiſſem dies. Triginta dies erant ipſi quum dabam has literas. Denique ad M. Cælium, illa ipſa de re atque tempore quod ſecundo in exemplo fuit; Ego quum Athenis decem ipſos dies fuiſſem, multumq; mecum Gallus noſter Caninius proficiſcebar inde prid. Non. Quintilis. Integrum atque certum tempus dierum ſignificatur hac uoce, huiuſmodi in forma loquendi, contrà quam eſt in propoſitione ad, uel circiter, ut circiter uiginti dies, circiter ſeptem annos; quale præter alia multa, illud Ciceronis eſt ad Atticum; Homines ad quindecim Curioni nullum ſenatus conſultum facienti aſſenſe- *Ipſe.*

runt.

runt. Sed quia ex lectione auctorum, & imitatione cognoſci facile poſſunt, quæ multiplicem, ac ſcrupuloſam nimis præcipiendi diligentiam requirũt, uenio ad quæ de reciprocatione paulo ante poſt licebat me eſſe dicturum. In hanc uerò doctiſsimi quidam, etiam Tranſalpini homines penè dixerim inuecti ſunt. Et quidem afferũt multa ex auctoribus grauiſsimis, unde reciprocationis tota præceptio acuta potius & moroſa quã uera eſſe uideatur. Ego laudo in eis ingeniũ & doctrinam, laudo diligẽtiam latinitatis, copiæ & auctores omnes prorſus cognoſcendi. At homines literatiſsimos qui ante illos fuerunt, quum audeat nemo reprehendere, tanquam ab ijs contra rationem latinæ linguæ præceptum ſit, meæ partes erunt non quidem præcipiẽdi, ſed monendi potius, quid hic ſeruare oporteat eos qui iudicio uti ſuo nondum poſsint. Eſſe enim debent in grammatica certæ quædam uiæ quas ſine errore illi potiſsimum ſequantur. Illud uerò ſi magnifacias & eſſe pro loquendi norma, uelis quod aliquando optimi etiam auctores contra quàm literati homines præcipiunt, loquantur, iam nihil erit quod amplius de grammatica ſcribere poſsimus & (ne quid amplius dicam) ſermonis latini magna confuſio ſequatur neceſſe eſt. Quamobrem ea quæ ſibi iure ſuo quodam aut M. Tullius, aut cæteri græcos fortaſſe auctores imitati, ſumpſerunt, doctis tantum hominibus relinquenda ſunt, & ijs qui ad latinam linguam rudes ueniunt aliud ad tempus reſeruanda. Non enim ignoro, loca eſſe quædam, ubi ſeu ex natura etiam ſermonis, ſeu quia inſtitui aliter oratio debuerat, reciprocationis quæ uera lex eſt, omnino ſeruari non poſſit. Mox aliqua ex ijs oſtendere non grauabor, in quibus ne ueteres quidem Romanæ linguæ auctores quod rectum erat ſeruare potuiſſent. Illud tamen quod rectum uoco, & perpetuum in ſermone latino eſt, atq; uerum, nemo qui uel primas attigit literas putabit non ſanctiſsimè ab ijs eſſe ſeruatum. Nunc ergo illa tradenda ſunt quæ non modo certiora, ſed meliora etiam ipſe quoq; ueterum auctorum omnium conſenſus probauit. Reciprocatio igitur fit in pronomine, Sui & Suus, ut; Cato laudat filium ſuum. Ariſtoteles facit omnibus poteſtatem interrogandi ſui: quorum loco, auctoritati damus aut licentiæ, aut neceſsitati, ut eſſe queant Eius aut Ipſius aut Illius, aut hęc uiciſsim pro Sui & Suus. Accidit præterea interdum, ut neutra hæc in oratione locum habere poſsint, quemadmodum eſt apud Virgilium;

Reciprocatio.

Quidam iniqui in reciprocationẽ.

Tum breuiter Barcen nutricem affata Sichæi,

Na mque

Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat.
Etenim, quùm reciprocari debeat ad Reginã ſermo, dici nõ potuit, aut illius, aut eius: quùm uerò ſequatur uerbum aliò relatum incommode ſcriptũ eſt Suam. Quod ſi ad perſonã qua de agitur uerbũ illud Habebat referri poſſet incõmodo oĩ leuata oratio eſſet. Eſt.n. illa ratio reciprocationis conſtantiſsima, à non indoctis hominibus obſeruata, ut ſi nomen ſubſtantiuũ quod pronomini adiungitur, ad ſuppoſitũ, referatur, Suus pronomine utẽdum ſit, ut proſcripſit Sylla multos ira accenſus & odio ſuo. Sin id ſubſtantiuũ ad rẽ appoſitã ſpectet, Eius, aut Ipſius, aut Illius dicere debeamus, ut repudiaui uxorẽ ob turpitudinẽ eius, ut Cicero ad Dolabellã; ſemper amaui ut ſcis M. Brutũ propter eius ſummum ingenium, grauiſsimos mores, ſingularem probitatem atq; conſtantiam. Scio etiam dici ob turpitudinẽ ſuam, immo adeo ſi pronomen ſit appoſitum ſuã turpitudinem dicere oportebit magis quam Eius, ut ſuo ſibi hunc gladio iugulo. Sic Cicero; Ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra rep. percontatus eſt. Præterea ſi quid appoſito ſit additum, uel adiectiuum nomẽ, uel participium, uel deniq; aliquod uerbum, per Suus pronomen potius quam per cætera loquendum erit, ut; Metellum habuimus iniquiorem propter læſum fratrem ſuum. Animaduerti Lentulum cõmoueri ob uiolatam ab inimicis exiſtimationem ſuam. Sunt etiã huiuſmodi orationes; Pompeium ſequuntur amici ſui. A Cæſare nunquam deſciuerunt milites ſui, & quę hunc in modum innumerabiles figurari poſſunt, in quibus trium quę dixi paulum eſt ratio mutata, quo loco non dubitandum erit quin per Suum, non per Illius, Eius, Ipſiusq; dici cõueniat, ita plane, ut ſequuntur milites imperatorem ſuum, ut quaſi hinc fiat; Imperatorem ſequuntur milites ſui. M. n. Tullius, hic nobis erit imitandus qui ſæpe ita loquitur ut in libris de inuentione; Alexandrum Phæreum uxor ſua quum ſimul cubaret occidit. Nec dubitandum eſt, ſi Suus loco ſubſtantiui ſit nominis, quin ita loqui debeamus; Vliſſes quum rediji non eſt agnitus à ſuis, ut Cicero ad Varronem; Sed tamen cum ille ſcripſiſſet, ut opinor ſe in alſienſem eſſe uenturum, ſcripſerunt ad eum ſui ne id faceret. Sui uerò non poſſeſsiuum eſt ut cætera, ſed primitiuum pronomen, carens nominatiuo, naturamq; retinens quandam ſubſtantiui, non minus quam alia duo, à nominatiuis, Ego, & Tu, Mei, & Tui. Porrò nõ poteſt eadem prorſus eſſe ratio ubi contrà quam in cæteris poſſeſſio non ſit. Facile tamen eſt uidere quo loqui modo oportet, ut; Scipio ſimilis eſt ſui: Cato ſe interfecit. Nec fere dici uelim,

Ratio certiſſima reciprocationis.

Scipio ſimilis eſt ei, illi, aut ipſi, uel Cato Eum, Illum aut Ipſum interfecit, niſi altero pronomine .i. primitiuo tertiæ perſonę ſubiecto; ut; ſe ipſum interfecit: & Scipio ſimilis eſt ſui ipſius. Nam quod paulo ante recitauimus ex oratione pro Balbo; Nihil unquam audiui quod mihi uideretur dici de ipſo modeſtius, rectiſsimè ſcriptum eſt, quia non prorſus ad Pompeium pronomen illud reſpicit, nec de ſe ipſo ſi dictũ eſſet, eo loco ferri poſſet. Ac tertia perſona quoties non in primam aut in ſecundam ſed in ſemetipſam agit aliquid, tum pronomine alio quam Sui uti non licebit, ut; Scipio & Cato mortem ſibi conſciuerunt, quemadmodum ſi de prima aut ſecunda ſermo ſit; ego mihi iraſcor: tu tibi multum tribuis. Rectè ergo dicitur; Quum peteret à me Cæcilius ut ſe defenderem, ego illi adeſſe non potui. In priore .n. membro Cæcilius ſubiecta res eſt, in altero, pronomen res eſt attributa. Deniq; ſic loquuntur omnes, ut nihil malo quam & me mei ſimilem eſſe & illos ſui. Ne ipſe quidem mihi perſuaſiſſet, ut ſe dimitterem: teſtificantur iſti P. Quintium non ſtitiſſe & ſe ſtitiſſe. In Socrate cupiditas non fuit ulla oſtentandi ſui. Quocunque alio ex pronominibus hic utamur alia de perſona quàm de Socratis loqui uidebimur ut ſi dicamus oſtentandi illius: aut Socratem accepimus fuiſſe ſemper ſimilem eius aut ipſius: quanquam ſimilem ſui ipſius neceſſario dicamus, & ſimilem ipſius interdum non male, & ſimilem eius, & oſtentandi illius: & Sui & Suus pro Illius, Eius, aut Illorum inueniamus eſſe dictum, ſed huiuſmodi exempla (ut ſæpius iam dixi) nunc primum latinè diſcentibus nolim proponi ad imitandum. Neceſſario etiam ita ſæpius loquuntur, ut M. Tullius ad Atticum; Põpeius ueniet iratus, & ijs maximè qui eum maximè ſaluum uolebant. Non .n. ut iraſcor ijs qui me ſaluum cupiunt, & ſuccenſes tu ijs qui te laudabant, ſic dicendum putabimus, iratum eſſe Pompeium ijs qui ſe ſaluum eſſe cupiebant. Non enim cupiendi uel quodcunq; aliud uerbum ſit, ad Pompeium refertur. Nunc, eum maximè ſaluum uolebant, ideo recte dicitur quod uerbum alio ſpectat, & præter numeri diſcordiam quæ id referri ad illum non ſinit, longe diuerſa loquendi ratio eſt quam ſi dicatur, Pompeius maximè ſaluum ſe eſſe cupiebat. Hinc tranſeundum ad reliqua de quibus uideamus, an quemadmodum ego dixi rectè præceptum ſit à doctiſsimis. Admonent enim, ſi nomen ſubſtantiuum pronominis ad rem appoſitam attributamq; referatur, Ipſius, Eius, & Illius dicendum eſſe, ut Atticum amaui propter mores & elegantiam eius. Is quum eſſet proiectus inhumatus amica corpus eius texit ſuo pallio. Sunt hæc Ci-

V ceronis

ceronis exempla quæ ſi longius perſequi uelim, ſingulos penè uerſus,& illius & latinorum omnium,afferre poſſem. Eſto igitur hæc reciprocationis ratio,ſecura, breuis, aperta, facilis, quam ſequi rudes,ac doctiſsimi omnes queant. Neq; ego ignoro uel miror ſæpe aliter loquutos eſſe oratores,at hanc uiam,quæ certè uſitatior apud illos eſt,& poſtea à doctis hominibus notata,nemo a præceptis exiſtimabit eſſe tollendam, in qua perpetuo illud ſpectandum eſt, ut ſciamus nomen ſubſtãtiuum ad ſuppoſitum ne,referatur,ut;Craſſus gloriatur diuitijs ſuis, an ad appoſitum, ut ſequuti ſumus Cæſarem propter clementiã & liberalitatem eius. Suadeo autẽ hanc loquẽdi rationem quæ pueris etiam accõmodatiſsima eſt ad errorem declinandum,in ſcriptis ueterũ diligentiſsimè ſeruari. Nũc uerò ne ſim longior,unum illud monendũ putaui,dubiam fieri ſentẽtiam (quod poſtremo etiam de exemplo ad Atticum de irato Pompeio cognoſci potuit) ſæpius cum duabus de perſonis tertijs loquendum erit, ut Petijt à Lucceio M.Tullius ſuas res geſtas literis ut mãdaret. Eundem rogauit,ut laudandi ſui negotium ſuſciperet. Atticum orauit, ut ſibi ignoſceret, A Milone contendit,ut ſe cõmendatum haberet. Petebant à maioribus nationes exteræ,ut ſuis legibus uterẽtur. Hic oratores uel hanc ſermonis ac ſententiæ ambiguitatem diſsimulant, uel pro Sui & Suus contra præceptionem noſtram,aſciſcunt Is, aut Ille,uel genus loquendi aliud ſequuntur uel mutant rectè in pronomen Ipſe. Aulus quidem Cæcina ad Ciceronem ſcribens uni atq; eidem perſonæ cõtra hanc rationem ſola uarietatis cauſa, duo pronomina diuerſa adiunxit,ut;Hoc ſi Cæſar non cogitat, omnibus rebus felix eſt, ſi ſcit & perſuaſus eſt, quid iraſcitur ei qui aliquid ſcripſit contra ſuam uoluntatem quùm ignorit omnibus qui multa Deos uenerati ſint contra eius ſalutem? contra ſuam uoluntatem dixit, quia uidebat aliter dici non debere: contra eius ſalutem uerò, quia bis dicere Suum inelegans eſſe uidebatur. Sui uerò & Ipſe certis in locis,ac loquẽdi generibus quibuſdam,alterum pro altero ponitur, ut; Societas hominum inter ipſos & uitæ quaſi communiaas continetur, quam ſententiam ſolemus illo modo etiam exprimere; Homines, hominum cauſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe prodeſſe poſſent: quemadmodum, Pueri Cicerones amant inter ſe, & plurima huiuſmodi exempla. Poſtremum illud ſit ut ubi etiam diuerſitas eſt perſonarum, qnoties inter ſuppoſitum & princeps uerbum orationis,aliud uerbum ſit interiectũ, Ipſe, pronomine potius quã Suus uti conueniat: quo modo ſi dicas; Remp.à me eſſe conſer-

V 2 uatam,

uatam, oſtendunt ipſius mihi decreti honores. Deniq; ex iis quæ ſupra iam diximus facile quis rationem intelligat eorum quæ ita ab oratoribus dicuntur, ut à Cicerone in Lucullo; Innumerabiles mundi ſunt ita pares inter ſe ut nihil inter illos interſit. Sed iam redeo ad quæ ſequuntur. Relatiuorũ alia ſubſtantiç aiunt eſſe, alia accidentis. Illa, antecedens habent ſubſtantiuũ ut labor qui: moleſtia quæ: Tẽpus quod: hæc, adiectiuũ, ut qualis, ueſtrâs, Formianus Preneſtinus quorũ ſunt antecedentia, Cuiâs & Qualis nec aliter quã adiectiua. Nunc de ſubſtantiæ priuſquã dicatur, illud memoria tenendum eſt, quicquid loquimur, uel ſubſtantiæ eſſe ipſius, ut homo, paries, cœlum, uel qualitatis, ut albus, triſtis, auarus, uel quãtitatis, ut altus, magnus, profundus, uel relationis, ut pater, filius, auus, nepos, talis, qualis, cuiâs, noſtrâs, uel actionis, ut ſcribere, iuuare, ſentire, uel perpeſsionis, ut ſcribi, iuuari, ſentiri, uel loci, ut hic, alibi, intus, ad macellum in foro, uel temporis, ut nunc aliquando, heri, dudũ hodie, nudius tertius, nel ſitus, ut ſedere, iacere, pronũ, tectũ aut ſupinũ eſſe, uel habitus ut indutũ eſſe, nudũ, paludatũ armatũ. Sunt hæc philoſophorũ quidẽ, ſed quid negotij eſt intelligere, aut cur negligãtur ea quæ ſunt aperta oĩbus, & lumen afferunt ad intelligenda quæ ſunt omniũ, & huius etiã inſtituti? Subſtantia.n.& qualitas, & actio, & perpeſsio & relatiua quæ dicunt.i.ea quæ quouis modo cum aliquo conferuntur, quæ ſunt oĩum prima in grammaticis, niſi cognita ſine dialecticorum prçceptis eſſent, iam nihil penè tota hac in diſciplina intelligeretur. Iam cæterorum oĩum, ſed tẽporis & maximè locorũ tanta ſubtilitate in cõmuni uſu loquendi, localibus præſertim aduerbijs diſtincta, facilè admonemur non huc nos ex aliorũ artificio, ſed illos de medio, conſuetudineq; uulgi ſumpta, hæc ad artificiũ contuliſſe. Pronomen igitur Qui Quæ Quod relatiuũ ſubſtantiæ, unũ habet genitiuum, Cuius, olim Quoius, ut caſum dandi Cui, antea Quoi. Accuſandi, Quem, Quam, Quod. Vocandi putant nullum extare, & eſſe nominandi potius ubi ſic loquimur;

A reciproca tione tranſit ad relationes alias.

Decem genera rerũ ſumma, philoſophi de medio ad ſcientiam tranſtulere, quibus nos tanquã ſemper in medio poſitis intelligit auctor, ad res omnes uti debere.

O qui res hominumq; Deumq;,

Hoc tamen ego nõ uidero nec ea de re laborat tractatio latinitatis. Auferendi autẽ quo, Qua, Quo, & pro his oĩbus Qui trium generũ. Multitudinis uerò nominãdi Qui Quæ Quæ: gignendi ex analogia Quorũ, Quarum, Quorum. Dandi & auferendi una uox trium generum communis eſt Quis, uel Quibus. Accuſandi, ut poſtulat natura Quos, Quas, Quæ. Longè aliud eſt Quis & Qui: itaque mihi de his alio loco dicendum fuit; hoc autem quo de nunc agimus,

quod

quod in ipſo eſt,ſit ſępius qualitatis,uel accidentis,ut apud Plautum eſt in Captiueis *Qui quæ qd, refertur ad qualitates.*

Quo ex genere natus ſis ſcio.

Vulgo.n.ac ſæpius quùm ita loquimur,nō id intelligimus,ſcire nos, quo ex multis generibus quiſquam ſit, quod ad ſubſtantiam, ſed illud unum genus, quale ſit non ignorare, quod pertinet ad qualitatem. Diſtinguunt hæc literati homines, ut pronomen hoc,aut relatiuum ſit, ut;

Reſtat Chremes qui mihi exorandus eſt:

aut interrogatiuum, ut;

Quod genus hoc hominum quæue hunc tam barbara morem
Permittit patria? aut infinitatis, ut;

Nunc ſcio quid ſit amor

Horum trium generum,quod relationū eſt, ſubſtantiæ,reliqua duo, qualitati tributa ſunt. Hic meminerint ſtudioſi latinitatis in interrogationibus propè nullas occurrere poſſe dubitationes. In ijs autem quæ ſunt relationis aut infinitatis,illud primum ſit,quod quùm eſſet huius loci,ratio quædā tulit,ſexto ut libro exponeretur,ut; Amicos accerſam quos mihi uiſum erit. Legem ſcripſerunt, quam ipſis uiſum fuit. Prouinciam ſortiere quam tibi uidebitur. Sed ne mihi iteranda ſint eadem, nec tamen errore quiſquam hic labatur, eo quo dictum eſt loco, expoſui quæ ſit ea ratio loquendi. Item genus illud; Quos autem numeros cum quibus miſceri oporteat,nūc, dicendum eſt. Illud præterea, quoties caſum relatiui ſequitur antecedens, ut;

Id ſibi negotij credidit ſolum dari,

Populo ut placerent quas feciſſet fabulas.

Nam græci præter illam quæ naturalis eſt loquendi figura ut; ἡμὲν οὖν σπουδὴ περὶ τῶν ἐν χεῤῥονήσω πραγμάτων ἐστὶ, καὶ στρατείας, ἣν ἐνδέκατον μῆνα τουτονὶ φίλιππος ἐν θράκῃ ποιεῖται,in qua illis conuenit nobiſcum, ſic etiam loquuntur, ut relatiui quem dixi caſum non ex uerbi natura ponant,ſed illum ſæpius accōmodent ad antecedens. Plurima enim talia ſunt aliorum omnium rectiſsimè loquentium,quale Demoſthenis eiuſdem; τῶ μὲν ἔργω πάλαι πολεμεῖ πρὸς τὴν πόλιν, τῶ δὲ λόγων, νῦν ὁμολογεῖ διὰ τῆς ἐπιστολῆς ἧς ἔπεμψεν: Platonis etiā in Sympoſio; οὔτε που Ἀγάθων καὶ παυσανίας οὐδὲ μὴν ἀριστοφάνης ὧ περὶ διόνυσον καὶ ἀφροδίτην πᾶσα διατριβὴ οὐδὲ ἄλλος τουτωνὶ ὧν ἐγὼ ὁρῶ. Hos imitati ſunt noſtri omnes quibus latinæ linguæ auctoribus utimur, ut ita ſæpius loquantur; Ex ijs quibus dixi literis nihil de reditu illius

cognoſci potuit: Ex ijs quibus nominaſti prouincijs exercitum collegit: tametſi dicere etiam licebit; Ex ijs quas nominaſti prouincijs, ut eiuſmodi mutato ordine antecedentis & relatiui, utrunq; tamen ſuo caſu ponatur, ut Ciceronis multa ſunt quale illud in officijs; Quare quùm hoc commune ſit potentiæ cupidorum cum ijs quos dixi otioſis. Sepius tamen ſic loquuntur quemadmodum ex Terentio attuli modo exemplum. Atq; ex mille huiuſmodi unum M. Tullij ad Atticum ſit ſatis; Quos cum Matio pueros & Trebatio miſeram, epiſtolam mihi attulerunt. Semper huiuſmodi in latinorum exemplis præcedit relatiuum: quod ſi antecedens priore loco ponatur, tum ita loqui ueteribus permiſſum eſt interdum, ut Plauto in Aulularia

Pici diuitias qui aureos montes colunt
Ego ſolus ſupero

Relatio & antecedens uel ſunt ijs caſibus quibus eſſe debent ex natura uerborũ, uel antecedens ad relationẽ, uel relatio ad antecedens cõtra rationem accõmodatur.

Deniq; neceſſe eſt hæc ita habere diſtincta quo ſint ad intelligendum faciliora, ut modo relatiuum & antecedens ſuum utrunq; per ſe ex uerborum natura caſum teneat, ut; Sequor auctorem qui mihi uidetur eſſe ſapiens, modo relatiuum ſequatur caſum antecedentis qualia ſuperiora ſunt exempla; ex ijs quibus nominaſti prouincijs, & διὰ τῆς ἐπιστολῆς ἧς ἔπεμψεν, modo contrà, antecedens, ad caſum relatiui accommodetur, quale fuit;

Populo ut placerent quas feciſſet fabulas:

& quod ex Plauto duriuſculum uiſum eſt exemplum. Nec miretur quis ita uideri. Eſto enim tranſeat nominatiuus antecedens in caſum relatiui, ut;

Quas feciſſet fabulas,

Tranſeat relatiui accuſatiuus in càſum antecedentis, ut; Ex ijs quibus nominaſti prouincijs: non ſic tamen receptum eſt ut pluralem genitiuum antecedentis in rectum transferas caſum relatiui, ut; Supero Diuitias Pici, qui aureos montes colunt, pro diuitias picorũ. Ablatiuum quoq; antecedentis mutant ueteres in rectum caſum relatiui, unde Terentij illud eſt in Ecyra exemplum;

Ea quæ inſequuta eſt nox, eam nihilominus attigit.

Hunc ij ſum ueteres Atticum loquendi morem ſequuti, accuſandi, aliumue caſum antecedentis, in caſum uertebant relationis, ut Marcus fecit Cato; Omnis qui ſomnioſus eſt, hac eadem curatione ſanum facies. Ordinem quoq; uerborũ, huiuſmodi in figura loquẽdi inuenimur. Non.n.latini ſcriptores hoc loco ſimiliter atq; græci Orationem inſtituunt, ut nihil mutato ordine uerborum, latinè

uertant

uertant hoc ipſum ad loquendi genus, quæ ex Demoſthene afferebam διὰ τῆς ἐπιστολῆς, ἧς ἔπεμψεν. Nam ſi duo quæ ex Terentio & M.Tullio ſupra attuli exempla, ita paululum commutes, ut relatiua non priore loco ponantur, non ſatis ex more ueterum loquutus iudicabere. Eoſdem illos quos dixi græcos imitati, ſic orationem contrahunt noſtri, ut alia pronomina auferant, ut; Nego ius eſſe qui miles non ſit pugnare cum hoſte. Concidiſſem qui illum oderunt. His enim ex duobus exemplis, Eum, & Eos uidemus eſſe detracta. Nam relatiua, ſine antecedentibus, non ſemel animaduertes eſſe, ut;

Quæ ſeſe uoluit in ignem conijcere, prohibui:

& alio modo quodam Cicero in officijs; Quam ſimilitudinem natura ab oculis ad animum transferens, & quæ ſequuntur: Quam ſimilitudinem dixit, quùm antè, nullam ſimilitudinis mentionem feciſſet. Reſpiciunt enim huiuſmodi relationes non uerbum aliquod unum his in locis, certumue antecedens, ut poſtulat natura, ſed quæ ſignificata ſunt ſenſu orationis, ut; Cum Pompeio complures dies, nullis in alijs niſi de republica ſermonibus uerſatus ſum, quæ nec poſſunt ſcribi, nec ſcribenda ſunt: & obſeruanda profectò ea quæq; ratio eſt, quoties uel taceturnomen antecedens, uel diſcrepant ab eo pronomina relationum, ut C. Cæſar de bello Gallico; Belgas quam tertiam eſſe Galliæ partem dixeramus, Deniq;, aut nullum eſt antecedens nomen, quod illo præterea de Ciceronis exẽplo cognoſci poteſt; Amicis quibus uoluiſti, egi gratias, & eas literas Dexippo dedi: aut occultè ſignificatum eſt, ut;

Vno ore omnes, omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.

Sæpius fit etiam ut pronomen Is, diuerſo caſu reputatur ad poſterius membrum à priore, ut M.Varro de analogia; Ea quæ declinari non poſſunt, eorum declinatus requirunt. Tenenda igitur illa ratio eſt, ut pronominum duorum Is & Qui modo hoc ut poſtulat natura, modo illud ex uſu auctorum in priore membro orationis ponatur, ut; Eæ literæ quas ad me ſcripſiſti ſauè quã graues fuerũt: uel Quas ad me ſcripſiſti literas eæ nondum erant allatæ quum in urbem ueni: Accidit ut quùm propoſueris Quod, non id aliud ne pronomen, ſed pars orationis diuerſa ſequi debeat quemadmodum accidit Varroni. Itaq; in qua terra culturam agri docuerunt paſtores progeniem ſuam qui condiderunt urbem, ibi contra progenies

eorum propter auaritiam contra leges ex ſegetibus fecit prata. Eſt illud etiam genus, quale M.Tullij pro Milone; Cuius enim ſenatui de illo inceſto ſtupro iudicium decernendi poteſtas eſſet erepta, de eius interitu quis poteſt Senatum, iudicium nouum conſtituendum putaſſe: item aliud auctoris eiuſdem illud eſt ad Lentulum; Nam neq; de monimentis meis ab ijs adiutus es, à quibus debuiſti. Hic pronomen omitti potuit, quod eſt priore loco poſitũ. Porrò quam purgatum ſit genus illud, & quę inde ſuperuacanea, detracta ſint uident omnes. Qua de re, iure decertare oporteret, armis non contendere, ut idem alibi M. Tullius; Hos uobis non concedo, ut quibus rebus gloriemini in uobis, eaſdem in alijs reprehendatis. Cato Maior, & relationem præpoſuit antecedenti, & loci aduerbium, alterius pronominis loco ſubiunxit, ut; Qui ager longe à mari aberit, ibi uinum græcum ſic facito. His ferè igitur & alijs adhuc modis relatiua præponuntur antecedentibus, & reperi ſolent antecedentia, cum relatiuis, præſertim quoties aliquid inter hæc & illa interiectum ſit, ut; Accepi tuas literas pridie quam Roma exirem, quibus ex literis, doluí me de ualetudine tua nihilo factum eſſe certiorem. Dubium fortaſſe cuiquam uideatur ubi duo ſimul ad locum & ex loco ſpectandi ſunt motus. Sæpius enim tale quiddam in oratione fit neceſſe eſt. Reuertar in quam egreſſus ſum uiam: redeundum eſt in quem exiuimus portum: redire ſtudebis in quem cecidiſti dignitatis gradum. Cur non potius habita ratio eſt motus alterius, ex loco? Haberi certè poterat, ſi tantum quid nudi ſermonis lex poſtulet uidendum eſſet. At quoniam hic maioris apud nos momenti eſt, quod eſt in redeundo poſitum, præcipuumq; nobis eſt redire unde ſumus egreſsi, motus ad locum potius rationem haberi decuit, quam Terentius habuit, ut;

Relatio, ubi duo ſunt contrarij motus ad locum & de loco.

Reſtitue in quem me accepiſti locum.

Contra enim ſi exeundi apud nos quàm redeundi potius cogitatio ſit, motionis ex loco, ſpectanda ratio nobis erit, ijsq; uerbis utendum quæ de loco ſignificant non quæ ad locum quale eſt ita ſi loquamur; Deijciam te ex quo acceſsiſti loco: detrudam uos ex qua ingreſsi eſtis domo. Nec dicere quis audeat huiuſmodi in orationibus ita, ut quem dixi Terentij locum imitetur. Eſt etiam illud genus exemplorum; Si nos ij ſumus qui eſſe debemus, ideſt ſtudio digni & literis noſtris, dubitare non poſsimus quin ea maximè conducant, quę ſunt rectiſsima. Quo in genere duo pronomina Ij & Qui relatiua ſunt accidentis, ad qualitatemq; referuntur. Poſtremo autem,

tem, ne ſingula perſequar, illa etiam uenuſtatis habent multum; Tu quæ tua prudentia eſt, acutiſsimè omnium uidiſti. Ego quæ mea in patriam pietas eſt, qui meus in uos amor, meam pro republica ſalutem neglexi. Rarò etiam ſic; Tu, cuius in remp. pietatis fuiſti ſemper, nullum pro ea periculum, tibi metuendum eſſe duxiſti. Sæpiuſculè autem illo more; Ego qua beneuolentia in uos fui ſemper, ne mortem quidem pro ſalute ueſtra mihi extimeſcēdam credidiſſem. Prætерea utimur hoc pronomine, pro aliqua rationali etiam coniunctione, idq; ipſis in relationibus, ut ſimul utrunq; ad munus accommodetur, ut;

Nam in prologis ſcribundis operam abutitur
Non qui argumentum narret, ſed qui maleuoli
Veteris poetæ maledictis reſpondeat.

Eſt autem hoc frequentiſsimum in uſu doctiſsimorum omniū. Immo etiam ſæpe apud ueteres omnino uim amittit relationis, & ratiocinationibus tantum ſeruit, quale Terentianum illud eſt genus;

Multa concurrunt ſimul,
Qui coniecturam hanc nunc facio.

Perinde ac ſi dicat aliquis, Multa concurrunt ſimul, quamobrem hoc ſuſpicari poſsim. Illuſtrius hoc, de Plauti exemplo cognoſcemus;

Qui, quæ, quod, amittit interdum omnino uim relationis.

Quid ni fateare, ego qui uiderim?

Hoc pronomen ſimplex interdum compoſiti loco ponere licebit illius, quod eſt Aliquis, ut illa ſunt exempla de Re ruſtica Varronis; Secundum partū, pullos, anno non remouent à matre. Proximo anno, noctibus patiuntur eſſe cū his, & leuiter capiſtris, aliaue qua re habent uinctos. Eodem libro ſecundo; Equi boni futuri, ſigna ſunt ſi cum gregalibus in pabulo contendit, in currendo aliaue qua re quo potior ſit ſi quod flumen tranſuehendum eſt, gregi in primis prægreditur, ac non reſpectat alios. Vulgatum eſt illud, quùm proponimus præſertim ad quæ reſpondere nos oporteat, ut; Quod autem ſcribis: Quod me de literarum ceſſatione accuſas: Quod communibus de rebus certior fieri uelles, quæ ſunt nota pueris. Illa quoque ſunt in oratione, uerborum inter poſitiones; Serapionis librum ad me miſiſti ex quo quidem ego (quod inter nos liceat dicere) millesimam partem uix intelligo: uelim cures epiſtolam quam ad eum miſi reddendam, & ipſe (quod cōmodo tuo fiat) colloquare: tu uelim (quod commodo ualetudinis tuæ fiat) quā longiſsime poteris obuiam nobis properes. Eſt illud loquendi genus, quum dicimus

dicimus Quod, pro eo quod eſt quo circa, ut;

Pol me miſerum patrone uocares
Si uelles (inquit) uerum mihi dicere nomen
Quod te per genium, dextramq;, deosq; penates
Obſecro & obteſtor uitæ me redde priori

& Virgilius in ſexto Aeneidos

Nunc me fluctus habent, uerſantq; in littore uenti
Quod te per cœli iucundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per ſpem ſurgentis Iuli
Eripe me his inuicte malis

In Andria Terentius

Mi Pamphile huius formam atq; ætatem uides,
Nec clàm te eſt quam illi utraq; res inutiles,
Et ad pudicitiam & ad tutandam rem ſient:
Quod ego per hanc te dextram oro & genium tuum
Per tuam fidem perq; huius ſolitudinem,
Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges neu deſeras.

Illud Quis locum non habet in relationibus, & ſolum eſt dubitandi, admirandi, interrogandi, infinitatis, ut;

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos
Quis nouus hic noſtris ſucceſsit ſedibus hoſpes
Quis genus Aeneadum quis Troiæ neſciat urbem
Qualem quis primo ſurgere menſe
Aut uidet, aut uidiſſe putat per nubila lunam

Cum Quis, eiuſdẽ eſt naturæ & uſus Quid & ijſdem ferè quibus dictum eſt quatuor modis capitur. Ab hoc pronomine illa etiam naſcuntur, Siquis, Quiſque, Quiſquam, Quidam, Aliquis, Quiſnam, Nequis, Nunquis, Enquis, Ecquis, Quiſpiam, Quiuis, Quicunque, Quilibet, Quiſquis, Vnuſquiſque; quibus addere licebit illa quæ ex hoc nata non ſunt, Vterque, Vtercunque, Vteruis, Alter, Alius. Horum omnium exempla facilia & in promptu ſunt omnibus, ut; Cæteræ naturæ ſuis ſeminibus quæq; gignuntur. Nã tria, primo loco poſita, non habent quæ notare multum interſit, niſi quod ipſa, ut cætera quibus adiunctum eſt pronomen Quis muliebri etiam genere antiqui ſcriptores eſſe uoluerunt. Dicebant.n. ut eſt in ſimili uoce græcorum, id quod M. Varro attulit ex ueterum uſu poetarum. Quis tu es mulier, quæ me inſolito appellaſti nomine? Tale eſt quod oſtendi paulo ante ex Eunucho Terentiana exemplum.

Compoſita à Qui.

Hunc oculis ſuis
Noſtrarum nuſquam quiſquam uidit Phedria

Quædam ſæpe tempora incidunt loquendi, ut ne dici quidem uoce alia fœmineum genus, quam uirili poſsit, qualis ille eſt Plauti locus;

Neque digniorem cenſeo uidiſſe anum me quenquam
Quoi Deos, atq; homines cenſeam benefacere magis decere

Hic.n.ut ratio poſtulat, quanquam dicere poeta debuiſſet, ſed pronomen quoq; ei ab aduerbio quanquam diſcernendum fuit. Quidam & Aliquis differunt. Illud.n.certis de rebus perſoniſue dicitur, ut; Quidam tibi homines inuiderunt: hoc uerò de incertis, ut; Aliquos inueniam fortaſſe defenſores mei. Prius tamen ad animi expertia relatum, ſæpius eiuſmodi de rebus dicitur quas nunc quidem tacemus, quia uel obſcuræ ſint, uel magnæ, uel ſubtiles, uel quoquo modo difficiles ad explicandum, ut; Aures.n.uel animus aurium nuncio, naturalem quendam in ſe continet uocum omniũ menſionem. Paulo poſt idem Cicero; Eſſe ergo in oratione numerum quendam non eſt difficile cognoſcere. Atq; ut noris illud Quendam ſub obſcuris de rebus dici, illud uide quod ſequitur; In quo eſt iniquum quod accidit nõ agnoſcere, ſi cur accidat, reperire non queamus. Eius etiam quod eſt Aliquis, huiuſmodi quidam eſt uſus apud oratores, ut pro nonnullo, aut alicuius tandem loci numeriue ponatur, ut; Quare, fac ut omnia ad nos perſpecta & explorata perſcribas, meq; ut facis, uelis eſſe aliquem, quoniam qui fui, & qui eſſe potui, iam non poſſum. Atq; utinam liceat aliquando aliquo reipublicæ ſtatu frui, interq; nos conferre ſolicitudines noſtras. Mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti, fideliſsimè (ut mihi quidem uiſus eſt) narrauit te interdum ſolicitum ſolere eſſe uehemẽtius: quod facere non debes, nec dubitare quin aut aliqua republica, ſis futurus qui eſſe debes, aut perdita, non afflictiore conditione quam cæteri. Quùm beatiſsimi ſint qui liberos non ſuſceperunt, minus autem miſeri qui his temporibus, quam ſi eoſdem bona aut denique aliqua republica perdidiſſent. Sed alijs etiam quamplurimis, ex M. Tullij & cæterorum locis rem arbitror eſſe ualde cognitam. Huius loco ſimplex illud pronomen unde natum eſt poſitum inuenies, ut illa ſunt frequentia Varronis; Cellas prouident ne habeant in ſolo humorem, & ut molle habeant ſubſtramen è palea aliaue qua, re, neue quæ eò accedere poſsint muſtelæ, aliæue beſtiæ quæ noceant. Paulo poſt idem auctor; Omnes parietes, tectorio

Quidam.

Aliquis.

rio leuigantur, ne feles aliaue quæ beſtia introire ad nocendum poſsint. Obſeruatum eſt à nobis illum ſæpiſsimè ſic loqui. Illa, Siquis, Quiſquam, Quiſpiam, Nequis, nihil in uſu, uel ſenſu difficultatis habent, ut; Siquis ueſtrum iudices, aut eorum qui adſunt, fortè miratur;

Quiſquam numen Iunonis adoret?

Sic egit cauſam tuam, ut neq; eloquentia maiore quiſquam neque grauitate, neq; contentione, nec ſtudio agere potuerit. Innocens eſt quiſpiam: ueruntamen quanquam abeſt à culpa, ſuſpicione tamen non caret. Quùm eſſet lex Athenis, nequis plebiſcitum faceret. Quiſquam & Nunquis ad interrogationes dubitationesq; pertinet. Quæſiuit ab eis: Quiſnam uirgines formoſas haberet. Quod ſi Nam, præponatur maiorem commoti animi motum quendam ſignificat, ut;

Nam quis. Nam quis te iuuenum confidentiſsime noſtras
Iuſsit adire domos

Velim quæras, fundus numquis in Nolano uenalis ſit. Enquis uim doloris oſtendit, ut;

En quis conſeuimus agros.

Quiuis, Quicunq;, Quilibet, hominum aut rem notant incertam aliquo de numero maiore, ut; Abs quiuis homine, quùm opus eſt, beneficium accipere gaudeas. Vtrunq;, quiuis intelligere potuiſſet. Hoc utimur quùm aliquid negamus, id eſſe quod dici, aut exiſtimari poſſet, ut; Vis illa fuit, & (ut ſæpe iam dixi) ruina quædam atque tempeſtas, & quiduis potius, quàm iudicium, aut diſceptatio, aut quæſtio. Item illo modo; Quiuis perpeti malim, quàm illum diem uidere. Quicunq;, ſeparatim aliquando ponimus, uerbo inter duas interiecto partes, ut;

Quæ me cunq; uocant terræ.

Horatius quoque

Qui teſtamentum tradet tibi cunq; legendum:

& apud oratores, ut in quarto libro de finibus M. Tullius; Viues inquit Ariſto, magnificè atq; præclarè, quod erit cunq; uiſum ages. Vbi eſt quicunq; poteſt locū habere, Omnis, ut; Non omnia (idem inquit auctor) quæcunque loquimur mihi ad artem & ad præcepta *Quilibet.* eſſe reuocanda. Quilibet eandem habet cum ſuperioribus duobus naturam, ut; Hiſtrioni actio, ſaltatori motus, non quiuis, ſed certus quidam eſt datus, ſic uita agenda eſt, certo genere quodam, non quolibet; quod genus conueniens, conſentaneumq; dicimus. Quiſquis,

quis,facile eſt diſcernere,à Quicunque,ſed ea re maxime diſcretum eſt; quod ſemper duo uerba poſtulat, aut utrumque aut alterum, aut neutrum ad ſe relatum,ut; Quiſquis obuiam factus erit,haud impune abibit: uel; Quiſquis accedet, hinc ego illum deturbabo: uel; Quenque offendero, illi me opponam. Quanquam hoc poſtremo in exemplo dicendum ſit potius; Quencunque offendero. Vbi.n.Quiſquis poſitum eſt ſuperioribus in exemplis, poterat eſſe quicunque. Hoc autem ſine duobus (ut iam dixi) uerbis contra quam illud ſuperius eſſe poteſt, ut; Quacunque de re propoſitum ſit, in utramq; partem diſputare. Reſponſurum ſe Gorgias profitebatur, quibuſcunque de rebus quæſitum eſſet. Nec ſæpius ita loquimur ut Plautus in Milite;

Quenque à milite hic uideritis hominem à noſtris tegulis.
Extra unum Palæſtrionem, hunc deturbato in uia.

Vnuſquiſque, ſinguli ex pluribus, ut; Rogaui unumquenque ueſtrum. Quæſtiones habitæ ſunt de unoquoque illorum. Duo hæc poſtrema, Vnuſquiſque & Quiſquis,utrinque declinantur, ut Cuiuſcuius, Cuicui, Quemquem Quoquo, illud alterum ſimiliter, ſed ſyllaba tamen immobili nouiſsima, ut Vniuſcuiuſque, Vnicuique, Vnumquemque, Vnoquoque. Reliqua uerò una tantum queunt ex parte declinari, ut Sicuius, Cuiuſque, Cuiuſquam, Cuiuſdam, Alicuius, cæteroſque in ſuos caſus omnia. Quiſque & Vnuſquiſque uim habent multitudinis, etiam in ſingulari numero, ut; Cœperunt quiſque de reditu cogitare: reuerterunt unuſquiſq; in ſuas ciuitates. Leue arbitror, illud etiam admonere, admonebo tamen; Quùm binæ ſint neutrius generis uoces, tam in ſimplicibus quàm in coniunctis, Quid, & Quod, Siquid, & Siquod, Quicquid & Quodquod, Quiddam & Quoddam, eodemque modo cæterorum omnium, priores eſſe ſubſtantiuas, tractarique inſtar ſubſtantiuorum nominum oportere, ut; Debebam neſcio quid nummorum. Scribes ad me, ſiquid erit noui. Docebo te ſi quippiam acciderit rerum nouarum: ſic à cæteris omnibus præterquàm à Quicunque, & Vnuſquiſque. Dicimus tamen; Quod negotij ſuſceperas, non ualde ex animi ſententia confectum eſt. Sæpe enim, Quod, Hoc, Id, Iſtud, Illud ſunt pro ſubſtantiuis, ut Hoc moleſtiæ, id negotij, iſtud flagitij, illud incommodi. Vterque duabus de perſonis rebuſque tantum dicitur, ut; Lælius & Cato uterque ſapiens. Hinc dictum eſt in utranque partem diſputare. Magnam eſſe uim conſcientiæ in utranque partem: Aliquem eſſe ſtudioſum

utriuſque noſtrum. Quumque ad ſuperiora antecedentiaque refe-ratur, uenuſtiſsime tamen & ſæpius ad principia ponitur ſenten-tiarum, ut; Vtrunque tibi gratulor, & commodum ualetudinis & lætitiam animi à te recuperatam eſſe. Terentius in Eunucho;

Vtrunque. Vterque, mater, & pater

Quaſi dedita opera erant domi.

Vulgare eſt antiquis & bonis omnibus ita loqui græcos auctores imitantibus. Hoc.n.pacto ij loquuntur, ut; ὑπὲρ τῶν μεγαλοπολιτῶν Demoſthenes; Ἀμφότερον μοὶ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ οἱ τοῖς Ἀρκάσι καὶ οἱ τοῖς Λακεδαιμονίοις συνειρηκότες. Illud ēt quod noſter elegātiſsimus auctor latinitatis, ita ſcripſit; Obfuit plurimū eo tempore Conſulum, ſiue malitiam, ſiue ſtultitiam dicere opor-tet, ſiue potius utrunq; : eorundem è græcorum fontibus ad nos ip-ſoq; Demoſthene potiſsimū dimanauit. Is nanq; in oratione de co-rona, ſic totidemq; uerbis penè hūc locū expreſsit; τὶ ἐὰν συναγωνίσαιτο αὐτῷ πρὸς τὸ λαβεῖν ὀλίγου δεῖ ὑμᾶς ἑκόντας ἐξαπατῶμένους ἢ τῶν ἄλλων ἑλλήνων εἴτε χρὴ κακίαν, εἴτε ἄγνοιαν εἴτε καὶ ἀμφότερα ταῦτ᾽ εἰπεῖν. Qāuuis aūt ſingularis hic numerus apud nos duo minimum ſignifi-cat, aſſumit aliquando tamen ad res duas numerum pluralem, ut;

Huius formam atque ætatem uides.

Nec clam te eſt, quàm illi utræque res inutiles

Et ad pudicitiam, & tutandam ad rem fient.

Similia ſunt plurima, ut illud In Amphitruone Plauti

Deinde utrique Imperatores in medium exeunt.

Cōtra enim fieri hoc debet, quūm ſunt res de quibus agitur multi-plices natura, ut; utraſq; literas accepi tuas, & quas puero meo, & quas tabellarijs publicis dediſti, uel; Vtraq; rectè uiuendi præcepta, & ſacrorum, & philoſophiæ ſum complexus. Vterque & ambo ſic differant, ut illud res, perſonaſque diuerſi etiam temporis demon-ſtrare poſsit, quale eſt ſi dicatur; Hoſtilius & Numa, uterque an-te ſuperbum Tarquinium regnauit: hoc autem ad idem tempus re-ferri debeat, ut in Phormione Terentius;

Euenit ſenibus ambobus ſimul

Iter, illi in Lemnum, ut eſſet, noſtro in Ciliciam.

Neuter, non eſt omnino huius loci, ſed eodem modo tractatur, quo Vterque, Vtercunque: & Vteruis, eſt alteruter ex duobus, ut;

In hoc bello utracunque pars uicerit, tamen perituri ſumus, &;

Menander fecit Andriam, & Perinthiam

Qui utramuis rectè norit ambas nouerit.

Reliqua

Reliqua ſunt ex his Alter & alius, quorum prius eſt pro ſecundus, ut; Erat alter annus tum à conſulatu Metelli. Dicimus etiam. Alter & centeſimus dies poſtquam eſt Clodius occiſus: Alter & quinquageſimus dies à cæde Saturnini: Vnus & alter dies interceſſerat, quum rumor eſt allatus de fuga exercitus: Huius loci eſt Ciceronis illud; Ptolemæus qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam. Illud uerò.

Omnes ſibi malle quam alteri,

Perinde eſt atque ſi dicatur quod eſt in ſacris τὸν πλησίον quo ſenſu dicimus etiam; Alter alteri prodeſſe, alter alterum repellere. Vulgare eſt etiam.

Poſtquam amans acceſsit, unus & item alter

Non pertinent quidem ad relationes hæc exempla, ſed à duobus his nominibus quæ ſunt relationum diuelli non poſſunt. Nam de Alius etiam, quod ab Alter ſic differt ut ignorat nemo, illa nunc mihi ueniunt in mentem, Aliud ac, & aliud atque, ut; Poteſt enim (Cicero inquit) non ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud aliàs uideri: & Terentius;

Alium nunc cenſes eſſe me atque olim quùm dabam.

Habent ſuas denique pronomina declinationes quorum & ſi non omnes, quidam tamen caſus differunt à nominibus. Exempla hic ſubijcere placuit ea declinandi: eſtque prima declinatio pronominum eorum quæ primitiua dixerunt, Ego, Tu, Sui,

Primũ ex his quod primæ declinationis eſt obliquos habet, & inter ſe, & à recto diſsimiles, Ego, Mei, mihi, Me, quod illi tamen commune modo quodã uidetur eſſe cũ cæteris duobus, Tu, & Sui. Atque in genitiuo fortaſſe græcos imitati ſumus. Apud illos.n.q eiuſmodi in formã cadũt genitiui, Ὁμήρου, Ὀλύμπου, Ἡσιόδου, Ἀπολλοδώρου ueniũt ad nos, Homeri, Olympi, Heliodi, Apollodori, ut eadẽ ratione, ex illorũ uoce, Μοῦ, factũ ſit Mei. Nec ualde minor cã eſt, cur datiuũ quoque putẽ ijſdẽ à græcis noſtros accepiſſe, mutatione literarũ conſueta, ut quintæ illorũ uocalis diphthongũ, & quartæ, in uocalẽ de nr̃is tertiã uertamus, nec miremur ex Μοὶ cõflatũ eſſe mihi. Iã de accuſãdi caſu, & auferẽdi, quũ ſit oĩno illorũ uox eadẽ ac noſtra, minime dubitandũ quin hoc, de ſermone eorundẽ acceperimus. Nec illud repugnat quod producta ſyllaba apud nos dicitur, quã illi corripiũt. Nã alijs quoq; in uerbis, hoc, noſtri fecerũt aliqñ ut ſyllabæ tẽpus adderẽt, uel contra interdũ adimerent. Horum trium pronominum fuerũt olim à principio ſermonis Latini, fortaſſe uſq; ad Plauti ſeculũ

illi etiam quos ante iam dixi genitiui primæ perſonæ Mis, ſecundæ, Tis, tertiæ Sis. Rectus autem multitudinis eſt Nos, genitiuus Noſtrum & Noſtri. Datiuus Nobis, accuſatiuus, idem prorſus cum recto, quemadmodum auferendi, cum datiuo ſecunda perſona. Tu eaſdem habet obliquorum Syllabas in fine quas prima, Tu, Tibi, Te, à Te, eſtque in ea caſus etiam uocandi (quem habere prima non potuit) nulla nec litera quidem diſsimilis à recto. Caſus multitudinis omnino ſimiliter ac primæ perſonæ terminantur, Vos, Veſtrum, Veſtri, Vobis, accuſandi & uocandi à recto non differt ut nec ſextus à dandi. Tertiæ perſonæ eſt ſui, quod propter ſimilitudinem, quæ ei futura alijs cum uerbis fuiſſet, rectum non habuit cæteri caſus, perſonæ ſecundæ analogiam ſequuntur, Sibi, Se, à Se. Vnitatis hæ quatuor uoces, numero etiam dantur multitudinis. Denique pronomen hoc per naturam uocandi habere caſum non potuit, ut nec primum illud perſonæ primæ, nec putet quis ad uocandum pertinere, quoties aiunt poetæ;

O ego quantum egi quam uaſta potentia noſtra eſt.

Habebant hæc tria quondam, alios etiam genitiuos numeri ſingularis, Mis, Tis, Sis, quos antiquitati relinquimus remotiori, ut in Mili te Plautina;

Quia

Tis egeat, quia te careat.

Ego, & Sui uocatiuos habere non poſſunt, nec putet quis illum eſſe uocatiuum, quoties aiunt poetæ.

O ego quantum egi quam uaſta potentia noſtra eſt. Habent ſingulares genitiuos ut ante iam dixi tantum ſignificationis paſsiuæ, quod imitantur, numeri multitudinis etiam ſecundæ uoces. Noſtri, Veſtri, Sui, qui tamen poſtremus genitiuus perſonæ tertiæ, ſolus eſt, & vnus vtriuſque numeri ſine recto, & tantum ſignificatione præditum paſsiua. Secunda declinatio eſt, quorum ſingulares genitiui Illius faciunt, & Ipſius, & Iſtius. Ad hanc referuntur. Ille, illa, illud, Ipſe, ipſa, ipſum, Iſte, iſta, iſtud, Hic, hæc, hoc, Is, ea, id, Idem, eadem, idem, Qui, quæ, quod. Horum genitiui ſunt omnium generum, Illius, ipſius, iſtius, huius, eius, eiuſdem, cuius datiui, illi, ipſi, iſti, huic, ei, eidem, cui. Hæc cæteros in caſus declinantur more adiectiuorum nominum. Quod quarto loco poſui, vnitatis omnes caſus, excepto genitiuo, neutrum quoq; genus multitudinis, conſonantium ſecunda, cæteros autem quinta ſemiuocali terminat. Atque his tamen caſibus eadem ſecunda conſo-

conſonans, & ſecunda uocalis iungi ſæpius ad extremum conſueuit, ut huiuſce, hiſce, hoſce, & haſce noſtri auctores dixerint. Sed antiquiſsimis temporibus ad caſus omnes hæ duæ literæ apponebantur, itaque hicce etiam, hæcce, hocce, horunce, & harunce ſcriptum fuiſſe ſcimus. Quare nunc ſyllabis circũflexis hĩcc, huĩc, & hãc dicere conueniet. Tria uerò quæ prima ſunt, unitatum genitiuos, datiuoſque communes trium habent generum qui genitiui per naturam ſyllabas producunt ſecundas à poſtremis, ut;

Noſtro illius labatur pectore uultus,

quibus tamen in ſyllabis iure ſuo utuntur poetæ ſæpius ut illo more dicant etiam

Illius aram

Eadem eſt ratio omnium quæ iam dixi, & nominum quoque illorum, unus, totus, ſolus, alius, ullus, nullus, uter, alter quod poſtremum tamen, eam ſyllabam, contra atque cætera corripuit. Pro nomen Is uocalem nominatiui mutat, facitque unitatis muliebre, & neutrum genus multitudinis ea, & genitiuum ſingularem omniũ generum Eius Datiuum ei. Diſcretæ ſunt uoces accuſatiui eum eã id. Sed priores duæ fuerunt à principio ſermonis Latini im, ut in duodecim tabulis adhuc legitur, & am. Auferendi caſus eſt maſculini generis & neutrius eo, fœminei uerò niſi quod ſyllabam producit ultimam ſimilis nomimandi. Multitudinis ſunt ij eæ & quod iam dixi, ea quorum fit genitiuus inſtar nominum adiectiuorum primæ declinationis & ſecundæ, eorum, earum, eorum ut accuſatiuus etiã eos, eas, ea: dandi auferendique eis aut ijs, quod fuit olim ijbus, ut apud Plautum in Curculione; Eodem hercule uos pono & paro, pariſſumi eſtis ijbus.

Tria ex his, Ille, Iſte, & Is, quùm genere dicuntur neutro, tertiam habent in fine conſonantem, Id, Iſtud, Illud, Ipſe autem quia ipſus olim diceretur, ut comicorum ex uſu ueterum accepimus, neutrum genus more adiectiuorum nominum, litera ſemiuocali ſecunda terminauit, quanquam alius etiam faciat aliud, & ſi nuſquam in fine ſecundã habuit uocalem. Qui, quæ, quod habet etiam Quis & Quid. His duabus uocibus dubitando ſolum aut interrogando, aut infinitè utimur: poſteriore nunquam alias in literas, priore autem in caſus omnes declinata, ut;

Quem das finem Rex magne laborum?

&;

Cui pendere ſua patereris in arbore poma.

X Exempla

Exempla enim huiuſmodi eſſe à Quis non à Qui exiſtimabimus. Horum omnium ſunt genitiui. Illius, Ipſius, Eius, Cuius, qui fuerunt quondam Illi, Ipſi, Ei, Cui, perinde atque nominum ſecundæ declinationis. Quare & Nulli pro nullius, & Alteræ pro alteri, & Solæ pro Soli, & cui pro cuius etiam nunc in bonis auctoribus leguntur: & Cato Maior dandi caſu muliebri; Illæ uſus eſt pro Illi, ut; Vinum fæcatum ſic facito: fiſcinas olearias campanicas duas illæ rei habeto, Alius quoque apud ueteres faciebat Alij, unde caſum datiuum ex noſtris quidam, Alio facere ſunt auſi: ex analogia tamen, rationeque ſimilium, genitiuus eſſe debet Alius circumflexa ſyllaba quæ antecedit ultimam. Quis & quiſquam genere muliebri etiam, noſtri olim dicebant, ut;

Hunc oculis ſuis,
Noſtrarum nunquam quiſquam uidit Phædria:
& Plautus in Perſa;
Sed quis hæc eſt quæ me ad uorſum incedit?

Accuſatiui ſingularis uocem, generis uirilis, tertiæ nominum declinationi ſimilem facit, muliebris, ſecundæ, ut Quem & Quam: auferendi uerò caſum, uel in primam uocalem terminat, uel in quartam, uel in tertiam, ut Qua, Quo, & Qui trium generum: nominandi multitudinis, in tertiam uocalem, ſi genus eſt uirile, ſin muliebre, uel neutrum, in primæ uocalis diphthongum & ſecundæ: dandi atque auferendi Quis & Quibus, accuſandi, Quos & Quas, ad ſecundæ formam declinationis, genus uerò neutrum, ut unitatis muliebre nominandi fuit; Datiuum ſingularem, ſyllabæ unius plurimum faciunt poetæ quemadmodum;

Huic coniux Sichæus erat
Perquam rarò duas in ſyllabas diuiſerunt.

Vt ſuperiora declinantur vnus vna vnum, Vnius, vni, Totus tota totum, Totius, Toti. Solus ſola ſolum: itemq; Alius, Alter, Vllus, Nullus, Vter, Alteruter, Vteruis, Vterq;, Vtercunque, & alia ſiqua ſunt huiuſmodi. Declinationem pronominis. Qui quæ quod, ſequũtur etiam quæ ex eo compoſita ſunt, quorum de ſignificatione & uſu, iam ante docuimus Siquis, Quiſque, Aliquis, Quiſpiam, Quiſnam, Nequis, Nunquis, Enquis, Quidam, Quiuis, Quicunq;, Quilibet, Quiſquis. Tertia declinatio, quinque pronominum dumtaxat eſt eorum quæ dicunt poſſeſsiua, Meus, Tuus, Suus, Noſter. Veſter quæ ita declinantur ut nomina adiectiua, Lætus læta lætum,

Pulcher,

Pulcher, pulchra, pulchrum, & innumera huiuſmodi quorum exempla à nobis quarto libro in ſecunda nominum declinatione ſunt allata, nec aliud eſt, quod hic dici debeat, niſi illud, caſum uocandi, qui ex ea ratione eſſe debuerat Mee, Mi factum eſſe duabus contractis breuibus, tertiam in longam uocalem. Hæc duo pronomina poſſeſsiua ſecundæ perſonæ exempla eſſe poſſunt aliorum, id eſt Noſter, & Veſter declinandi, quibus addita Pte ſyllaba ad finē præſertim caſus auferendi, fiunt illa quæ ſunt in uſu omnium, meopte ingenio, tuapte uoluntate, ſuopte impulſu, ueſtrapte natura, & nota ſunt, Tute, Egomet, Hoſce dies, huiuſce Virginis, Iſtiuſce negotij, longe alia quam ſuperiora. Ad his nulli eſſe per naturam uocatiui præterquam à primo poſſunt, ut ne cæterorum quidem niſi à primitiuo ſecundæ perſonæ. Nec uocatiuum eſſe quis putauerit quod eſt in Virgilio;

-O qui res hominumque Deumque
Aeternis regis imperijs

Poſſeſsiua quæ dicuntur, uel unius poſſeſsionem ſignificant ut; Meus Tuus, uel tum unius, tum plurium, ut Suus; Nam & ille colit agrum ſuum, & illi uendunt prædia ſua dicimus: uel pluribus communem, ut Noſter & Veſter: noſtra enim & ueſtra, res nulla dicitur niſi quæ pertineat ad multos.

Quarta uero nihil differt á tertia nominum declinatione, ad cuius analogiam declinantur illa tria quæ ſola ſunt huius loci, Noſtrâs, Veſtrâs, Cuiâs. Quãobrē uenio, ut quæ de relatiuis adhuc reliqua ſunt, ut breuiſsimè potero complectar. Ac primum ijs etiam qui Romanæ linguæ ſunt omnino rudes nullum eſt negotium uidere quemadmodum conueniant hæc neceſſe eſt, (ut à principio dixi) genere & numero cum antecedentibus, ut Lelius qui, Tullia quæ, flumen quod: nec errare quiſquam in ijs poteſt quæ accidentis relatiua grammatici nominant, ut quales ſumus, tares eſſe uideamur. Non tanta eſt Roma quanta olim fuit. Quare maneat hoc ſine præceptis, relatiua omnia eſſe per ſe ualde cognita. Quoniam uerò nomina quædam adiectiua huc docti quidam homines congeſſerunt, quæ antecedentium loco relatiuis præponuntur, ſi ſciamus rectè, quid ea ſint, nihil erit amplius, quod requiratur. Adiectiuorum igitur nominum quæ dixi, alia ſunt magnitudinis, ut magnus paruus, altus, profundus, alia numeri, ut multi, plures, tot, quot, uiginti, centum, mille. A principio autem hæc ita deducimus.

Vnus,duo, tres, quatuor,quinq;,ſex,ſeptem, octo,nouem,decem: Vndecim,duodecim,tredecim,quatuordecim, ſexdecim, decẽ, & ſeptem,uel ſeptẽdecẽ,decem & octo, uel duodeuiginti,decem & nouẽ,uel vndeuiginti,Viginti: Viginti unus, uigintiduo, uigintitres, uigintiquatuor, uigintiquinque, uigintiſex, uigintiſeptem, uigintiocto, uel duo de triginta, uigintinouem, uel undetriginta, triginta.Sic & triginta vnus,trigintaduo, trigintatres, uſque ad duo de quadraginta,undequadraginta, & ipſa quadraginta. Deinceps uerò quinquaginta, ſexaginta, ſeptuaginta, octoginta, nonaginta Centũ.Centũ & unus,Centũ & duo,centũ & tres uſq; ad cẽtũ.& decem.Centum uiginti, Centum triginta,Centum quadraginta,Centum quinquaginta, Centum ſexaginta, centum ſeptuaginta, Centum octoginta, Centum nonaginta, ducenti,trecenti,quadrigenti, quingẽti,ſexcẽti, ſeptingẽti,octingẽti,nongenti mille. Duo millia, tria millia, uſq; ad decem millia, quorũ relatiua ſunt Tot & Quot. Non declinantur hæc a quatuor uſque ad centum: declinantur autem à ducentis ad mille,ut ducenti ducentæ ducenta,trecenti trecẽtæ trecenta,quadrigenti quadrigentæ quadrigenta: item quingenti,ſexcenti, ſeptingenti, octingenti, nongenti. Rurſus non declinantur mille: declinantur duo millia,tria millia,quatuor,quinque, ſeptẽ,decem,& omnia millia.Præterea mille adiectiuũ nomen eſt, ideoq; ferè dicimus mille homines,& mille iugera, ut;

Non anni domuere decem non mille carinæ.

Quandoque ſubſtantiuũ eſt,quare dicunt, etiam raro mille hominum & mille iugerum, ut pro Milone Cicero; Ante fundũ Clodij quo in fundo propter inſanas illas ſubſtrutiones facile mille hominũ uerſabatur.& in M.Antonium; Inuentus eſt qui L.Antonio mille nummũm ferret expenſum, pro eo quod eſt non χίλιοι,quod genere,numero & caſu cum ſubſtantiuo conueniat,ſed χιλιὰς πολλαὶ χιλιάδες ἀνθρώπων, τέσσαρες χιλιάδες ἐτῶν. Millia uerò numeri multitudinis, nomen eſt ſemper ſubſtantiuum, quare dici aliter non poteſt quam duo millia hominum, tria, quatuor, decem, quinquaginta millia iugerum, centum, trecenta, quingenta,octingenta millia modiorum tritici. Pro P. Quintio; ſeptingenta millia paſſuum decurſa eſſe biduo. Quod ſi minor poſt millia ſequatur numerus habenda eſt ratio minoris, ut; ſex millia quingenti homines. Nec utendum genitiuo eſt quoties uerbum antecedat ſubſtantiuum, ut; Hordei modij fuerunt quingenta millia. Reſpondent his omnibus (ut dixi) Tot, Quot, & Totidem.

Illud

Illud ſexcenti, capiunt auctores numeri loco infiniti, ut in Phormione Terentius;

Sexcentas proinde potius ſcribito iam mihi dicas.

& M.Tullius; à Pompeij procuratoribus ſexcẽtis premi cœptus eſt: quæ ſunt exempla ubique nota omnibus.

Ex his aduerbia ducuntur omnium numerorum, ſemel, bis, ter, quater, quinquies, ſexies, ſepties, octies, nouies, decies. Ita etiam duodecies quatuordecies, quindecies, ſexdecies, deciesſepties, decies octies, uel duodeuities, deciesnouies, uel undeuities. Reliqua uerò, uities quadragies, quinquagies, ſexagies, ſeptuagies, octogies, nonagies, centies. Similiter ducenties, quingenties, millies, bis millies uſq; ad nouies & decies millies. His reſpondẽt illa duo Toties & quoties, quæ non indigent exemplorum. Ducuntur etiam ex his quæ ordinem ſignificant, primus, ſecundus, tertius, quartus, quintus, ſextus, ſeptimus, octauus, nonus, decimus. Poſt hæc undecimus, duodecimus, decimus tertius, decimus quartus, decimus quintus, decimus ſextus, decimus ſeptimus, decimus octauus, decimus nonus, uigeſimus. Deinde uerò trigeſimus, quadrageſimus, quinquageſimus, ſexageſimus, ſeptuageſimus, octogeſimus, nonageſimus, centeſimus: ducenteſimus, quingenteſimus, milleſimus. Hinc centeſimæ vſuræ dicuntur uel quinquageſimæ uel binæ, uel ternæ, centeſimæ, uel quaternæ. His nominibus retrorſum quoq; numerando utimur, ut Orator poſt reditum in oratione ad Quirites, C.Marius tertius ante me conſularis. Ergo & quintus & ſeptimus, & decimus, & quinquageſimus, & centeſimus præpoſtera uia numerantibus dici etiam licebit. Hoc ipſum in aduerbio Iterum, diſerti homines conſueuere, ut pro lege Manilia; Quùm tantã multitudinẽ, cũ tanto ſtudio uideamus quantum non iterum pro eodẽ homine præficiendo uidimus. Horum loco ponunt ſæpe auctores illa prima & ſeptem pro ſeptimo, nouem pro nono, decem pro decimo, quadraginta pro quadrageſimo dicere conſueuerunt, ut; Septẽ annis poſtquam conſul fuiſſet. Atque hanc ille egit orationem ſeptem & decẽ annis poſt alterum conſulatũ. Nouẽ annis poſt meum conſulatum, quùm conſul iterum me conſule creatus eſſet. Exempla ſunt hæc Ciceronis in Catone Maiore; Immo etiam utranque miſcere formam conſueuit, ut; Plato uno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt. Nec octogeſimo enim primo, nec uno & octoginta dixit quod ratio poſtulare uidebatur. Varro etiam ita dixit, pro uigeſimo, uiginti. Catuli (inquit) diebus uiginti uidere incipiũt.

Contra etiam, pro tres & quinq; tertium & quintum, quemadmodum de Neſtore eodem libro ſcripſit. Tertiam. n. (inquit) iam ætatem hominum uiuebat. Obſeruatũ eſt antequam aſcendatur ad centum ſi inter duos numeros coniũctio intercedat, excurrẽtẽ numerũ quadrato præponi oportere, quod ſuperioribus ex quibus iam dixi exemplis cognoſci potuit, ut; Vno & octogeſimo anno ſcribẽs mortuus eſt. Sine coniunctionibus autem ſi loquamur, eũ ordinem qui naturalis eſt ſequi debemus, ut; Quadragintaſeptẽ annos uixit. Sexaginta quinq; ſeſtertijs contentus fuit. Idem fieri in numeris ultra centũ conueniet, ut; Centum & ſeptem denarios accepit. Centum quinquaginta vrbibus imperabat: id quod fit etiam ad mille quùm peruentum eſt, ut; Mille quingentos homines armatos habuit ſecũ. Sin plura ſint millia ita loquemur ut infra centũ admonui loquendum eſſe, ut; Quatuor & uiginti millibus hominum præfuit. Si tamẽ à decem & ſeptem ad viginti aſcendatur, maiores numeros præponere debebimus, ut decẽ & ſeptem, ubi tamen ſeptemdecim quoque dicere licebit, hinc decem & octo, decem & nouẽ. Rurſus autem (ut apparuit iam ſuprà) minores prçcedunt in his undecim, duodecim tredecim, quatuordecim, quindecim ſedecim. Græci autem à minimis quibuſque ad maximos aſcendunt numeros, ut in ſexto libro Thucydides καὶ καμαρῖνα τὸ πρῶτον ὑπὸ συρακουσίων ᾠκίσθη ἔτεσιν ἐγγύτατα πέντε καὶ τριάκοντα καὶ ἑκατὸν μετὰ συρακουσίων κτίσιν &. Herodotus in ſecundo; ὅσον δὲ ἀπὸ θαλάσσης μέχρι θηβαίων μεσογαίαν ἐστὶ σημανέω; στάδιοι γάρ εἰσι εἴκοσι, καὶ ἑκατὸν, καὶ ἑξακισχίλιοι. His unũ reſpondet relatiuum Quotus. Nec audiendi ſunt qui Totus etiam adiecere. In illo autem Quotus, rectè uidendũ quid auctorũ uſus poſtulet, nec audeas ita dicere ſedeo ultimus omnium, quotus nemo æqualium meorum niſi grauem habeas auctorem. Maior quidẽ Cato ſic nos loqui docuit, Impera, ſuouitaurilia circum agi cũ Diuis volentibus, quodque bene eueniat; Mando tibi Maui ut illace ſuouitaurilia, fundum agrum, terramque meam quota ex parte, ſiue circumagi, ſiue circumferenda cenſeas, uti cures luſtrare. Nõ enim referendi, ſed interrogandi, uel dubitandi vim habet in communi uſu auctorum, ut;

Hora quota eſt?

Solitum ſe rogari ſcribit Horatius à Mecçnate id quod nec Cicero quidem refugit interdum apud quem illud eſt frequentiſsimũ; Quotus. n. quiſq; eſt qui hanc in republica ſectam ſequatur? Nõ uererer tamen ego, illud Q. Cornificij imitari; Nequando obturbatione or-

dinis

dinis impediamur quo ſecius quoto quoq; loco libebit ea quæ man data locis erunt edere & proferre poſsimus. Immo adeo diſplicere mihi aut cuiquã non debet genus illud quũ rogamus quota pars ar genti ſit in auro uel auri in ære Corinthio, uel quota pars aceti, ſulfuris, hellebori aliarumue rerum ſit in medicamento. Differt hic modus ab illo Horatiano modo

Tu quotus eſſe uelis reſcribe

ideſt quot eſſe vultis conuiuæ: &;

Scire uelim chartis prætium quotus arroget annus

Pro Quot inuenimus dictum, Quoteni: hinc ad Atticũ Cicero dixit; Neſcio quotenorum iugerum. Vſitatiora tamen exempla ſunt illa; Quot capita, tot ſententiæ. Quot homines tot cauſæ. Totidẽ habuit Craſſus talenta quot ego trientes. Ducuntur & illa quæ diuiſionem in numeros æquales notant, ſinguli, bini, terni, quaterni, quini, ſeni, ſepteni, octoni, noueni, deni. Sequuntur hæc, undeni, duodeni, ternideni, quaternideni, quinideni, uigeni. Preterea quadrageni, quinquageni, ſexageni, ſeptuageni, octogeni, nonageni, centeni. Hinc ducenteni, quingenteni, milleni, ut; Duodena deſcribit in ſingulos homines iugera. Vnicuiq; ueſtrum ubi conſiſtat bini pedes aſsignantur. Sumpta hæc à M. Tullio ſunt exempla. Cæſar etiam de bello ciuili; Dum locus communis pugnandi daretur, æquo animo ſingulas binis nauibus obijciebant. Pulcherrimè igitur hæc & neceſſario ponimus in diſtributiõe rerũ, uel perſonarũ, quorũ loco ſubobſcurè græci primis illis utuntur, duo, tres, quatuor, decẽ, uiginti, quinquaginta, centũ, mille, ut quarto libro Thucydides, ἡ γὰρ νῆσος ἡ σφακτηρία καλουμένη, τόν τε λιμένα παρατείνουσα, καὶ ἐγγὺς ἐπικειμένη ἐχυρὸν ποιεῖ, καὶ τοὺς ἔσπλους στένους, τῇ μὲν δυεῖν νεοῖν διάπλουν, κατὰ τὸ τείχισμα τῶν ἀθηναίων, καὶ τὴν πύλον; τῇ δὲ πρὸς τὴν ἄλλην ἤπειρον ὀκτὼ, ἢ ἐννέα. Damus hæc adiectiua hic ẽt hominibus quæ numero tm̃ multitudinis declinantur. Idẽ Cæſar de bello ciuili; Adeo ut una caſtra iã ex binis facta uiderẽtur. Itẽ unas, binas, ternas, uel quinas dicimus literas, unas binas uel ternas nuptias. Accepit ergo multitudinis numerũ, unus una vnũ vt cum huiuſmodi nominibus accõmodari poſsit. Nõ.n. ſingulas à te accepi literas dicẽdũ, ſed unas, & quẽadmodũ bina uel terna caſtra, ſic ẽt una caſtra poſita, vnos aut binos ludos eſſe factos, quaternas centeſimas ſolutas. Adhibentur hęc ad numeros ſupra nõgẽta millia, ut decies cẽtena millia, uities, quadragies, octogies, nonagies, centies cẽtena millia. Vities cap: d: poſſeſsionibus, quadragies redimere ſe ab hoſtibus, ſexagies uẽdere ſuas facultates. *Terni & trini.*

X 4 Vbi

Vbi terni ſunt poſſunt eſſe trini. Nam trina, etiam caſtra idem Cæſar, & literas trinas M. Tullius, dixit cuius rei plurima ſunt exẽpla auctorum. Ducuntur ab his etiam illa binarius, ternarius, quaternarius, quinarius, ſenarius, ſeptenarius, octonarius, nouenarius, denarius. Conſequuntur hæc deinceps quinquagenarius, centenarius, millenarius. Hinc ternarios ſcrobes, aut quarternarios, hinc ſenarios, ſeptenarios, aut octonarios uerſus, hinc denarios nummos dixerunt quod denos aſſes, denoſue æris ualerent. Hinc ſexagenarios, octogenarios, centenarios homines etiam ac lapides. Ab his differunt, primarius, ſecundarius & quæ ſunt huius formæ nomina, quorum ſe ubique offerunt exempla, & primarium uirum, primariam mulierem, & primario loco eſſe aliquem dicimus. Secundarium uerò & ſecundum, alterum ponunt pro altero: quapropter ſecundaria res quæpiam, aut homo ſecundarius qui ſecundi eſt loci dicitur, & quod ſecundarium uinum aut caſeum nominare poſſumus, uel ſecundarium panem, faciunt boni interdum auctores, ut ſecundum hunc uocent quemadmodum Horatius;

Paſti ſiliquis & pane ſecundo

Hinc tertiarium, quartarium & ſaltem ex analogia quintarium, & vſitatè ac propriè, ſextarium dicunt uel nominibus ijs quæ à grammaticis uocantur adiectiua, tertiarios, quartarios, ſextarios, & alia notione tertianarios & quartanarios. Nec idem ſunt cum his primanus, ſecũdanus, tertianus, quartanus, quintanus, ſextanus, ſeptimanus, decimanus, decumanuſue: nec perſequar cætera, ex ijs quæ poſui primis, nata, bimus, trimus, quadrimus, uel bimeſtris, trimeſtris, quadrimeſtris: & quanquam uix utamur biennis, triennis, quadriennis, uſitatè ac neceſſariò tamen, biennium, triennium, quadriennium, quinquennium, uſque ad nouennium, ac decenniũ dicimus: nec admonendum erat locari inter aduerbia poſſe etiam quæ ſunt illiuſmodi, bifariam, trifariam, quadrifariam, multifariam & quo non mali prorſus auctores utuntur, plurifariam. Ducuntur & illa, ſimplex duplex quadruplex, ſeſcuplex, item alia ſimplum duplum triplum quadruplum quincuplum, ſexcuplum, ſeptuplum, octuplum nonuplum decuplum & centuplum notæ omnia ſignificationis: neque tamen uerum eſt habere hæc pro relatiuis quotuplex & quotuplum. Aut omnino eius rei ualde relictus, aut rariſsimus eſt uſus, nec is quẽ totò imitere. Cætera aũt binarius, ternarius, duplũ, & duplex, quadruplũ & quadruplex, quotuplũ & quotuplex,

tuplex, itemq; biennis, triennis, quadriennis, quinquennis, ſexennis, ſeptennis; uel bimus, trimus, quadrimus, ratione optima analogiæ nituntur & quædam ex his M. Varronis, & Plauti etiam auctoritate & Catonis. Hic numerant etiam Cuiâs. Nam reſpondent huic Noſtrâs & Veſtrâs: reſpondent etiam patriæ, nationum, aut ſectarum nomina, ut; Cuiates illi ſunt? Vtrum Carthaginenſes an Siracuſani, Itali an Galli homines? Vritani an Brunduſini ciues? Stoici an Peripatetici philoſophi. Pertinet hoc poſtremum ad relatiua, ſuperiora autem (ut à principio iam dixi) ad antecedentia. Quantulum eſt hoc, diſtingui certè admouêrique oportebat. In hunc locum addunt Cuius, Cuia, Cuium, ut;

Cuium pecus? an Melibœi?
Cuium pueri appoſuiſti?

Cicero in Verrem; Apronius certiorem facit iſtum cuia res erat. Nec ignorare quenquam arbitror huius eſſe loci etiam, Tàm & Quam, & ſuperiora quæ dicebam Tantum & Quantum: præterea Vnus & Alter & Cæteri, & Reliqui Tantum, & Alterum tantum, & quicquid denique rem aliquam reſpicit antecedentem. M. Tullius in Bruto; ut neceſſe ſit partem pedis, aut æqualem eſſe alteri parti, aut altero tanto, aut ſeſqui eſſe maiorem. Nam & alterum tantum, & altera tanta dicimus, quæ exempla ſunt etiam græcorum, ut prima in Philippica Demoſthenes δίκα μὲν ναυσὶ ταχείαις, τετταράκοντα τάλαντα, εἴκοσιν οἷς τὴν ναῦν μνᾶν τοῦ μηνὸς ἑκάστου, στρατιώτας δισχιλίους τοσαῦτα ἕτερα. Quare nos etiam, bis tantum, uel tria tanta, quinque uel decem tanta, ad ſexcenta, uel mille tanta poſſumus dicere. Neceſſariò diſcrepat relatiuum pronomen aliquando ab antecedentibus, tum genere, tum numero, tum utroque interdum ſimul, ut; Mandatum eſt Africano imperium quæ una fuit ſalus reipublicæ. Seditiones erant illæ quam ſolent improbi propugnationem libertatis nominare. Diſcedebant ueterani, quod ſolum erat robur exercitus. Huiuſmodi in orationibus poſt relatiuum ſequitur uerbum Eſſe, Vocare, Dicere, Appellare, Nominare, Putare, Exiſtimare, etiam Dare: nec ferè multum ab his diſſidentia: deinde ſubiungitur nomen, quæ ſolet interpretatio eſſe quædam antecedentis. Illud ergo nomen accidit ſæpius, ut non eodem quo antecedens genere ſit aut numero. Quamobrem ſimul coire, quin

Alterũ tantum & altera tanta.

quin (ut dicebam) inter ſe diſcrepent non poſſunt. Vel potes hoc ipſum ita breuius intelligere. Quoties poſt relatiuum aliud ſequitur nomen, alterius numeri aut generis quàm antecedens relatiuum, neceſſe eſt cum alterutro pugnare. Eſto enim illud Ciceronis exemplum; Iſque animus datur ſempiternis ignibus quæ ſidera, & ſtellas uocatis. Apparet hic relatiuum, neceſſario, ab antecedenti, uel conſequenti diſcordare.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. IX.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

PARTES orationis quæ finito certoque numero continentur accuratius monet eſſe perdiſcendas. Toto hoc libro nihil aliud quam de præpoſitionibus tractat. De quarundam ex ijs recondita ſententia atq; uſu tantum ex optimis auctoribus & probatiſsima ueterum loquendi conſuetudine diſſerit.

PROXIMO ſuperiore libro ut potuimus, utque ipſa res tulit, pronomina, & illorum, ex omni antiquitate uſum oſtendere conati ſumus. Nunc uenio ad præpoſitiones, quarum non puto breuior explicatio eſſe poterit. Etſi enim difficiles quæſtiones haud ualde multas habeant ſubtiles tamen ac uarias habēt loquendi formas, quæ ipſa tenuitate fallere parum exercitatos poſſunt. Requirit enim tota hæc obſeruatio latinitatis, accuratiſsimam diligentiam, & ſtudium eiuſmodi rerum, quæ minus ſtudioſis hominibus, nullæ prorſus uidentur. Nobis uerò & ijs qui perfectæ ſcientiam latinitatis aſſequi, uel adumbrare cupiunt, uerba omnia quæſita, cognita, & notata eſſe debebunt. Exactiſsima enim diligentia utendum eſt ad ea ſubtiliter cognoſcenda quæ pertinent ad notiones, diſcrimina, uſum, collocationeſq; uerborum. Ac neſcio equidem cur grammatici præpoſitiones & reliquas treis partes orationis indeclinabiles putauerint ſibi tractandas eſſe minus copioſe quam cæteras, quidam uerò nomina dumtaxat illarū nuda, ſine præceptis aut ullis de-

nique

niqueauctorum exemplis tradiderint. Quum de aduerbijs enim, & coniunctionibus eſſent plurima, quæ ſummè erat neceſſarium, plenius explicare, tum de præpoſitionibus etiam, deq; illarum uſu nō minus multa uideri ijs grauiſsima debuiſſent. Accedit nanq; illud præterea quod ex eo genere uerborum præpoſitio eſt, ut cognoſcere totam neceſſe ſit nec partem illius negligere poſsis ullam. Sunt enim partes orationis quædam infinitæ, ut nomen, uerbum, participium, aduerbium. Addo etiam interiectiones, quæ non ſolum propter multitudinem, ſed ortum quoq; & interitum certo in numero non habemus. Pronomina uerò præpoſitiones, coniunctionesque plures fieri paucioresue non licet. Qui enim his uel addatur aliquid, uel detrahatur? Nam coniunctiones eædem ſemper fuere: præpoſitiones per naturam uix augeri uel minui, pronomina autem ne uix quidem poſſunt. Quæ ſunt huiuſmodi, eorum nulla pars eſt, quamuis minima, quæ teneri perfectiſsimè non debeat. Finge enim aliquod unum ex pronominibus, uel ignorari omnino, uel falſam de eo ſcientiam haberi, quis non uideat, quando nihil penè ſine his loqui poſſumus, illum errorem ad paucisſima non pertinere? Quoniam ergo ſunt præpoſitiones ex his quæ per naturam exiguo numero continentur, eas crebrius quàm cætera uerba, omni in parte ſermonis uerſari neceſſe eſt, quarum inſolentia totam undiq; orationem reddere uitioſam poteſt niſi diligentiſsimè cognoſcantur. Itaq; non pauca hæc noſtra tantum, ſed ex libris uſuue auctorum alia obſeruari uelim, & fortaſſe meliora. Principio igitur, ex ijs partibus orationis, quæ non declinantur præpoſitio ſingulis tantum caſibus, ut aduerbium ſingulis uerbis inſeruit. Nam coniunctio quæ tertia eſt, plures omnino inter ſe partes in oratione coniungit. Interiectio ad motus animorum ſignificandos nata eſt. Præpoſitio partium eſt illarum quæ caſibus declinantur, nominis, pronominis, participij: aduerbium uerò nominis etiam adiectiui, ut nimium celer, participij, ut raro metuens hoſtem, præpoſitionis, ut longe contra Italiam, aduerbij ipſius, ut parum ſapienter: ſed quia in uerbis maximè uerſatur ab ijs nomen accepit potius quam alijs à partibus orationis, ut aduerbium diceretur, ſed redeo ad ea quę propriè de præpoſitionibus dicenda ſunt. Præpoſitio eſt pars orationis indeclinabilis, quæ præpoſita alijs partibus orationis, ſignificationem earum aut mutat, aut implet, aut minuit. Dicta eſt à præponendo quod nomini, uerbo, participio, cæteriſq; partibus præpoſita, aut pars ipſa efficitur uerbi, ut proferre, producere, adamare, conuenire,

Partiū orationis quędā finitæ ſunt, quædam infinitæ.

Præpoſitio.

uenire, aut ab ijs ſeparata ſolis præponitur declinabilibus, & caſum regit, ut ante domum, circa templum, pro roſtris, pro tribunali. Quædam accuſatiuo dantur, quædam ablatiuo, quædam utriq;. Accuſatino quidem, Ad, Apud, Ante, Aduerſum, uel Aduerſus, Cis, Citra, Circum, Circa, Contra, Erga, Extra, Inter, Intra, Infra, Iuxta, Ob, Pone, Per, Prope, Secundum, Poſt, Trans, Vltra, Præter, Propter, Supra, Circiter, Vſq;, Secus, Verſus, Penes. Singularum exempla à bonis auctoribus, & à M. Tullio potiſsimum proferenda ſunt. Ad, ſignificationem habet motus, ad res, ad locum, ad tempus, ad perſonas. Vel hoc differt à præpoſitione In, quod nemo ignorat, non idem eſſe ad mare, & in mare, ad flumen, & in flumen, ad ignem, & in ignem, & ad domum & in domum. Dicimus ergo redire ad ſtudia, uenire ad urbem, differre ad tempus idoneum, reuerti ad conſulem, uenire ad arma. Venire ad urbem, uel eſſe ad urbem, dicebantur magiſtratus à prouincijs quum redirent, nondum in urbem ingreſsi, uel nondum in prouincias profecti. Dicimus etiam; Quod ad tempus, exiſtimationis partæ, fructus reſeruabitur? Item ad Apollinis uenire, ad Opis, ad Veſtæ, ad Telluris, ad Dianæ, quomodo Horatius;

Eſſe ad urbē.

Ad præpoſitionis exempla.

Ventum erat ad Veſtæ quarta iam parte diei.

& Terentius;

Vbi ad Dianæ ueneris.

Græca loquutio eſt. Illi enim ſic loquuntur, ut Ariſtophanes;

Νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ.

Sæpe etiam ſine motu, ut; Quam ad ſuauitatem nullis egebat corporis uiribus.

Ad omnes introitus homines armatos apponit.

Ad Telluris quidem etiam tuam ſtatuam locaui.

Ad quæ tempora te expectem facies me certiorem.

Teſtis ad iudicem fidem infirmare.

Eſt enim ſæpiſsime pro Apud, ut;

Hic ad ueteres fagos

Videt ad fornicem Fabianum in turba Verrem Occiditur ad balneas Palatinas à cœna Roſcius. Bellum ad Mutinam gerebatur. Præterea ſigna quæ nobis curaſti, ea ſunt ad Caietam expoſita. Diximus ad manum eſſe alicuius, ut; Licinium ſeruum ſibi Gracchus habuit ad manum. Decem fiſci ad ſenatorem relicti. Dionyſius ad me fuit bene mane. Aiebant illum primo ſanè diu multa, ad extremum autem manus dediſſe. Ad multam quoq; noctem dicimus,

& ad multum diem,& ad multam ſenectutem. Ad memoriam poſte ritatis,ad immortalitatem conſecrare,canere ad cytharã uel tibiam, & multum eſſe aliquem in loquendo ad impudentiam. Ad gloriam quoq; dicimus ad pompam ad faſtum ad opinionem. Vt ſcientiam aliudue quærere ad opinionem, ſit gloriam ex ea & opinionem uulgi tantum aucupari. Pro quatenus, de Aruſpicum reſponſis; Mihi exire domo mea ad priuatum dolorem fuit luctuoſum,ad rationem reip. glorioſum. Pro eo quod eſt propter in Antonium; Populari agros non ad ſpem cõſtituendæ rei familiaris,ſed ad præſentem paſtum mendicitatis. Refertur ad numerum, & ad tempus, quemadmodum Circiter, ut ad tertium Idus, ad quartum Nonas. Ita hæc recte dici ſentio, ut non repugnem tamen ijs qui AD quartum Nonas, in ueterum ſcriptis uolũt eſſe potius AD, ideſt ante diem quartum Non. Nam dicimus ſenſũ quo iam dictum eſt, ad uiginti, uel quadraginta dies aliquid expectare: ad quingentos homines obuiam producere. Ad quingentos denarios; Homines ad quindecim (inquit ad Atticum) Curioni nullum ſenatus conſultum facienti aſſenſerunt. Si negationem hanc præponas, Nihil ad me, ad te, ad ſe,ad illum, Nihil ad nos,ad uos, ad illos, nihil ad philoſophos nihil ad iudices,nihil ad ſenatum, perinde erit atq; ſi dicas nihil noſtra,aut illorum intereſt. In comparatione etiam dicimus nihil ad Virgilium,ad copiam Ciceronis,ad ſplẽdorem Cæſaris, ad eloquentiam Platonis,ideſt nihil eſſe eam rem ſi conferas cum Virgilio,Cicerone,Cæſare,Platone, ut; Lælium Decimum uolo quem cognoui uirum bonum & non illiteratum ſed nihil ad Perſium. Terentius etiam de Thaide ad Pamphilam collata dixit; Nihil ad noſtram hanc, qui ſuperat ipſam Thaidem. Sunt illa quoq; ad rem pertinere, ad rem facere,referre ad ſenatum,ad philoſophos, dicere ad populum, ad me recipio ſic fore, dare tabellario literas ad Varronem, regio quæ eſt ad mare, ad Orientem, ad Baleares, ad Oceanum Præterea, ſunt, illud uerbum, pro eo quod Horatius dixit ad Piſones

Nec uerbum uerbo curabis reddere

ut Cicero de finibus; Fabellas latinas ad uerbum de græcis expreſſas non inuiti legunt: ſic ad unum, ideſt, ne uno quidem excepto ut auctor idem in Lælio; De amicitia uerò omnes ad unum idem ſentiunt, & Virgilius;

Iuppiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad unum
Troianos,ſiquid pietas antiqua labores

Reſpicit

Reſpicit humanos de flammam euadere claſsi.

Adhuc, reſpondere ad rogatum, ut pro L. Flacco M. Tullius; Nunquam nobis ad rogatum reſpondent, ſemper accuſatori pluſquam ad rogatum. Illud etiam quod eſt ad uiuum reſecare ut in Lælio; Neq; ad uiuum reſeco, ut ij, qui hoc ſubtilius diſſerunt. Ad tempus, ut in libro de finibus; Itaque ad tempus ad Piſonem omnes. Paulo aliter ad Plancum; Is autem qui appellari uerè poteſt honos, non inuitamentum ad tempus ſed perpetuæ uirtutis eſt præmium. Iacere ad pedes, ut in Verrem; Mihi ad pedes miſera iacuit. Agere uigilias ad ædes ſacras, perſcribere ad Aerarium, facere aliquid ad arbitrium alterius, locum eſſe ampliſsimum ad dicendum, tectos nos eſſe oportere ad alienos, uiuere ad centeſimum annum ætatis, ad græcam conſuetudinem diſputare, ferre ad cœlum. Deniq; uarium habet hæc præpoſitio & elegantiſsimum apud auctores uſum. Apud, pro Ad, niſi quod motum non ſignificet. Cæterum eodẽ in loco dicimus ad me & apud me: ad Cybiſtra & apud Cybiſtra, ad Mutinam & apud Mutinam. Verum Ad, cum uerbis etiam quæ motus expertia ſunt, aliquid tamen affert aliquando ad motum. Illo enim in exemplo; Dionyſius ad me fuit bene mane, ſpatium temporis eſt minus quam ſi dictum eſſet, apud me fuit. Refertur ad locum, ut apud forum, apud macellum, & ad perſonas. Vt apud Craſſum, apud Licinios, apud rhetores, apud philoſophos, apud multas ciuitates, apud maiores auos patreſq; noſtros, apud populum, apud Senatum, apud animum tuum, ideſt coram populo, coram ſenatu & in animo tuo. Ad maiores, hoc eſt maiorum memoria: ſunt illa, Apud Homerum, apud Platonem, apud inferos. Apud me, te, ſe, illum, hoc eſt domi meæ, tuæ, ſuæ, illius, quemadmodum, ad me, ad te, ad ſe, ad illum. Eſt etiam apud me, te, ſe, illum, ſenſu quidem meo, tuo, ſuo, illius, ut; Pluris apud me literæ ſunt, quam exiſtimatio rumoreſq; uulgi. Coniungitur abſentibus etiã perſonis, ut queſtus eſt apud me per literas. Excuſauit ijs apud te literis quod operam tibi ſuam accommodare nõ poſſet. Ante, ad locum refertur, ut ante domum, ante templum, ante ianuam, ut;

Ante urbem in luco falſi Simoentis ad undam. *Ante.*

Ante pedes, ante oculos, ante tribunal. Clodius ante fundum ſuum Miloni inſidias collocauit. Item ad tempus, ut pridie Calendas, tertio Nonas, quinto Idus, quod plenum erat ante calendas, Nonas, atque Idus. Aliquando expreſſa à ueteribus præpoſitio eſt, ut

Cicero

Cicero ad Appium, Decedenti mihi, & iam imperio annuo terminato ante diem III.Non.Sext. quum ad Sidam naui accederem, & mecũ Q.Seruilius eſſet, literæ à meis ſunt redditæ; Dicimus etiam ante diem,ante legitimum tempus, ante uigeſimũ quintum annum, ante me conſulem, ante Catonem cenſorem. Non iungitur propriè cum perſonis. Vt ante me, ante te, ſe, illum: nec recte dicitur ante Prætorem, ante iudices, ante Regem, aut ante Conſules, niſi locum ſignificans ita potius loquare,ante oculos Prætoris,ante oculos iudicum: priora autem rferre oportet ad rationem temporis, ut ante me Prætorem,ante illum Quæſtorem, ante hoſtem iudicatum Antonium, Ante expulſum Catilinam,ante occiſum Clodium, ante exactos Reges,ante Romam conditam. Ergo ad ſignificandum tempus etiam Cicero in diuinatione dixit contra Cæcilium; Dum hic quæ opus eſſent compararet cauſam interea ante eum diceret. Ac ſcio quoſdam auſos eſſe etiam perſonis coniungere,ut ante Imperatorem, pro apud Imperatorem, aut coram Imperatore, quod mihi ætate C.Cæſaris uidetur fuiſſe non ualde uſitatum. Illud me exemplum quoq; Balbi commouet ad Ciceronem, Eum quem ante me diligo uideo in conſulatu quiduis potius eſſe quam conſulem: ideſt magis amo pluris facio quam me ipſum. Vellem eius ætatis alind mihi exemplum ueniret in mentem. Si caſum præpoſitio hæc non habeat,ad uerbumq; referatur aduerbij numero ducenda eſt nõ prę poſitionis, ut:

Ante pererratis amborum finibus exul.

Hic non eſſet finis exemplorum, nec neceſſe eſt rem apertiſsimam, & quæ nullam habet in uerborum cõtextu, dubitationem exemplis probare. Vnum omittere nolui,quodam in loco Ciceronem ante, dixiſſet pro,contrario eius quod eſt ponè aut retro, ut; ſi aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, ſed retro,fugere planè ſe ipſe uideatur. Vſus ergo apparet etiam ante aduerbio, cum ſignificatione motus. *Aduerſum.* Aduerſum, uel aduerſus (utroque enim modo dicitur) trium loco præpoſitionum, utimur,Contra,Erga,Apud. De primo dubitatio nulla eſt, ut aduerſus rempublicam, aduerſus legem, aduerſus hoſtes, aduerſus me,te, ſe, illum, aduerſus Antonium. De ſecundo, ut pietas ac iuſtitia aduerſus Deos, officia aduerſum parentes, aduerſus patriam. Lenem ſe ac liberalem præbere aduerſum amicos, aduerſum hoſpites, familiam, propinquos. De tertio;

Pręſertim aduerſus magiſtrum morum Cicero dixit, &;

Id

Id gratum fuiſſe aduerſum te habeo gratiam

Terentius. De diuinatione primo libro, M. Tullius Exaduerſus dixit pro Aduerſus, eo planè ſenſu qui in Terentij Phormione eſt:

Exaduorſum ei loco

Tonſtrina erat quædam

Sic enim ille ſcribit; Ara enim Aio loquenti, quam ſeptam uidemus, exaduerſus eum locum conſecrata eſt. Cis & Citra idem ſignificant niſi repugnare Ciceroni uolumus. Pro eodem enim uidetur ad Appium ſcripſiſſe; Diœceſes quæ cis Taurum ſunt, Atque in Antonium; Decretum eſt ut exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis eſt Galliæ educeret. Ad Tironem quoque; Is locus eſt citra Leucadem ſtadia cxx: quibus exemplis palam fit has duas præpoſitiones, plurimum ijs nominibus dari uel montium uel fluminum, uel fortaſſe rerum quarundam aliarum, quæ fines, terminosq; ſignificent, ut cis flumen, citra montem, cis Rhenum, cis Taurum, citra Danubium. Circa etiam ſæpe non magni refert diſcernere à circum. Idem enim ſenſus eſt in Verrem; Aiebat multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis quos circa ſe haberet, qui ad Atticum; Nec ſine cauſa, & eos qui circum illum ſunt, omnia poſtulantes & bellum nefarium times: niſi motum & concurſationem eſſe quandam ſecundo in exemplo uelimus eſſe, quorum profectò nihil tale eſt in priore. Et quidem ad motus, uel circuitum, non circa ſed circum eſt accommodata, ut; *Cis, Citra.* *Circa, Circū.*

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros:

& illud in oratione pro Quintio;

Tum Næuius ipſe pueros circum amicos dimittit.

Circa uerò magis idonea eſt ad circunſtantias, uel συμβεβηκότα rerum & negotiorum, & Perſonarum, ut circa ſtudium, circa uoluptates, circa curam ueletudinis. Pro eodem uidetur urbes quæ circum Capuam ſunt, & circa Capuam, niſi circum ad totum agri Capuani ambitum referas. Contra, pro Aduerſus, ut contra uoluntatē meam, contra ſtudium bonorum: contra ſalutem aut fortunas ciuium. Fit ſæpiſsime aduerbium, ut; Iam enim faciam contra atq; in cæteris fieri ſolet. Contra quam deceat, & quam poſsit, hominis eſt imprudentiſsimi. Idem Cicero ad Sulpitium; Nos qui domi ſumus; tibi beati uidemur: at contra nobis, non tu quidem uacuus moleſtijs, ſed præ nobis beatus. *Contra.*

Erga, pro ea quam ſupra diximus, Aduerſus, uel Aduerſum, ut *Erga.*

meus erga te amor: tua erga me uoluntas: erga dignitatem meam, ſtudium tuum: mea erga uos beneuolentia. In Lælio; Eodem modo erga amicum affecti ſimus, quo erga noſmetipſos.

Extra. Extra, ut extra urbem, extra portam, extra culpam.

Extra anni ſolisq; uias:

Extra numerum, extra Italiam, extra iocum, extra coniurationem:

Neq; illi beneuolens,

Neq; notus, neq; congnatus, extra unam aniculam, Quis aderat, Terentius dixit in Phormione, ideſt præter unam aniculam. Sic Cicero quùm ſæpe alibi, tum in epiſtola ad Marium; Extra ducem paucosq; præterea (de Principibus loquor) reliqui, primum in ipſo bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipſam uictoriam horreſcerem. Fit ſæpius aduerbium, ut;

Senſibus & animo quæ extra ſunt percipimus.

Inter. Inter, uenuſtas habet loquutiones, ſumma inter philoſophos contentio eſt. Vide quid interſit inter meam atq; tuam uoluntatem. Sæpius hàc de re diſputatum inter nos eſt. Pueri Cicerones amant inter ſe. In Catilinam; Furtim nonnunquam inter ſe aſpiciebant. Ad Atticum; Vna ſpes ſalutis eſt, iſtorum inter iſtos diſſenſio: ſic etiam ipſorum inter ipſos: & hominum inter homines ſocietas: & amamus nos inter nos. Etiam inter cœnam, inter ſcyphos, inter pocula, inter uinum, inter tot annos, inter manus.

Intra. Intra, oppoſitam habet extra, ut;

Iliacos intra muros peccatur & extra

& à loco ad tempus, resq; alias transfertur, ut intra Europam, intra fines Latij, intra domeſticos parietes, intra paucos dies, intra uiginti annos, intra fortunam ſuam. Intra modum Cicero ad Sulpitium ſcripſit, ut; Quoniam effugi eius offenſionem, qui fortaſſe arbitraretur me hanc, remp. nō putare, ſi perpetuo tacerem, modice hoc faciam, aut etiam intra modum, ut & illius uoluntati, & meis ſtudijs ſeruiam. Ad Papirium auctor idem intra legem dixit, quibus in exemplis intra modum & intra legem, eſt minus etiam quam ratio modeſtiæ, aut ſententia legis permittat. Ita enim habet is locus. Epulamur una non modo non contra legem (ſi ulla nunc lex eſt) ſed etiam intra legem, & quidem aliquanto. Quare nihil eſt quod aduentum noſtrum extimeſcas, non enim multi cibi hoſpitem, accipies, ſed multi ioci. His duobus alijsq; locis quam plurimis adducti ſunt homines quidam ſanè docti ut aliud eſſe dicerent uiginti

ginti diebus & intra uiginti dies, decẽ annis & intra decem annos, ſex menſibus & intra ſex menſes, Calendis & intra Calendas factum eſſe aut fieri aliquid oportere. Aulus quidem Gellius uidetur Sulpitij Apollinaris ſententiam non admodum probare, qui reſponderit intra Calendas eſſe idem quod ipſis Calendis, & errore factum eſſe hominum, ut quod intra Calendas agi oporteat, id interpretentur ex natura uerbi, ante Calendas agendum eſſe. Non laudari autem hanc Apollinaris ab Gellio ſententiam probat quod infra ſcriptum eſt in uerbis. Hæc tunc Apollinaris (inquit) ſcitè acuteq; dicere uiſus eſt. Sed poſtea in libro M. Tullij epiſtolarum ad Seruium Sulpitium ſic dictum eſſe inuenimus, intra modum, ut intra Calendas dicunt, qui dicere citra Calendas uolunt. Equidem nihil ſtatuo adhuc, & quærendum puto diligentius. Illud uideor mihi poſſe affirmare, niſi aliud impediat quin intra Calendas tempus aliquod ante Calendas intelligere poſsimus, uincere exempla quæ iam ſunt allata. Ex duobus alijs prætesea quę eis recitauit exemplis neutrum huic rationi repugnat. Vnum illud fuit tertio ex libro in Verrem. Eſt autem modo locus intra Oceanum iam nullus, neq; tam longinquus neq; tam reconditus quo non per hęc tempora noſtrorum hominum libido iniquitasq; peruaſerit. Alterum ex oratione pro Sextio; Antiochum magnum illum, maiores noſtri magna belli contentione terra mariq; ſuperatum intra montem Taurum regnare iuſſerunt: Aſiam qua illum multauerunt Attalo ut is in ea regnaret, cõdonarunt. Neque enim alia loquendi ratio eſt quum dicimus intra Oceanum quam ſi intra urbem, intra Italiam, intra Europam, intra modum, intra legem dicamus, itaque intra Oceanum dixit tanquam intra Romani imperij aut orbis terrarum terminos dixiſſet. Antiochus uerò ita regnare iuſſus eſt, ut Tauri montis tranſire fines ei non liceret. Nota ſunt enim illa ex fœdere quod ſcriptum Liuius reliquit. Excedito urbibus, agris, uicis, caſtellis, cis Taurum montem, uſq; ad Tanaim amnem, & Valle Tauri uſq; ad iuga quæ in Lycaoniam uergit. Simul autem nec poſt, nec trans, nec ultra Taurum, nec in Tauro, ſed intra montem Taurum iuſſus regnare dicitur, quod flexuoſi à natura montis ambitus regionesq; intra montem nos intelligere oportebat. Deniq; eò reuertar ut dicam, uideri mihi quidem non nihil afferre momenti hæc exempla ut intra Calendas quum dicitur, dies uel plures, uel unus eiam ante Calendas intelligatur. Eſt enim intra Calendas & intra uiginti dies pecuniam ſoluere, multo aliud quam uiginti dies ægrotare, quum ſecun-

Viginti diebus & intra uiginti dies Calendis & intra Calendas.

do in exemplo contra quam in priore perpetui continuatio temporis demonſtretur, & liceat etiam dicere intra uiginti dies aliquē eſſe mortuum, & intra paucos dies Clodium fuiſſe occiſum. *Infra.* Infra prępoſitioni, contra eſt ſupra & altitudinum interualla ambæ ſignificant quemadmodum citra, & ultra longitudinis, ut infra cœlum. Infra lunam. Infra collum. Infra pectus. Infra ſe putare omnia quæ accidunt in uita. Supra me Atticus accūmbebat, infra Verrius. Infra Eutrapelum Cyteris accubuit, M. Tullius ad Papirium ſcripſit. Ipſam quoq; aduerbij loco frequenter inuenies poſitam, ut; Earum literarum exemplum infra ſcripſi. *Iuxta.* Iuxta, & præpoſitio eſt, ut iuxta littus, iuxta æquora (ut Virgilius dixit) & aduerbium ut, Poſt reditum in Senatu Cicero; P. Seſtius me quum omnibus rebus quibus tribunus plebis potuit, defendit tum reliquis officijs, iuxta ac ſi meus frater eſſet ſuſtentauit.

Ob. Ob, propter, ut nullam ob cauſam uel ob crimen tuum. Ob ſcelera tua inuiſus omnibus fuiſti. Cicero; Dij immortales etiam ſi pœnas à Pop. Rom. ob aliquod delictum expetiuerunt, & quæ ſequuntur. Etiam pro ante, ut ob oculos aliquid eſſe poſitū: ob os aliquid uerſari, & cum paucißimis huiuſmodi nominibus. Nota ſunt hæc uel pueris.

Pone. Pone contrariam habet Ante, & præpoſitio eſt, ut Liuius. Pone caſtra utriq; pabulatum & lignatum ibant: ſæpius aduerbium, ut Cicero; Ante, pone, ad dexteram, ad læuam, ſurſum, deorſum. Virgilius;

Pone ſubit coniux ferimur per opaca locorum.

Per. Per, tantum præpoſitio eſt multas ad loquendi rationes accommodata. Rebus enim adiungitur, ut per fraudem, per iniuriam, per uim, per ſummum ſcelus, per inuidiam. Item illa, per ſpeciem, per cauſam, per ſimulationem: quorum trium loco Dicis cauſa M. Tullius interdum ſcribit, ut in Verrem libro de ſignis; Attamen ut poßit ſe dicere ueniſſe, Artagatho imperat, ut aliquid illis quorum argentum fuerat, nummorum, dicis cauſa daret. Dicimus adhuc, per ſomnium uidere, per feneſtras, per umbram, ut Virgilius;

Vt primum iuxta ſtetit agnouitq; per umbram

& alio ſenſu, eodem in libro ſexto;

Admonet & triſti teſtatur uoce per umbras:

Sunt etiam per iocum dicere, per ætatem, aut per ualetudinem, aut per ſenectutem, aut per anni tempus, non poſſe. Per auaritiam,

per

per latrocinium, per malitiam aliquid moliri, perſpicere per inuolucra, per tranſennam, per integmenta, per præſtigia, palam & per imperium compilare ciuitates, per gratiam petere, aut per amicitiam, per leges aut per naturam nefas eſſe, aut per furorem uaticinari. Dicimus per literas, uel per epiſtolam aliquid nunciare, uel petere, uel ſe purgare, uel gratias agere, uel gratulari, uel permittere, uel polliceri, uel concedere, uel queri, uel monere, uel minitari, uel negare, uel blandiri, uel huiuſmodi plurima. Datur etiam tempori, ut ad Marium; Binæ uenationes per dies quindecim: ſic per hyemẽ, per æſtatem, per ſeptem annos, per multa ſæcula, per multas hominum ætates. Adiũgitur perſonis, ut facere aliquid per ſe, per alium, per ſeruos, per amicos, clientesq; ſuos, ut; Per ſe ipſum honores eſt adeptus. Per te ipſum rem tantam confeciſti. Per me ipſum, à nemineq; adiutus periculo ſum liberatus. Et illo modo ut ad Volumniũ Cicero; Quæ ſunt à me in ſecundo libro de Oratore per Antonij perſonam diſputata de ridiculis. Alia ſentẽtia eſt ubi ita loquimur; Per te nunquam ſtetit quo minus totum conficeretur negotium. Per me non ſtabit, quin diſſoluantur nuptiæ, ut in Andria Terentius;

Si poterit fieri, ut ne pater per me ſtetiſſe credat
Quominus hæ fierent nuptiæ, uolo.

Sunt alia huiuſmodi exempla. Per me quidem ruas in quã uelisſcunq; turpitudinem. Per me, uel nomen extinguatur familiæ tuæ. Eſt quoque uel iurandi, ut;

Fata per Aeneæ iuro:

uel deprecandi, ut; Hæc imitamini per Deos immortales qui gloriã quæritis. Næuium obſecrauit per fratris mortui cinerem, per nomen propinquitatis per ipſius coniugem & liberos. Per tuam nobilitatem, per familiam, per ſtatuas tuas eiuſmodi in obſtinationibus inter præpoſitionem & caſum accuſandi quoties id ratio fert, unitatis perſonam pronominis primam locamus. Et ſi.n. ita etiam loquamur ut iam dixi non tamen caſu accidit ſed publico ex uſu latinitatis ut Plautus illo modo in Rudente loqueretur,

Per ego, hæc genua te obteſtor ſenex

Accommodatur ad ſignificationes locorum, Per urbes, per campũ, per agros, per uiam, per domos, per uillam Sulpitij, Cicero ad Quintum fratrem; Præſertim quum tu neque per Locuſtæ, neq; per Varronis uelles ducere. Per locuſtæ, & Varronis ea ratione dixit qua de ſacris ædibus ante dictum eſt, ad Veſtæ, ad Dianæ, ad Telluris,

ad Apollinis. Vt.n.illic ædium ſacrarum, ita hic uillarum nomina diſsimulata ſunt. Illa etiam uenuſtatis habent plurimum; In bona fortunasq; locupletum, per cauſam inopum, atq; imperatorum repentinos impetus comparare. Aliter auctor idem; Per mihi, per inquam gratum feceris. Prope, contrarium habet aduerbium procul, atq; ad perſonas pertinet, ut propę me, propę Antonium; item ad res inanimes, ut prope domum, prope Tyberim, propę amnem, prope urbem, prope mœnia. Sæpe loco eſt aduerbij, ut uirtus prope diuina, ſapientia prope ſingularis, hominem iniurijs uexatum, prope dixerim occidit. Erat hic prope dixerim extinctus. Duobus poſtremis in exemplis, Penè uſitatius eſt quam Prope. Ponitur cum uerbis pertinentibus uel ad motum ut prope accedere, uel ad locorum interualla, ut prope à Sicilia bellum geri, prope à domo detineri, quemadmodum propius abeſſe, ut primo libro ad Atticum; Illam manum tu mihi cura ut præſtes, quoniam propius abes, Pompeij noſtri amici. Occurrunt ſimilia his ubiq; exempla. Nec illa quidē ſunt ad inueniendum rara, ut in Verrem; Nec quicquam propius eſt factum quam ut uiuus combureretur. Atq; ut propediem dicimus, ita etiam prope Calendas dictum aliquando uidemus. Secundum, pro Poſt, ut; Tua ratio eſt ut ſecundum binos ludos mihi reſpondere incipias. Secūdum Deos homines hominibus maxime utiles eſſe poſſunt. Secundum fratrem, aut ſecundum Deos immortales diligere aliquem. De abſente, ſecundum præſentem iudicare. Secundū quietem mihi ſum uiſus uidere. Secundum te iudicatum eſt, aut ſecundum cauſam tuam. Secundum tabulas teſtamēti adire hæreditatem. Secundum naturam uiuere. Secundum te nihil eſt mihi amicius ſolitudinę. Secundum Platonem Ariſtoteles maxime in philoſophia excelluit. Secundum ſtudia literarum, non habeo præterea in quo acquieſcam. Vultus ſecundum uocem plurimum poteſt. Meæ literæ lectæ ſunt ſecundum tuas. Eſt & loci, ut ſecundum littus, ſecundum mare, ſecundum flumina, ſecundum uias. Eſt enim aliquando pro Iuxta, ut;

Prope.

Secundum.

Paſcuntur uerò ſyluas, & plena ſecundum
Flumina

Poſt, μετὰ, ut poſt conſulatum Metelli, poſt Romam conditam, poſt occiſum Carbonem, poſt Carthaginem deletam. Vicem ſuſtinet ſępius aduerbij, ut;

Reſpexit tamen & longo poſt tempore uenit.

Paucis poſt diebus quam Pompeius diſceſsit. Vnus poſt hominum

memoriam Cæſar fortiſsimus imperator. Nihil poſt natos homines factum clementius. Trans, contrariam habet Cis aut Citra, ut trans Alpes, trans fluuium, trans ripam, trans Tyberim, atq; ad locum ferè pertinet. Vt autem iam dixi contrariam habet Citra huiuſmodi in exemplis *Trans.*

-Sunt certi deniq; fines,

Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum.

Seruat hæc præpoſitio ſæpius accuſatiuum, uerbis etiam coniuncta, ut tranſmittere, tranſportare, traijcere, tranſire. Dicimus.n.tranſire terras, mare, montes. Quare eſt apud ueteres traijcere exercitum Iſaram, & traijcere copias Iberum: quibus exemplis auctores elegantiſsimi admonent dicere nos poſſe etiam traijcere legiones Danubium.

Vltra, & præpoſitio eſt, ut ultra fretum, ultra Capuam, ultra pœnam, ultra ſanguinem: & aduerbium, ut ultra quam ferre poſsis laborare: & ultra progredi quum eo perueneris non licebit. Ponitur pro ſupra ut Cicero; Oratio ſcripta elegantiſsimè, ut nihil poſsit ultra. Fuit olim pro Vltra, Vls, & Vltis. Præter, præpoſitio ſemper eſt, ut Nemo præter te hoc auſus eſſet. Hanc ponimus etiam non antecedente nominatiuo, ut ad Atticum Cicero; Hoc præter me nemini uidetur. Sunt illa etiam exempla; Præter ſententiam, præterq; opinionem accidit. Vim habet etiam ſuperlatiui, ut; *Vltra.* *Vls & Vltis.* *Præter.*

Qui erat forma præter cæteras.

Dicimus præter ſpem aliquid eueniſſe, præter conſuetudinem, præter fatum, præter modum, præter naturam. Ponitur loco eius interdum, quæ eſt Ante, ut de re frumentaria in Verrem; Serui præter oculos Lollij, hæc omnia ferebant. Simile eſt illud in ſticho Plauti exemplum,

Auſpicio huc hodie ego optumo exiui foras

Muſtela murem mihi abſtulit præter pedes.

Vulgaria ſunt illa; Lælium præter laudem ſapientiæ inter literatiſsimos habitum fuiſſe.

Propter, ad rerum cauſam pertinet, ut propter uirtutes, propter ingenium tuum, plurimi te ſemper feci. Adhibetur ad ea quæ aiunt philoſophi propter ſe eſſe expetenda in comparatione eorum quæ propter aliud: exempla paſsim occurrunt. Traducitur ad rerum, locorum, perſonarum, aut corporum inter ſe propinquitates, ut Terentius; *Propter.*

Nimium iſthinc abiſti, ſed propter hunc aſsiſte.

Sic propter iudicem, aut propter Antonium ſedere: propter Auentinum collem, propter Argiletum, propter muros urbis, propter fontem, propter ſtatuam Platonis, ut M. Tullius in Verrem; Quid ergo illæ ſibi ſtatuæ equeſtres inauratę uolunt, quæ Popu. Romani oculos, animosq; maximè offendunt, propter ædem Vulcani? Huic ſi anteponas Præter, una præpoſitio fiet, præterpropter, illa de qua ſcribit A. Gellius quæſitum eſſe quodam tempore à doctis hominibus, apud Cornelium Frontonem: cuius eſt uſus huiuſmodi; Preterpropter aduerſam fortunam doleo: quo ſignificamus alia cauſa nos dolere quam fortunę. Sic; Præterpropter uoluptatem poetas legere. Apud illum quē dixi Frontonem ex Ennij Iphigenia aurea Frontoni ſententia recitata eſt;

Incertè erat animus, præterpropter uitam uiuitur

Fit caſu detracto aduerbium, ut M. Cato de Re ruſtica; Per uer ſerito in loco ubi terra tenerrima erit quam pullam uocāt ubi aqua propter ſiet. Supra, non id ſignificat modo, quod à loco ſuperiore, alteq; imminet, ut; *Supra.*

Olli Cœruleus ſupra caput aſtitit imber.

Verum id etiam ſæpe quod rem contingit, cui eſt impoſitum, ut illud eſt Ciceronis exemplum; Homines ſub terra habitātes qui nunquam exiſſent ſupra terram. Ergo, ſupra Lunam eſt Mercurius dicere poſſumus, & ſupra terram ſunt homines, cæteræq; animantes omnes. Supra humanitatem, ſupra humanum ingenium, ſupra ætatem, ſupra hominem, ſupra mortalitatem, eſt ultra quam humanitas, ingenium, ætas, natura humana, mortalitasq; ferre poſsit. A Sole exoriente, ſupra Mæotis paludes, pro eo M. Tullius dixit, quo Virgilius

Super Garamantas & Indos
Proferet imperium.

Supra dictum eſt, ſupra commemoraui, ſupra mentionem fecimus, hoc eſt ſuperiore parte orationis, aut ſermonis, dixi, commemoraui, mentionemque fecimus. Illud etiam quod iam dixi Virgilij exemplum;

Supra caput aſtitit imber

Alio ſenſu capere ſolemus quùm uidelicet perniciosa de aliqua re loquimur imminente, ut; Ecce ſupra caput homo leuis ac ſordidus, ſed tamen equeſtri inceſſu, catienus. Circiter, uel ad tempus refertur, ut Circiter Idus Quintilis, uel ad numerum, ut Circiter quingentos homines: uel ad utrunque, ut Cæſar primo libro de *Circiter.*

bello

bello Gallico; Dies circiter quindecim iter fecerunt. Idem diuinus auctor hanc præpoſitionem tempori dedit, ut circiter meridiem, & Plautus, etiam loco, ut;

Loca hæc circiter.

Nec extimeſcendum eſt ita loqui; Affuerunt optimi uiri amiciſsimi illius circiter quingentos, ut nominatiuus dependeat à uerbo, accuſatiuus à præpoſitione ſimili figura loquendi atque illa Ciceronis ad Atticum; Homines ad xv. Curioni nullum Senatus conſultũ facienti aſſenſerunt.

Vſque, & loci eſt, & temporis, ut uſque Romam uſque Baias, uſque ad Vulturnum, uſque ad meridiem, uſque ad noctem. Significat etiam de loco motum, uel de præterito ad futurum tempus, ut uſque à mari: uſque ab Indis. Vſque à Principe illo atque inuentore Lyſia. Vetus opinio eſt, iam uſque ab Heroicis ducta temporibus, Terentius;

Ex Aethiopia eſt uſque hæc.

Sunt etiam illius modi exempla, uſque à capite accerſere, uſque à genere ſummo, uſque à principio, uſque à primo ortu rerum. Sed quum eſt præpoſitio, & caſum ei damus accuſandi cognoſci de ſuperioribus exemplis potuit ſolere eſſe etiam ſine altera præpoſitione Ad, ut uſque Puteolos venire, uſque Meſſanam accedere. Iungitur etiam aduerbijs motum de loco ſignificantibus, uſq; hinc uſq; inde uſque iſtinc. Tritus enim eſt Ciceronis ad Atticum locus. Noſti in hac materia ſonitus noſtros, tanti fuerunt, ut ego eo breuior ſim quod eos uſque iſtinc exauditos putem. Eſt etiam in uſu uſque eo, & uſque adeo & uſque dum quale eſt, uſque eo moroſi ſumus, ut nobis non ſatisfaciat ipſe Demoſthenes. Poſtea tempeſtas ipſos quoque iactare cœpit uſque adeo ut dominus nauis in ſcaphã confugerit. Idem Cicero in Verrem; Duces prædonum domi tuę, uſque dum per me tibi licuit tenuiſti. Secus, raro admodum accuſatiuo, aut caſui denique ulli inuenimus eſſe datam, ut ſecus fluuiũ, ſecus uiam, ſecus tribunal, ſæpiſsimeque aduerbium eſt, ut Virgilius; *Secus.*

Haud ſecus ac iuſsi faciunt.

Ita loqui Cicero conſueuit; Tecum agam Serui, non ſecus ac ſi meus frater eſſes. Recte an ſecus tu egeris mecum, nolo nunc diſputare. Penes, eas ad res ac perſonas refertur in quarum poteſtate, aliquid eſſe dicimus, ut; Loquutionis emendatæ ac latinæ laus, penes Cæſarem fuit. Iſte penes quem omnis eſt poteſtas. Item *Penes.*

Horatius

Horatius ; -Si uolet uſus,

Quem penes arbitrium eſt, & uis & norma loquendi.

Verſus. Verſus,aliter ac cæteræ præpoſitiones, poſt accuſatiuos ferè collo catur , ut Galliam uerſus, Megaram uerſus, Ad Curionem Cicero; Quũ te iã ex Aſia Romã uerſus profectũ eſſe conſtaret.Hinc ducta ſunt aduerbia quaqua uerſum, Aliquouerſum aut Aliquorſum, Alio uersũ,aut Aliorsũ,Vtroqueuersũ,Deorſumuerſum, Surſumuersũ, Procul,Pridie.Poſtridie , inter præpoſitiones Aldo numerare placuit . Demus hoc nos doctiſsimi hominis iudicio , qui nobis olim per ſe , nunc uero per liberos, progeniemque ſuam,ſplendorem antiquæ latinitatis,& eloquentiæ reſtituit . Nã Soſipater Cariſius plures adhuc alias ex ueterum libris præpoſitiones attulit . Abſente quoque præpoſitionem ex numero earum quæ ſequuntur in Eunucho Terentius eſſe uoluit, ut;

Neſcio quid abſente nobis turbatum eſt domi .

Hanc ipſam , & contrariam præſente præpoſitionem eſſe , Aelius Donatus & Nonius Marcellus ex Actio, Pomponio, & Næuio an-
Quæ prępoſi tiquis auctoribus confirmarunt . Ablatiuo damus quæ ſequuntur,
tiones auferẽ A, Ab, Abs, Cum, Coram, Clam, De, E, Ex, Pro, Præ, Palam , Si-
di caſu|poſtu ne, Abſq;, Tenus.Tres primæ hoc ſolo inter ſe differunt, quod A,
lant. utimur ſi conſonãtes literæ ſuccedãt uerbi ſequentis, Ab;ſi uocalis, uel D,F,L,N,R,S,atq; (ut in pauca cõferã)quę ſimul iungi poſſunt ac ſolent intra uerbũ,ut ſi (exempli cã) abdere dicimus , ab domo & dicere poſsimus,ſi abfui,ab filiis,ſi abnuo, ab nominibus,ſi ablegare,ab legibus ,ſi abrogare,ab Rabirio,ſi abſtuli,abs Tito,ſi abſq;, abs Quinto.Cicero tamen uidetur ſcripſiſſe ad Atticũ ; Ab Clodia Socru : unde cognoſci põt licere aliquid inter duo ſimplicia aliqñ, quod uno in compoſito minimè permittatur . Non. n. in uerbo abſcondendi,Ab, loco Abs eſſe potuiſſet , quamuis ab Clodia Socru, & fortaſſe ab colonia,ſiue his interdum ſimilia dicantur . Abs ſolis
A, Ab, præponitur conſonantibus.Quare dicimus(ut à principio comple-
Abs. ctar) à mœnibus,à focis,à puluinaribus,ab audacia,ab inteſtino bello, ab incendijs. De his igitur ſimul dicendum erit .

Ab Andria eſt ancilla hæc quantum intelligo ,

apud Terentiũ,eſt,ab Andria ſtat aut loquitur,ideſt illã quocũq; patrocinio defendit. Numerabo,aut ſuggerã aut dabo,aut ſuppedi bo,aut ſoluã,aut numerabo tibi ab argentario, hoc eſt argentarius tibi meo noĩe,quod ipſe debeo repręſentabit.Nudus à propinquis Inops ab amicis,& contra firmus à gratia, propinquis, amicis, his.

oc

eſt amicis caret aut gratia abũdat ſic ciuitas orba ab optimatibus,
uel firma à ſocijs. Sunt illa quoq;, à principio, ab initio, à primo ut;
Hæc à principio tibi cupiens, quantũ profecerim nõ ignoro. Quod
tibi eſſe & antiquiſsimũ, & ab initio, ut primũ Aſiam attigiſti con-
ſtante fama, atq; omnium ſermone celebratum eſt. Duo Ciceronis
exempla ſunt: eſto etiam tertium illud; Hoc à primo cogitauit, om
nes terras, omnia maria mouere. Tres præpoſitiones, A, Ab, Abs,
differunt ab illis tribus E, De, Ex. Priores enim de loco ſignificant,
non ubi quis iam ſit, ſed quo pergat ire, quod tametſi non inueniam
perpetuo ſeruatum, nec fortaſſe hæc diſtinguere ſemper neceſſe ſit
& eodem in loco poni interdum hęc pro illis, illa etiã pro his liceat,
diſtincta hæc tamen ſunt, per naturam. Nam Cicero qui pro A. Cæ-
cina de uerbis interdicti ſubtiliſsime diſputauit, hanc aduerſarij
Sext. Ebutij inter has præpoſitiones differentiã, non eſt auſus repre
hendere, ſed pro Cæcina potius eſſe contendit. Calũniabatur enim
Ebutius illum nõ ex fundo eiectũ à ſe fuiſſe. Itaq; Gallos qui in Ca
pitolium nõ ſunt ingreſsi à Capitolio eiectos, eos uero qui cũ Grac
cho fuerunt, ex Capitolio deiectos eſſe dicemus. Sed redeo unde
ſum digreſſus, ut dicã ſtare etiam à mendacio contra ueritatem, &
dicere à nobis, & ab reo, & à teſtibus pro eodem capi ſolere atque
Terentius Ancillam pro Andria eſſe dixit. Sunt illa quoq;, ueterem
eſſe opinionem ab heroicis iuſque ductam temporibus. Ordinẽ eſſe
iam inde à rege Romulo, uel à Tarquinio eiecto, uel ab exactis re-
gibus conſtitutum. Seruum eſſe aliquem, aut pueros eſſe multos à
pedibus. Præterea inſtructum eſſe aliquem à literis, inſtructũ à phi-
loſophia, inuictũ à labore, literas didiciſſe à puero, alicui à me dice
re ſalutẽ, à te aliquid eſſe ortum, ab aliquo inire gratiam. Cum, cum *Cum.*
laude uiuere. Cum turpitudine mori. Cum filio ſcribere. Cum ſocijs
litigare & agere cum populo eſt populum rogare. Poſtponitur his
pronominibus, mecũ, tecũ, ſecum, quicũ, quibuſcum, nobiſcum, uo-
biſcum. Dicimus uobiſcũ ea res facit, uel tecũ ea argumenta faciũt,
pro ijs quæ ante dicta ſunt à nobis uel à te ſunt eæ res uel argumen
ta. Sed agere furti cum hoſpite, iniuriarũ cum filio, agere ueneficij
cum priuigno, uel cædis cum Antonio, uel paricidij cum Roſcio,
uel de repetundis cum Verre quid ſit, nimis eſt putidum explicare.
Aliæ ſunt loquutiones, bene, male, recte, præclare, melius, peius, op-
time, peſsime agi uel cum patre, uel cũ ſocijs, uel mecũ, uel cũ exer-
citu, uel cum rep. Cum octauo, cum decimo, cũ centeſimo ager ef-
ficit aut refert, perinde eſt, atque ſi dicas, octuplum, decuplum, cen-
tuplum,

tuplum, ut multa ſunt C.Plinij & M.Tulij exempla, unde id palam fiat quale eſt in Verrem; In iugere Leontini agri, medimnum ferè tritici ſeritur perpetua atque æquabili ſatione ager efficit, cũ octa uo bene ut agatur, uerum ut omnes Dij adiuuent, cum decimo. M.etiam Varronis ex primo libro de Re ruſtica ut ex eodem ſemine, aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quinto decimo, ut in Etruria,& locis aliquot in Italia. In ſybaritano,dicunt etiam, cum centeſimo redire ſolitum. In ſyria, ad Garada & in Africa ad Byzacium item ex medio naſci centum. Præpoſitio hæc non iungitur ablatiuis qui inſtrumentum ſignificent. Dicimus enim ſcribo epiſtolam calamo, atramento, ſanguine, carbone. Res contrita pedibus, exploſa ſibilis, inciſa ferro, combuſta flammis,ut;

Sanguineis frontem moris & tempora pingit.

Poterit aliquando tamen uideri poſita ubi non oportuiſſet, ut in Verrem; Conſiderate cum animis ueſtris uoſmetipſi. Pro A, Cluentio; Atque hæc iudices quæ uere dicuntur à nobis, facilius credetis, ſi cum animis ueſtris longo interuallo recordari Staleni uitam & naturam uolueritis. Hanc frequentiſsimo in uſu poſitam uidere licet pro Aduerſus, ut pugnare ſecum, pugnare cum alijs, pugnare cum hoſte, quod genus latiſsimè patet.

Coram. Coram, præpoſitio eſt, ut apud Horatium ad Piſones;

Ne pueros coram populo Medea trucidet.

Alio idem loco

Non recito cuiquam, niſi amicis, idque coactus
Nec ubi uis coramue quibuſlibet

Cicero in Piſonem; Mihi uero ipſi coram genero meo propinquo tuo quæ dicere auſus es?

& L.Virginius apud Liuium; Sinas hic coram Virgine, nutricem percuntari: ſæpius aduerbij eſt loco, ut;

Coram quem quæritis adſum:

&; Coram tecum egi: coram de rebus omnibus colloquemur. Præpoſitio hæc ad perſonas tantum, non itidem ad res poteſt referri, nec dicendum eſt, coram templo, altari, littore, foro, cœlo, ut coram plebe, exercitu, populo, aut magiſtratu.

Clam. Clam, contraria eſt præpoſitioni Palam, ut;

Nec clam te eſt, quam illi utræque res inutiles,
Et ad pudicitiam, & ad rem tutandam ſient.

Plautus etiam in Amphitruone;

Amare occœpit Alcumenam clam uiro.

Dabant

Dabant huic ueteres aliquando accuſatiuum; ut apud eundem;
Erit hodie quod amas, clam uxorem.
Verum, eſt ſæpius aduerbium, ut clam ſe contulit ad matrem: clam fugit ab exercitu.
De; Agere de pace, cogitare de inſidijs, ſcribere de bello. Item pro Ex, ut; De conſularibus nemini poſſum eſſe teſtis. Dicimus quoque legem de repetundis, conſilium de reuocando Cæſare, ſenatus conſultum de Rege Ptolemæo, præcepta de philoſophia, liber de conſolatione, dicere de loco ſuperiore, mittere unum de populo, aliquos de plebe, prædam amittere de manibus, ſurgere de nocte, dormire de die, diſcere de Theophraſti libris, tollere profanum de ſacro, frumentum de area, lapidem de terra, triticum de cella, ſcribere de ſententia & uoluntate Pompeij. Emere de præda, emere de quæſtoribus, dormire de cœna, uigilare de prandio, de tertia uigilia mouere caſtra, dolere de uento, fatigari de curſu, inclamare aliquem de uia, damnare, abſoluere, decernere de conſilij ſententia, moueri de conſilio, auctoritate, aut literis Craſsi, quærere de cæde, furto, inceſto, criminibus, cognoui de patre meo, quæſiui hoc de uobis omnibus, potes hoc ſcire de multis, feci de conſilio ac ſententia bonorum, conductam habere domum de Luccio, quærere in dominum de ſeruo, quæſtiones haberi de ſeruis, uel de criminibus. Sępius pro A, uel Ab, uel Abs, uel Ex, ut iam dixi quæſiui de Lentulo, audiui de Bruto. Refertur ad cauſas rerum, ut;

Ecquid nos amas de fidicina hac?

Id quod fit etiam cauſæ appoſito nomine, ut Ciceronem Pompeius oderat nulla de cauſa, quem contra multis de cauſis diligere debebat. Sunt alia multa, ut mittere legatos de pace, uel grauiſſimis de rebus, recitare orationem de ſcripto, uerſum ſoluere de induſtria, adeſſe de improuiſo, de repente, de ſubito, de tranſuerſo: repetere narrationem de principio, de manu tradere in manum, de integro facere comœdias. Vulgare eſt etiam ſic loqui in ſententiarum principijs; De tua ualetudine, laudo quod iſtinc migrare cogites. Eſt enim hoc tanquam ſi dicas; Quod attinet ad ualetudinem tuam. Item accuſare de repetundis uel de parricidio, dolere de ſupplicio ciuium, uel de interitu hominis amici. Cum uerbo faciendi omiſſam hanc præpoſitionem aliquando uidemus, ut apud Terentium,

Nec quid me faciam ſcio:

& Cice-

& Ciceronem; Quid illo Myoparone factum eſt? Iungitur etiam aduerbijs quibuſdam, ipſaque tum fit aduerbium, ut de ſubito, de repente, de tranſuerſo. E,& Ex, una utriuſque ſignificatio eſt, ut
E, Ex. illarum quoque trium A, Ab, Abs, ut prior à conſonantibus excipiatur, altera à uocalibus. Leuis res eſt, ſed Ciceronem habet auctorem. Is enim ita ſcribit; Ex uſu dicunt & è republica, quod in altero uocalis excipiebat, in altero eſſet aſperitas, niſi literam ſuſtuliſſes. Non multum hæ duæ à ſuperiore differunt, niſi quod perſonis quidem magis conuenit E, & De, ut è familiaribus tuis acceperam literas, de Theophane audieram aduentare Pompeium. Dicimus, è Cilicia decedere, è uilla reuerti, è prouincia redire, quemadmodum ex Cilicia, ex uilla, ex prouincia. Locis autem ac temporibus, Ex, præpoſitio magis, eſt propria quam E, ut;

Ex illo ruere ac retro ſublapſa referri:

iterum Virgilius;

Tempore iam ex illo caſus mihi cognitus urbis.

quibus in exemplis, non ſolum quia ſequitur litera uocalis, ſed quia ratio præpoſitionis poſtulat, ex illo tẽpore dictum eſt potius quam è, uel de illo tempore. Valet ad materiam declarandam, ut uaſa ex argẽto, ex auro, ex ligno, chriſtallo: ſtatua ex marmore, lapide, ferro, magnete, hebore. Quotidiani ſunt uſus illa etiam, ut uel morborum nominibus, uel membrorum iungantur ægrotantium, qualia ſunt laborare ex febri lippitudine, quartana, uel auribus, capite, ſtomacho, pedibus, inteſtino, lateribus. Medicorũ ſiqui latinè ſcribunt, mos eſt ita loqui, ſumere ex aceto, uorare ex melle, bibere ex poſca, uino, ſapa, oleo. Vulgata ſunt apud omnes ex æquo & bono agere, ex animo diligere, amare, loqui, dicere, dolere; ex animi ſententia aliquid euenire, ex arte dicere, ex tempore orationem habere: aliquem ex aliorũ ingenijs, natura, moribus, iudicare: aliã rẽ ex alia cogitare, aut aliud ex alio in mentem uenire: ex iure ciuili aut pontificio reſpondere: ex lege, ex conſuetudine, ex more, ex uoluntate noſtra aut aliorum conſilio facere. Adhuc autem demẽtem eſſe Pãphilũ ex peregrina: & immutarier homines ex amore, & ex noſtra dignitate ſtatuere: ex pueris aut ex ephebis excedere: ex equo aut ex curru pugnare: ex tempore conſilium capere, ex euentu factum aliquod iudicare: ex lege uel conuentis, uel teſtamento, uel chirographo rem uel pecuniam petere: ex re mea, ex re tua, uel ex republica aliquid eſſe uel facere, ex uita decedere: fabulam ex græco in latinum uertere, aut ex græca latinam facere: ex aſſe, ex

triente,

triente, ex dodrante hæredem fieri, ex toto, ex partibus, ex differentia, uel ex comparatione, uel definitione, argumentari. Huiuſmodi infinita ex bonis auctoribus petenda ſunt, nec in eo erretur, ut quia præpoſitioni altera præpoſitio nõ iungitur, præter uſum aut rationem eſſe non dum periti latinitatis arbitrentur ex ante Calendas, & ex pridie Idus: meminerintq; & ab alijs & à Cicerone potiſsimum dici ſolere; Nuncij nobis triſtes, nec uarij ueniunt ex ante diem Nonarum Iun. uſq; ad pridie Calendas Septembris.

Pro, ſex potiſsimum utimur modis; Primo ut incerta habere pro certis, falſum pro uero, liberum hominem pro ſeruo, fidelem ſocium pro inimico: Item pro Prætore, pro Conſule, pro Quæſtore, pro magiſtro ſcripturæ: quibus non diſsimilia ſunt, gerere ſe pro ciue, ut Virgilius; *Pro.*

Nec me pro coniuge geſsi.

Altero, ut pro ſua cuiq; dignitate tribuatur: pro tua liberalitate ago tibi uti debeo gratias: pro tua conſuetudine ac natura facis, ut multos complectare: pro tua ſtultitia feciſti, ut fortiorem prouocares. tertio, ut; pro ſuis ciuibus & uniuerſa republica laborare: pro cauſa optimatum contendere: item pro Muræna oratio, pro Cornelio aduocatus pro te, & pro nobis omnibus uigilare. Quarto ſunt loco, pro mea parte, pro rata parte, pro uirili parte, pro ſe quiſq; adniti. Quinto, ut pro roſtris dicere, pro tribunali ſedere, pro templis omnibus præſidia collocare, pro æde Caſtoris monumenta poſita. Poſtremo loco eius quæ eſt ante, ut; Stabat pro templo & Capitolia celſa tenebat; quæ ſignificant omnia (ſi Terentio ſcauro credimus) ante roſtra, ante tribunal, ante templa, ante ædem Caſtoris. *Quinto.*

Præ, autem uel ad cauſas refertur, ut præ gaudio, præ lacrimis, præ amore, præ lætitia loqui non poſſe: uel ad comparationes, ut; *Præ.*

Hic ego illum contempſi præ me.

Tu, quæ tua arrogantia eſt, neminem præ te hominem putas. Vel ad ſignificationes quaſdam vultus, aut linguæ cum uerbo ferendi, & pro nomine aliquo triũ primitiuorũ, ut præ ſe ferre metũ, uel ſpẽ, uel dolorem, ut; Ego diſcordias cũ agrarijs hominibus præ me ſemper tuli. Tu ſpeciem boni ciuis præ te ſemper tuliſti. Vel ad locũ, ut pręoculis, præ pedibus, uel ad tempus, aut ordinẽ, uerbis coniuncta, ut prædicare, præire, quæq; ſunt huiuſmodi. Palã, aperte, ante oculos omnium. Caſum huic præpoſitioni raro ueteres dederunt, ſæpiuſq; aduerbij loco fungitur, ut palam dictitare cœpit. In ſena- *Palam.*

tu palam ſic egit cauſam tuam. Non obſcure, neque per præſtigia, ſed aperte ac palam ſcelera omnia moliebatur. Palam & in medio foro cunctis audientibus mortem & crudele exitium ciuibus minatus eſt. Verbis etiam iungitur ſubſtantiuis, ut; Non dum palam factum erat concidiſſe rempublicam: & apud Terentium;

Sin falſum aut uanum, aut fictum eſt, continuo palam eſt.

Sine et abſq; Sine & abſque, nihil habent in quo laborare debeamus. Vulgo enim ita loquuntur omnes; Homo ſine literis, ſine dubio ſceleratus: ſine controuerſia Princeps: abſque dolore, abſq; moleſtia, aut uoluptate uixit ulla. Huic enim præpoſitioni ablatiuum à Terentio, & Plauto inuenies eſſe datum, quorum alter ſic in Phormione ſcripſit;

Nam abſque eo eſſet
Recte ego mihi uidiſſem.

Alter in Capteiueis,

Ego illis Capteiueis alijs documentum dabo,
Ne tale quiſquam facinus incipere audeat,
Quod abſque hoc eſſet, qui mihi hoc fecit palam.

Quod abſque hoc eſſet (inquit) hoc eſt, niſi hic Ariſtophontes mihi captiuorum fallacias patefeciſſet. Sic enim hi duo poetæ, & omnes antiqui plurimum loquebantur.

Tenus, ablatiuo Cicero coniunxit libro tertio de legibus. Nam ueteres (inquit) uerbo tenus, acutè illi quidem, ſed non ad hunc uſum popularem atque ciuilem de rep. diſſerebant. Et pro Rege Deiotaro; Etenim ſi Antiochus, magnus ille Rex Aſiæ, quum poſtea quam à Scipione deuictus, Tauro tenus regnare iuſſus eſſet, omnemque hanc Aſiam quæ eſt nunc noſtra prouincia amiſiſſet, dicere eſt ſolitus benigne ſibi à populo Romano eſſe factum, & quæ ſequuntur. Tauro tenus eandem in ſententiam qua ſupra dixit intra montem Taurum, Antiochum regnare iuſſerunt, id eſt ne Tauri montis fines reliquam in Aſiæ partem ullam tranſiret. Virgilius in ſecundo;

-Lateri capulo tenus abdidit enſem.

Clam. Aiunt grammatici ſi nomen ſit numero multitudinis poſſe etiam id nomen caſu eſſe genitiuo, ut;

Et crurum tenus à mento palearea pendent.

Fit ſine caſibus aduerbium, ut;

Eſt quiddam prodire tenus ſi non datur ultra.

Laudamus etiam qui ſic loquuntur, ſolo tenus ianua ac limine tenus,

nus, porta aut littore tenus, & auferendi caſu multitudinis, vulneribus tenus uerberibus tenus. Reliquæ ſunt prępoſitiones quatuor, In, Sub, Super, & Subter. Si priores duæ ad motus referantur, ſequatur neceſſe eſt accuſatiuus: Sin contra ablatiuus, ut eſſe in ſenatu, gaudere in ſinu, & uenire in ſenatum, accipere in ſinum. *Quæ locis præpoſitiões ſeruiunt.*

In habet ſæpius latentem in uerbo motum ut rem in partes diuidere, genera in formas diſtribuere, in res omnes præcepta tradere, in omne genus cauſæ ex locis argumenta ſuppetere, imperium in exteras nationes habere. Dant etiam ſine motu huic præpoſitioni aliquãdo accuſatiuũ, quo plenior fiat ſonus orationis, ut Cicero in Diuinatione; Clariſsimi uiri noſtrę ciuitatis, tẽporibus optimis, hoc ſibi ampliſsimũ pulcherimumq; ducebant, ab hoſpitibus, clientibus ſuis ab exteris nationibus, quæ in amicitiam Pop. Rom. ditionemq; eſſent, iniurias propulſare, eorumq; fortunas defendere. Pro lege Manilia; Quũ ueſtros portus in prędonũ fuiſſe poteſtatẽ ſciatis. Pro P. Quinto; Itaq; ex eo tẽpore res eſſe in uadimoniũ cœpit. Cęſar de bello ciuili; Quo facilius omne Adriaticũ mare ex ultimis Italię partibus legioneſq; Græciæ in poteſtatẽ haberet. Terẽtius in Eunucho. *Eſt in amicitiã Po. Ro.*

Ille ubi miſer, famelicus uidet me eſſe in tantum honorem.

Pomponius Iuriſconſultus; Quia magiſtratibus ueſpertinis temporibus in publicũ eſſe incõueniens erat, Quinqueuiri cõſtituti ſunt, Cis Tyberim, & ultis Tyberim qui poſſent pro magiſtratibus fungi. Ita etiam legitur Saluſtij locus in bello Iugurthino; Quum talẽ uirum in poteſtatẽ habuiſſet, tum fore uti iuſſu Senatus Populiq; Ro. fœdus fieret. Imitati uero ſunt hæc auctores ex uetere conſuetudine loquendi, ut libro de legibus tertio ubi M. Tullius antiqnitatem exprimere conabatur; Minores magiſtratus periti iuris plures in prælia ſunto. Plautus in Amphitrione;

Numero mihi in mentem fuit.

Hinc factum arbitror ut liceat etiam literas in æs inciſas dicere. In communi uſu & quotidiano ſunt illa, inuehi in cauſam Principum: argumenta meditari in aduerſarium: dicere in Catilinam dicere in Antonium: ire in ſententiam pedibus: diſputare in Verrem, in Seruilium, in Piſonem. Commentarios facere in Virgilium, epigramma ſcribere in Catonem, quod ſæpe in Catonis laudem intelligitur, ut in primo libro de natura Deorum M. Tullius ait, in Roſcium epigrãma à Q. Catulo factum fuiſſe, & in officijs; Videndum eſt ne non ſit ſatis id quod apud Platonem eſt in philoſophos dictum, ideſt in laudem, uel in excuſationem philoſophorum. Vulgatiora ſunt; Mea

in uos beniuolentia: Veſtra in me officia: Mirandum in modum Cæcilium eſſe iratum: Multa in hanc ſententiam aut utranque in partem eſſe diſputata. Succedere in demortui locum Pontificis: in diem & in horam uiuere. In manum uiro deuenire: In dies & in horas creſcere: Hortenſium in magnis oratoribus habitum fuiſſe: Nec uoluptatem in bonis, nec laborem in malis eſſe, aut putari, aut poni, aut numerari debere. Vtram in partem accipias non laboro: quam in partem acceperis declarat quod iracunde ſcripſiſti. Iudicium ea in uerba datum acceptumque eſt in quæ C. Verri commodum fuit: Conſulatum petebat Milo in ſequentem annum: Conſilia noſtra ſpectare in ſempiternum debent: In ſingulos homines quaternos aſſes diſtribuit. Pretium uini eſt in Congios H S iiij. olei denariũ xx. frumẽti in medimna H S lxxx. Tituriũ Pletorius apud Ciceronẽ pro M. Fonteio, quaternos denarios in ſingulas uini amphoras portorij nomine exegiſſe criminabatur. Dixerunt etiã ueteres, In præſentia, pro aduerbio temporis præſentis, ut in Verrẽ; Ille clamare, quùm raperetur, nihil ſe miſerũ feciſſe, nihil commiſiſſe, pecuniã ſibi eſſe in nominibus, numeratam in præſentia non habere. Sunt illa quoque exempla, in carcerem includere, in commune conferre, bonam in partem accipere, hoſtes in patriam incendere, in medium conferre, in capita ad ſingulas ciuitates pecuniam imperare, in Deos, uel in Deorũ numerum referre, in anno ſingulos aliquid facere, in ante diem xv. Calendas differre, in horam & in diem uiuere, in horas creſcere malum, in dies latius manare, in præſens tẽpus omittere, in futurum, uel in poſterum proſpicere, in reos referre. At uero per ablatiuum, eſſe in ære alieno, eſſe in ſuis nummis, eſſe in amicis aut in familiaribus Cæſaris, eſſe, habitare, aut ferre in oculis. Item in os laudare, in diſciplinam tradere, in uiam ſedare, & ſimilia his innúmera. Sed incidere in æs & ære, ponere in publicũ & in publico, & alia quædã, utrumuis per caſum dicuntur, pro ut motum quietemue ſignificare uolumus.

Duæ enim præpoſitiones In, & Ad, ubi ſignificant motus, aliud multo ſunt, quum dicimus in forũ uenire, quã ad forũ: in urbem & ad urbem, in tẽplum, & ad templum, ita ut illa differunt ſi dicas ad ignem accedere, & in ignem ſe conijcere. Cogitari uolo tamen, ubi motus quidã eſt quam bellè ac uenuſtè, caſu auferẽdi potius uti aliquando debeamus ut eleganter in Catilinam fecit M. Tullius; Sicã neceſſe putas conſulis in corpore defigere. Non enim ex motu & manſione huic uni prępoſitioni uel accuſandi, uel auferendi, ca-

ſum

ſum damus, græci uerò ipſis ex præpoſitionibus εἰς καὶ ἐν caſu gubernant. Etenim quum ſit poſterior propria manſionum quoties, tamen adhibetur ad motus ei caſum tribuunt nihilominus da tiuum id quod noſtri interdum auctores faciunt etiam, ut hoc poſtremum Ciceronis exemplum ſequantur. Plurima ſunt enim apud illos eiuſmodi uſu trita puerorum.

εἰ μὴ ἐγὼ τάδε τόξα φαεινῷ ἐν πυρὶ θείην

Nec ea re quis turbetur quod in permanſione motum ineſſe interdum uideat ut ambulare in porticu, ſaltare in tẽplo, currere in theatro. Sub, quemadmodum ſuperior, ſi uel motum ſignificet, uel tem- *Sub.*
pus, etiam ſine motu nemo dubitat adiungi in accuſatiuũ debere, ut;

Nunc magna mei ſub terras ibit imago:

& Horatius ad Piſones

Purgor bilem uerni ſub temporis horam.

Sic Cæſar primo de bello ciuili; Põpeius ſub noctem naues ſoluit. Adhuc idem; Sub ueſperum, intra hanc foſſam legiones deducit. Hinc ſub dies feſtos dicitur, ſub ſacra, ſub ludos ſub arcturũ, ſub tẽpus nuptiarum, ſub æquinoctij dies. Sed pleni ſunt libri omnes huiuſmodi exemplorum. Ne motu quidem ſignificando res obſcura eſt, ut cadere ſub aſpectum, cadere ſub intelligentiam, uenire ſub tectum, ſub umbram, ſub antrum. Raro diſceſsionibus datur ex loco, ut illud eſt in Plauti Aulularia;

Foras lumbrice qui ſub terra erepſiſti modo

Videtur enim ſub, pro κάτωθεν hic dictum eſſe. Nec illa præceptionis indigent quæ propria ſunt ablatiui, eſſe ſub poteſtate, ſub imperio, ſub tecto, ſub umbra, ſub Dio: uendi ſub haſta, uendi ſub corona. Super ablatiuo ſæpius præponitur, ut;

Multa ſuper Priamo rogitans ſuper Hectore multa. *Super.*

Similia huic exemplo ſunt quùm dicimus, ſuper legatione uotiua, ſuper ea cogitatione, ſuper re familiari. Sin aliquam ad ſignificationem loci aut motus ponitur accuſatiuum potius requirit, ut libro de legibus ſecundo in extremo;

Nam ſuper terræ tumulum, noluit quid ſtatuit niſi Columellam tribus cubitis non altiorem. Plautus in ea quam paulo ante fabulã nominaui accuſatiuum huic præpoſitioni tribuit, ut;

Dixi tibi mater iuxta rem mecum tenes
Super Euchonis filiam.

Ergo quum eſt loco præpoſitionis De, ablatiuo iungi poteſt & accuſatiuo, ut ſuper Priamo, ſuper Hectore, & ſuper Euclionis filiã:

Quum eſt loci, ablatiuo, ut;

Stratoque ſuper diſcumbitur oſtro. &;

Fronde ſuper uiridi.

Hac præpoſitione uſus eſt Cornelius Tacitus pro ea quæ eſt prçter, ut ſuper ea hominum ingenia ſuper eas ciuitates, quas memoraui, quod ſiquis non putet imitandum eſſe, mihi tamen linguam latinã docenti faciendum eſt ut non ſolum ſcribendi aut loquendi, ſed etiam auctores intelligendi ſçpiſsime uias demonſtram.

Subter. Subter, proxime ſuperiori contraria eſt, & accuſatiuo crebrius quã ablatiuo præponatur, ut;

-Fama eſt huc Helidis amnem

Occultas egiſſe uias ſubter mare.

Cicero; Subter mediam ferè regionem ſol obtinet. Et in Tuſculanarum quæſtionum libro primo; Iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locauit. Ergo ſubter aquam dicendum eſt, ſubter halas, ſubter uentrem, etiam ſine motu. Fit ſçpius aduerbium, ut; omnia quæ ſupra ſubterque ſunt, unum eſſe. Sex aliæ numerantur præpoſitiones, quæ nominibus contra ac cæteræ nunquam, uerbis autem ſemper præponuntur, Di, Dis, Re, Se, An, Con, & una pars orationis fiunt, in primas eorum ſyllabas receptæ ut diuidere, diſijcere, referre, ſeiungere, ambire, complecti. Deniq; præpoſitionum eſt omnium, accentu graui poſtremis in ſyllabis dici; quæ tamen ſi poſtpoſitæ ſint uel in aduerbia mutentur, grauem in acutum conuertunt, qua de re & hæc ipſa, & quæ ſecundo libro pauca admonui ſatis eſſe uolo.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. X.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

AGIT hoc libro primum uniuerſa de aduerbij natura. Tum id in uiginti ſex genera diſtribuit. Vnicuique generi plurima aduerbia ſignificationeſque adiungit: Ad ſingula, oratorum ac poetarum ex noſtro ſermone & græcorum, ea recitat exempla, quibus rectiſsimè natura illorum, & copioſiſsimè declaratur.

TRANSEO nunc de aduerbijs ut exponã, quæ mihi de obſeruatione antiquitatis in ſermone latino, elegantiæ, uenuſtatiſq; plurimũ habebunt. Hoc etiam loco ut ſæpe hactenus feci, maioribus quibuſdam ex noſtris cõmentarijs proferã non quæ mihi perſuaſerim ſatis eſſe ad ſcientiã latinitatis, ſed quæ gradũ ſtudioſis faciãt ad maiora. Vt enim legendo, multa cognouerim, adhuc tamen reliqua ſunt plura in quibus uideo eſſe laborandũ. Maximè uellẽ ſupereſſent, quæ his de rebus homines docti & graues olim ſcripſerũt. Nã qui in ſinu literati ac ſapiẽtes fuere, eis uelim induſtria nõ defuiſſet. Quid.n. aut nos, aut literas adiuuerũt, Aurelius Opilius, Curtius Nitia, Q.Cęcilius, L.Craſsitius, ac plurimi, de quibus ẽt hiſtorię loquũtur? Contra uerò C.Cæſaris, M.Meſſallę, P. Nigidij nõ induſtriã requirimus uel diligentiã ſcribẽdi, ſed fortunã accuſamus, quæ nobis & Latio inuidit ingenij monumenta & literarũ, quæ illi pulcherrima reliquerũt. Quod ſi pars aliqua ſaltẽ ex ijs extaret, nec cęteri doctrinã ſuã occultare uoluiſſent, nunc mihi non deeſſet quorũ

auctoritate me tuerer, aut ope, aliquã laboris mei partẽ leuare poſſem. Illud mihi nũc relictũ eſſet, quod artiũ ſcriptoribus quibuſdã, uiris doctiſsimis, ut iudicio res diſsipatas in unũ quaſi corpus colligerẽ, quæ dubia eſſent explicarẽ, falſa corrigerẽ, pugnãtia accõmodarẽ, omnia ſtilo repurgata ordine diſponerẽ. Nunc uerò, ob id ſaltẽ quia grãmaticis credendũ non erat, magnã partẽ in eo mihi laborandũ fuit, ut pleraq;, ipſa ex antiquitate eruerẽ, quibus ad latinitatẽ alios informarẽ. Aduerbiũ eſt pars orationis indeclinabilis, ad moderandas uerborũ ſignificationes inuẽta. Huic, tria eſſe adiũcta Aelius putauit, ſignificationẽ, cõparationẽ, figurã. Sunt.n. aduerbia figuræ ſimplicis, ut facilè, prudenter: ſunt cõpoſita, difficile, imprudenter. Cõpoſitio eadẽ eſt quæ nominũ. Nota.n. illa grãmaticorum eſt ratio, quam ego dixi traditã à Varrone, ex duobus integris, duobus corruptis, corrupto & integro, integro & corrupto. Quædam ſunt ex his dubia inter aduerbiũ & nomen ut falſo, alia inter nomẽ & pronomen ut quò, alia inter aduerbiũ & uerbũ, ut pone, alia inter aduerbiũ & participiũ, ut profectò, alia inter aduerbiũ & cõiunctionẽ, ut qñ, alia inter pronomẽ & præpoſitionẽ ut quapropter. Hæc tã ſimilia, ſenſu diſcerni & accentu idẽ Aelius putauit. Nam illud Quapropter, & ſcriptura cognoſcitur. Nullũ.n. aliud eſt uerbũ, cui ſimile uideri poſsit. Falsò aũt, profectò, & quãuis multa huiuſmodi, poſtrema ſyllaba grauiter pronuncianda, ex eis tolli dubiũ exiſtimauit. Cõparatio aũt, ſecundũ nomen, alia non eſt pars orationis, cui tã coniuncta & apta quam aduerbio eſſe queat. Itaq; ut nominis primus ille gradus eſt doctus & prudens, ita hinc doctius & prudẽtius doctiſsimẽ & prudẽtiſsimẽ ducũtur. Sic etiã ad ea unde cõparationes fieri non queũt, ut ſtrenuè, & ſimilia, accõmodamus aduerbia alia cõparationũ, ut magis & minùs, & maximè, & minimè, uel minimũ ſtrenuè dicimus. Deminutiones quoq; accipiũt quẽadmodũ nomina, ut primulum, tardiuſculè, meliuſculè. Nec male aduerbijs, ea quæ uocatur ſpecies fuiſſet attributa. Sunt.n. quæ ab aliis ortum habent ut nunquã, fortaſſe deſtrórſum ſunt quæ nõ habent, ut qñ, nũc, heri, ſemper. Sed uenio tũ ad ſignificationẽ quæ prima ex tribus fuit quãque propter difficultates & ſummã in ea latinitatis elegantiã à pleriſq; neglectã, ſubtiliter mihi multiſq; uerbis hoc libro tractandã ſuſcepi. Inuẽtũ eſt aduerbiũ, ut iã dixi ad moderãdas uerborũ ſignificationes. Alias quidẽ refertur ad orationis partes, ad nomẽ adiectiuũ, nimiũ uelox, nimiũ tardus: ad participiũ, minime prouidẽs, minime proſpiciens futura: ad præpoſitiones ualde, infra, nimiũ ſupra: ad

pra: ad ſe ipſum uehementer iratè,nimiùm crudeliter; ſed quemad
modum apud græcos,ex eo potiſsimum nomen inuenit, quod uer-
bis maximè apponatur,ut attentè audio,uehementer cupis, huma-
niter feciſti.Quare etiã Suetonius,Cariſius, & alij quidã id præuer-
biũ dici maluerunt.Sunt quędã ex his de ſe nata, ut cras,heri,pridẽ,
nuper quædã ab alijs partibus orationis,ut lentè,glorioſè,lõgè,tur
piter.Primũ numeri ſunt aduerbia,ſemel,bis,ter,quinquíes, decies,
uicies,quinquagies,cẽties,millies,bipartito,tripartito,quadriparti-
to,quinquepartito: bifariã,trifariã,multifariã: iterum,ſecundũ, ter
tiũ,quartũ,quintũ,ſextum,ſeptimũ,octauum,nonum,decimum,un-
decimũ,duodecimũ, & ſiqua ſunt huiuſmodi cætera.Item ordinan-
di,primum,deinde,tum,deinceps,dehinc,exin,poſtea,præterea,præ
poſterè,ſubinde,denique,poſtremum. Iurandi,ædepol,ecaſtor,her
cule,medius fidius.Sunt confirmandi quippe, certè, nempe,uideli-
cet,enimuero,ut pote,utique,nimirũ,næ,certo,ſcilicet.Sunt negan
di,non,nil,nihil,nec,nequaquã,nedũ,neutiquã,haud,quin, quomi-
nus,incaſſum,fruſtra,nequicquam.Sunt euentus,forte,fortuito.Ad
huc,dubitandi forſan,forſitan,forte,fortaſsis,fortaſſe, an , ne , nec
ne, eccubi,nuncubi,nunquando,ecquando. Interrogandi,cur,qua-
re,num,quin,quemadmodum,nonne,quamobrem.Hortãdi,eia,age,
agite,ageſis,agedũ. Eligendi,quin,immo,ſatius,potius. Prohiben-
di,ut ne.Intendendi,nimis,ualde,nimiùm, nimiè, nimiopere, ſanè,
prorſus, penitus, omnino,affatim, apprime, ſummopere, tantope-
re,magnopere,uehementer.Remittendi,uix,ferè, ferme, paulatim,
grauatè, quatenus, tantum, tantummodo,ſolum, quoadeius,quodã
modo, quadantenùs,at,'altem,uel,dumtaxat,paulum,paululũ, pe-
nè, prope,pedetentim, ſenſim, propemodum. Similitudinis,quaſi,
ceu,ſic,ſicut,ſicuti,uelut,ueluti, ut, uti, ſimiliter, acſi, atqueſi,per-
inde acſi,perinde atqueſi,tanquam,ita,itidem,inſtar,prout,quomo-
do,quẽadmodum,qualiter.Cõparationis,magis,minus,celerius,tar
dius, tam,quam.Superlationis,maximè,minimè,celerrimè, tardiſsi
mè.Demonſtrandi,en,ecce.Optandi,utinam. Vocãdi,heus,ò.Exte
nuandi,bellè,clanculum,meliuſculè,nitidiuſculè,blandiuſculè.Cõ-
gregandi,ſimul,unà,gregatim,pariter,collectim,aceruatim,cunca-
tim,turmatim.Separandi,ſeorſum,ſecretò,uiciſsim,inuicem,ſepara
tim,ſingulatim,uiritim,oſtiatim,oppidatim,alternatim,caſtellatim,
uicatim,generatim,ſpeciatim,ſyllabatim,cæſim,inciſim,mẽbratim,
unciatim,municipatim,ſummatim,tributim,regionatim,turmatim.
Qualitatis, bene,male, doctè, pulchre,ſapienter, fortiter, blandè,

paternè, memoriter,obliuiosè,fraternè,hoſtiliter,inteſtatò, auguratò,auſpicatò,cõſultò,cõtinuò,ſubitò,ultro,ſpõtè,ſedulò,optato, improuiſo,feſtinato,tuto fęneratò.Quãtitatis, multũ, parũ, modicùm,minimùm,minimè,maximè,ſat,ſatis,nimiùm.Tẽporis,mõ,nũc, adhuc,antehac,ſtatim,citò,cõfeſtim,deniq;interdũ,intercáloci,interim,necdũ,nondũ,antequã,priusquã,poſtquã,demum,mane, ueſperi,iam,tũc,noctu,interdiu, lucu, hodie,heri,nudius tertius,cras, perendie,diluculo,diu,diutius, diutiſsimè, tandiu, donec, pridem, iampridem,dudum,iamdudum,quando,nequando,unquam,quamprimum,quammox,quamdudum,quandiu,quotidie,nũquam, olim, iam olim,quondam,quouſq;, ſero,tandem,uixdum,poſtea,poſtmodum,poſthac,aliquando,ſemper. Sed antequam de loci quæ reliqua ſunt aduerbijs dicantur,de his ipſis quæ ſunt enumerata,admonendum uidetur.Eſto igitur primum illud, an diuidi hæc ſcrupuloſius neceſſe fuerit. Neque tamen dubitari debet,quin, ut properè,auguſtè,præcisè,præfractè,opiparè,ad qualitatis,ita obuiam quoq; & peſſum,& gratuitò,& peregre,& ultro,citroq; ad loci, ſquamatim uerò,furtim,raptim,pectinatim,curſim,columbatim,decuſſatim,ad ſimilitudinis eſſe referenda. Neque alia ſunt quæ dubitationem afferre poſsint. Præterea tamen, contraria quis fortaſſe aut oppoſita inter aduerbiorum genera requirat. Vt enim affirmandi ſunt & negandi, uocandi, & reſpondendi, intendendi, & remittendi, ſeparandi & congregandi, hortandi, & prohibendi, ita fortaſſe optandi & renuendi,ſimilitudinis & diſsimilitudinis aduerbia diſtingui debeant.Ac prioris quidem poſtremorum generum illa fortaſſe quis putabit eſſe, apage, & apagete, apageſis : alterius, contrà, aliter,ſecus,differenter.Verum ſit aliquis etiam ſtudioſis iuuenibus relictus locus & huiuſmodi quoties rectum ſit ſuo arbitratu diuidendi. Ego nunc aduerbia recenſui, quæ in promptu mihi fuerunt.Neque uerò colligere omnia oportebat.Sunt enim præter quæ ad tempora & loca referuntur infinita, ut nomina etiam, uerba, ac participia.Hæ quatuor ſunt enim partes orationis, quæ numero comprehendi certo non poſſunt.Aduerbia autem, hoc habent potiſsimùm, non ſolum propter multitudinem, quam ſcimus his eſſe communẽ cum ceteris, ſed quia à primordijs Romanæ linguæ uſque ad omne tempus,nulla in re libertas maior noua fingendi.Itaque his tantum quatuor in partibus orationis, & in aduerbio præſertim ualẽt quæ ad Piſones Horatius etiam admonuit;

Multa renaſcentur quæ iam cecidere, cadentque

Quæ

Quæ nunc ſunt in honore uocabula, ſi uolet uſus
Quem penes arbitrium eſt & uis & norma loquendi.

At pronomina, uel propoſitiones,uel cõiunctiones,nec auſus quiſquam eſt nouare,augere,minuere,nec potuit, nec ipſius natura ſermonis tuliſſet. Aduerbiorum autem natura quum ſemper aut hæc admittere,aut obſoleſcere,aut nouari quædam patiatur, in his tam multa uitanda ſunt quam in trium partium unaquaq; cæterarum. Mihi ſuperſedendum igitur magna parte eorum eſt quæ à Turpilio, Tittinnio,Næuio,Lucilio,cæterisq; illorum temporum auctoribus quidam attulerunt,uel ſunt ab alijs,poſt ſæculum Varronis ſuperuacanea aut inſolenter uſurpata. Itaq; aduerbia ab adiectiuis potiſſimum nominibus primę & ſecundæ declinationis ducuntur,ut oratoriè, diſertè,aptè,diſtinctè,ornatè; uel à tertiæ ut eloquẽter,humiliter,prudenter,ſuauiter. Hæc tam multa ſunt, quam ipſa adiectiua unde naſcuntur. Omnibus enim ferè ab adiectiuis huiuſmodi aduerbia ſunt. Bene tamen & male paulo aliter fiunt quam cætera, & temerè nomen adiectiuum non habet unde natum ſit. Pauca primæ declinationis & ſecundæ, bina ex ſe aduerbia faciunt, priora, ex analogia,altera,quemadmodum tertiæ declinationis, ut à ſyncerus ſyncerè,& ſynceriter; à durus durè & duriter, auarus auarè & auariter, ignauus ignauè & ignauiter, fraudulentus frandulentè & fraudulenter, luculentus luculentè & luculenter, à truculentus truculentè & truculenter: item ab alijs uiolentè & uiolenter, humanè & humaniter & humanitus,turbulentè & turbulenter,cõmodè & commoditer, à nauo nauiter, & a tertia declinatione dulcè & dulciter. Pauciora ſunt tertiæ, unde aduerbijs utimur etiam quemadmodum ſecundæ,ut à repens repentè,ab hilaris hilarè,à facilis facilè,tametſi hilarus etiam dicatur unde eſſe potuit hilarè. Humanitus autem, ut iam dixi, & ſtirpitus, & radicitus, & cœlitus, & funditus, & medullitus,& penitus, & huiuſmodi cætera poſſis inter localia numerare,ut ita naturaliter differant diuinè & diuinitus, tametſi diuinitus etiam aliquid factum, uel ſcriptum eſſe dicere ſoleamus. Eſt etiam mordicus & ſiquod reperiatur aliud ſimile, ſed hoc unum ſi propriè dicitur ad qualitatis, ſin ex trãslatione ad ſimilitudinis aduerbia referatur. Secundæ autem declinationis pauca inciſè & inciſim ſtrictè & ſtrictim,iunctè & iunctim ſeparatè & ſeparatim,priuatè & priuatim, faciunt ſyllabas aduerbiorum ultimas. A ſubſtantiuis nominibus, ſi ueterum propria ſint familiarum, aut ſimilem ijs formam ſeruent, aduerbia faciunt quemadmodum adiectiua. Nam

ipſa

ipſa quoq; tria in genera declinantur, ut Terentius Varro, Terentia domus, Terentium genus. Quare ſunt ab his aduerbia, Terentianè, Tullianè, Virgilianè, Salluſtianè, Liuianè. Sin ea ſint quæ appellatiua à grammaticis nomina dicuntur, aduerbia, ab ijs in tertiam uocalem, ſecundamq; liquidam inclinantur, ut generatim, ſpeciatim, uiritim, paſsim, imbricatim, punctim, particulatim, ubertim, niſi hominum ſint appellatiua quæ ut proxima ſuperiora faciunt aduerbia paternè, maternè, fraternè, quemadmodum à præpoſitionibus quibuſdam ſupernè, & infernè. Alia ſunt à uerbis, ſtatim, curſim, certatim. Alia uel in ſecundam cadunt uel in quartam uocalem, certè & certò, improuisè, & improuisò, falsè & falsò. Alia in primam, ut recta tranſuerſa. Rite à nomine ſubſtantiuo breui ſyllaba poſtrema quemadmodum impunè. Ex neutris omnibus comparatiuorum, nulla mutatione literarum fiunt aduerbia comparandi, ſono tãtum uocis ultimam ad ſyllabam tranſlato, ut fortiùs, iuſtiùs, amantiùs, ardentiùs. Idem fit ex neutris generibus ſuperlatiuorum, ut fortiſsimum, iuſtiſsimum, amantiſsimum, ardentiſsimum, in fortiſsimè, iuſtiſsimè, amantiſsimè, ardentiſsimè conuertamus. Alia cadunt ultimam in uocalem ſequẽte liquidarum ſecunda, Actuium, Primũ, Poſtremum, ut eandem in uocẽ accuſandi caſus ueniunt illa græcorum τὴν πρώτην, τὴν ἀρχήν, τὴν ταχίστην apud quos ubiq; mille ſunt qualia Xenophontis; ὅταν δὲ ἐντὸς γενώμεθα, τὴν ταχίστην ἄγετε ἐπὶ τὰ βασίλεια. Illa quoq;, iuſtũ eſt, par eſt, æquum eſt & plurima huiuſmodi à me ante ſignificata quùm de modis uerborum infinitis admonerem, inter aduerbia, aduerbiorumue ſignificationes, atq; naturas, minimè equidẽ numeranda exiſtimarẽ, ſi ad genus aliud referri poſſent. In his.n. illa etiã ponuntur, opus eſt, ſatis eſt, neceſſe eſt, quæ & ſi nomina antea fuerunt, ut etiã ſatis flagitij, & ſatis iniuriarũ dicere ſoleamus, eſt ĩ uſu tñ, ſatis uixit, ſatis laboratũ eſt, ſatis criminoſè, uel atrociter accuſare, ſatis lõgè fugatos eſſe hoſtes: neceſſe aũt, & ſi à noĩe deſcendit, neq; uſum tñ habet ullũ nominis, neq; uocẽ aut formam: quod autem ex his primum feci opus eſt, ut oĩa habeat ex noĩe, tractationẽ quidem illius hic non habet, ſed uel rectum caſum, ut; Dux nobis & auctor opus eſt, uel ſextũ ut magna uirtute opus eſt & prudentia ſingulari, uel quartũ ex ratione infiniti ut Orator ad Atticũ; Dices mihi nummos opus eſſe ad apparatũ triumphi. Quamobrem dixerunt bene literati quidã homines, hæc potuiſſe aduerbia ὑπαρκτικὰ nominari, qđ ſemper uerbo eſſentiæ cõiuncta ſint, ut opus eſt, ſatis eſt, neceſſe eſt, nec alijs id aduerbijs coniungi uerbũ poſsit, niſi apud

apud ueteres comicos, ut ſic homo eſt: ſic uita erat. Accedo nunc ut ſiquid habent ſingula momenti ad ſermonis latini elegantiã, id breuiter exponã. Illa.n. præteribo oĩa quæ nimis eſſe in præceptis aliorum omnium trita, faciliaq; etiam pueris uidebuntur, ut neq; uulgatiſsima perſequar oĩa & tamen inſtituto Romanæ linguæ totius amplectendæ non deſim. Sed illam hoc loco mihi peto dari ueniam, ut uel parcam multitudini exemplorum quoadeius fieri poteſt, uel toties auctorum nomina, uitandi faſtidij gratia non ubiq; ponam, uel noſtra ipſorum aliquando breuiora exempla ad res accommodem, ubi præſertim exemplis docere magis quam auctoritate argumentisq; uincere neceſſe ſit, & deniq; ex media ueterum latinitate proferri à me omnia credantur.

Aduerbia numerorum.

Primum igitur de numeri aduerbijs, illud ſemel eiuſmodi habet in oratione locum ut pro omnino, prorſusq; dicatur, ut; Antonius ſemel induxit animum, ſibi licere quod uellet. Item pro primum, ut; ſæpius à te pater eſt occiſus, ſemel quum domo expuliſti iterũ cum inimicis illum hominibus commendaſti, poſtremò quum inſepultum reliquiſti. Etiam ſic; ſemel iterum ac ſæpius te conuenire ſtatueram. Adhuc alio ſequente aduerbio, ut; Quum ſemel tuam fidem expertus eſſem prouidendum fuit ne ſecũdo abs te rideri poſſem. Dicitur ſemel ijs etiam de rebus quæ per naturam retro commeare amplius non poſſunt, ut ſemel uita, ſemel uirginitas amittitur. Sequuntur, Bis, Ter, Quater, Quinquies, ac deinceps uſq; ad decies, & hinc ad uicies, ad Quinquagies, ad centies, ad Millies, Deciesmillies, Centiesmillies, & infinities centies millies, quæ nihil habent præcipuum quod hic à me notari ualde interſit, niſi placeat adiungere hæc ex his eſſe quæ ſunt in auctoribus uulgata decies H S, uicies, tricies, quadragies, octogies, centies, trecẽties, & millies quoque HS, quæ præceptores hoc loco, aut ubi uidebitur eſſe commodius admonebunt. His & ſimilibus toties & quoties ante nouiſsimam conſonantem, poni tertiam de liquidis, equidem Flauio Capro, magnisq; alijs auctoribus, debere non putaui. Illorum quoque Bipartito, Tripartito, Bifariam, Trifariam, ſimiliumq; omnium, ſunt obuiam ubiq; exempla, in quibus hærere nemo poſsit. Iterum uerò Secundum, Tertium, & quæ ſequuntur, mutato ad ſyllabas ultimas accentu, quoties eundem magiſtratũm, aut imperium quis geſſerit oſtendunt; ut Graccho iterum Conſuli Cenſuræ cupiditas iniecta eſt. Pompeio tertium Conſule de cæde in uia Appia quæſitum. Sic M. Tullius, ſic Romani, ut in tertio de Natura Deorum; Cur

enim Marius tam feliciter ſeptimum Conſul domi ſuæ ſenex eſt mortuus?

Aduerbia Ordinis. Secundi loci aduerbia fuerunt, Ordinandi, Primum, Deinde, Tum, Deinceps, Dehinc, Exin, Poſtea, Præterea, Præpoſterè, Subinde, Deniq;, Poſtremo, ut; Vbi primum acceſsi ad urbem atrociſsimis amicorum literis ſum percuſſus. Ego tibi obuiam non prodirem, primum Appio Claudio, deinde Imperatori, deinde more maiorum, deinde (quod caput eſt) amico? Sic etiam; Vos mihi rem indicare noluiſtis primum collegæ, deinde beneuolo, poſt familiari, tum ad extremum conſilij illius auctori. Deinceps refertur ad res quarum una alteram ſequitur, ut; Sed tamen treis fratres quos deinceps tribunos plebis per triennium uideo fore, te nolo habere inimicos. Aliquando ad tempus, ut; Cupio deinceps eſſe meliora. Sæpius non amiſſa ſignificatione ſua, tamen pro deinde poſitum uideri poteſt, ut; Primum eſt officium, ut ſe conſeruet in naturæ ſtatu, deinceps ut ea teneat quæ ſecundum naturam ſint. Exin, & Exinde ita propemodum utimur ut deinde, ubi non plurium ut ſupra, ſed duarum rerum, duorumue temporum diſtributio eſt. Communia enim ſunt quædam ordinis aduerbia atq; temporis, quorum de genere ſunt etiam Subinde, Poſtea, Præterea, Deniq;, Poſtremo quorum ubiq; ſunt in promptu exempla: Sed quartum ex his quùm dicitur, Tum deniq;, uidetur non multum differre, nec ſanè multò minorem uim habere quam illud eſt quod ad proximum librum reſeruaui, Tum uerò, ut Cicero in Antonium; Loquere cum ſapientiſsimo homine genero tuo ſæpius quam tu ipſe tecum, tum deniq; ampliſsimi nomen obtinebis. Eſſe in his poteſt Cæteroqui aut ſcribere ſi malis cæteroquin, ut; Non poeta ſolum ſuauis, uerum etiam cæteroqui doctus ſapienſq; traditur. Nec ſunt obſcuriora quæ tertio

Iurandi. loco poſuimus ad iurandum pertinentia, Aedepol, Caſtor, Hercule, Mediusfidius.

Affirmandi. Quartus erat locus affirmandi, quorum illud Quippe ad cauſas etiam, & rerum approbationes refertur, ut; Nemo bonorum affuit in Senatu; quippe de ignominia eius ordinis eo die referendum erat. Præponi ſolet relatiuo pronomini, ut quippequi, quippequos etiam cōiunctioni Quum, ut; Recuſaui tuas orationes legere, quippe quas non probabam. Intereſſe tuis nuptijs non poteram quippequi grauiora tua negotia ſuſtinerem. Excuſationem accepi tuam quod non ſcripſeris, quippe quum ſimili ex cauſa rariores ad te meę literæ fuerunt. Idem prorſus de utpote poſsim dicere; Quale eſt, utpo-

utpotequi,utpotequos,utpotequam. Certè,iungitur ſæpe cum alijs affirmandi uel aduerbijs,uel coniunctionibus,ut certe quidem. Certe enim & ordine mutato; Cupio enim certe te uidere quamprimũ. Certe enim hoc negare nemo audebit. Adhuc addita Quidem,ut; Cupio quidem certe. Nam certe, ſiquis erubeſcendum hic non credit,ei non ſatis magna ſcelera uidentur quæ commiſit. Ponunt hãc, & ſimiles,Comici ſæpe cum ijs quæ pertinent ad iurandum. Mille enim ſunt eiuſmodi;

Certè ædepol niſi me animus fallit aut parum oculi proſpiciunt
Meæ nutricem gnatæ uideo.

Dicitur etiam certo, ſed uerbo ſciendi plurimum adiuncto, ut;Hæc te non dubitare certo ſcio: quo in loco etiam Certe, ueteres dixerunt. Eſt etiam Certe,pro ſaltem,ut; Hæc ſint falſa ſanè,inuidioſa certè non ſunt. Dicimus eodem ſenſu At certe,ut; Tibi conſilium dabimus, quod ſi non fuerit ualde prudens, at certè ab optima fide proficiſcetur. Nempe ad reſponſiones potiſsimum approbationesq; rerum adhiberi ſolet, ut; Quid ergo tulit? Nempe ut quæreretur. Si dat tantam pecuniam Flacco, nempe idcirco dat, ne rata ſit emptio. Idem Cicero in Verrem; Poſſumne rem magis iudicatam afferre, magis reum condemnatum in iudicium adducere? At quorum iudicio condemnatum. Nempe eorum, quos ij qui ſeueriora iudicia deſiderant,arbitrentur res iudicare oportere. Tale eſt etiam illud;

Dictum puta:
Nempe ut curentur rectè hæc.

A Certe & Nempe nõ ualde omnino abeſt, Nimirum,niſi forte hoc interrogationibus reddi non ſoleat,ut;Hoc nimirum eſt illud,quod non longe à gradibus hæc cauſa dicitur. Videlicet, neſcio an legerim,ubi non poni aptiſsime loco eius Nimirum poſsit, ut; Vix tandem legi literas Appio dignas, plenas humanitatis: aſpectus uidelicet urbis tibi tuam priſtinam urbanitatem reddidit. Scilicet autem, aliquando pro Videlicet, ut; Eſt ſcilicet utriuſq; rei modus ſicut reliquarum. Sæpius uerò pro Certè; aut Quidem, ut; Quamquam te ipſum ſcilicet maximè, tamen etiam literas tuas ante expecto. Ponitur ad rerum quoque expoſitiones, ut; Lecta epiſtolâ tua, de Atticæ febricula uidelicet, ualde dolui. Pro eo etiam quod ſæpe dicitur, ſi Dijs placet, ut; Scilicet hæc Panſa non uidit, &;

Scilicet hic ſuperis labor eſt.

Enimuero pro Certè,ſiue ordinem, ſiue ſenſum, ſiue ſtructuram ſpectes,ut; Enimuerò ferendum non eſt, &;

Enimuerò Daue nihil loci eſt ſegnitiæ.

Eundem habet uſum Vtique, ſed ſæpius pro Omnino,ut; Faba Pythagorei utique abſtinuerunt. Cum Valde coniuncta eſt Næ, ut; Næ iſta glorioſa ſapientia, non magno æſtimanda eſt. Ponitur etiam alijs cum aduerbijs, ut; Næ ille medius fidius uir ſapiens, lætus morietur.

Negandi. Quinto loco poſui,quæ ad negandum pertinent, quorum Nil & Nihil quæ ſunt notiſsima relinquam. Niſi fortè illa huc pertinent quum dicimus; Nihil propius factum,quam ut homo innocentiſsimus occideretur. Nil mihi fuit potius quam ut Maſsiniſſam conuenirem. Nihil habui antiquius quam ut rebus tuis proſpicerem. M. Tullius in Antonium; Nihil unquam longius Cal.Ian.mihi uiſum eſt Patres conſcripti. Non,ſimplex negatio eſt, Nec & Neq;,præter negationes uim habent etiã cõiungendi,tanquã ſi dicas ET NON. Hinc, publica in loquendi conſuetudine dicimus.Furnium noſtrum tanti à te fieri quantum ipſius humanitas & diligentia poſtulat,nec miror,& gaudeo. Apud antiquos autem; Nec, ſimplex negatio habita eſt quos interdum ſolet Cicero imitari, ut libro tertio de legibus; Magiſtratus nec obedientem & noxium ciuem mulcta, uinculis, uerberibusq; cohercento. Terentius autem Scaurus addidit etiã Ne,eandem fuiſſe uim quæ tum erat in Nec, idq; probat argumento uerborum quibus ea nunc præponitur, neſcius, nefrendes, neſapus, ac ſimilium, ut negligens, nefandus, in quibus Ne pro ſimplici negatione ideſt loco eius quæ eſt Non utimur. Obſeruatum hiç eſt, pari negationum numero aientem orationem fieri, ut; Nemo hæc non audiuit,impari negantem,ut;Nemo tibi affuit. Ergo ſi tres negationes erunt,ſimiliter negans oratio fiet,atq; ſi foret una,ut;Neq; uerò ego non poſſum improbi hominis amicitiam non contemnere. Illas.n.intelligo negationes eſſe plures in quibus una ſententia unumq; uerbum negatur. Nam quod illa duo Nec & Neque ſæpius eadem in oratione repetita ſint alia tamen uerba reſpiciũt aliaſque ſententiæ particulas auferunt & (quod caput eſt) non tam negandi quam coniungendi gratia adhibentur. Coniunctio enim his ut iam dixi inſita eſt à natura, ut ſine ea intelligi non poſsint. Eſto igitur ille M.Tullij locus; Quapropter in priuatis rebus nullum neq; officium,neque ſtudium meum deſiderabis: quæ ſententia erit prorſus

eadem,

eadem, ſi negatio ex his una ſublata ſit, ut; Neque officium neq; ſtudium meum deſiderabis. Hoc accidit quia non eadem uis negandi in his quę in cęteris. Quanquam uerò tres maneant uel quatuor, uel plures, non tamen plus habent momenti quam ſi una eſſet. Sit ergo propoſitum nobis exemplum ubi ſæpius alterutra ponatur, ut; Nulla.n.uitæ pars, neque publicis in rebus, neque priuatis, neque forenſibus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas uacare officio poteſt. Vna profectò hic negatio eſt, ſex uerò coniunctiones. Nam de ſententia nihil mutatur omnino ſi coniunctiones ipſas negationum loco ponas, ut; Nulla.n.uitæ pars uel publicis in rebus, uel priuatis, uel domeſticis, uel forenſibus, uel ſi tecum agas quid, uel ſi cum altero contrahas uacare officio poteſt. Ergo negantias, more dialecticorum, ideſt exquiſito illo & certo cognoſcere ſi uouolumus, duo hæc negationum genera diſtinguere oportebit. Nec prætereundum illud, negans poni uerbum aientis loco uenuſtiſſimè illo in genere ſermonis quod apud Ciceronē eſt tertio libro de officijs in principio; Quod quum omnibus eſt faciendum qui uitam honeſtam ingredi cogitant, tamen haud ſcio an nemini potius quam tibi. Poſuiſſet hic aliquis, ex aientibus aliquod uerbum, ut; Haud ſcio an alicui potius quam tibi. Nequaquam in totum negat ac ſi dicatur; Minimè gentium; Minimè omnium, ut; Nequaquam à boni uiri amicitia diſcedendum fuit. Huic non diſſimile eſt Neutiquam ut poni alterum loco alterius poſsit, quemadmodum Fruſtra, haud quaquam, Incaſſum, & nequicquam, ſibi mutuò reſpondent, ut; Fruſtra quærere, Incaſſum laborare, Nequicquam ſperare. Haud, rarò ſimplicem negationem efficit, ut; Haud hæres eſt Cluentius. Haud poteſt grauioribus à me uerbis uulnerari: nam ſæpius eſt cum uerbo ſciendi apud oratores & leuis ac dubia quædam negatio eſt, ut interdum potius affirmare uideatur, ut Cicero de Ariſtotele loquens quinto libro de finibus in principio; Quem, excepto Platone haud ſcio an rectè dixerim principem philoſophorum. Haudquaquam uerò animaduertes dici pro Nequaquam. Quin & Quominus puerilis notitiæ ſunt, ut;

: Non dubium quin uxorem nolit filius.

Teneri non poſſum quin ſtudia, ualetudini anteponam. Cauſæ nihil dico quin ſupplicium ſumas. Dies nullus erat quin ad te uenirem. Subſtituimus etiã ſæpe, Vt pro Quin, ſicuti mille ſunt eiuſmodi exēpla, ut; Ruere illa non poſſunt, ut hæc non eodem motu labefactata concidant.

concidant. Quin & Quominus neq; ſæpius eundem tenere locum, neq; prorſus nunquam poſſunt. Dependet autem hoc ex aliorum quidem generum uerbis aut nominibus, ſed plurimum tamen ab ijs quæ ad impediendum quoquo modo pertinent, ut; Nihil de me tuliſtis quominus eſſem in ciuium numero. Huc refer Quin etiam, ut, Delectatio nulla extitit: quin etiam miſericordia conſequuta eſt. Nedum, uel duo uerba poſtulat, ut; Ne uox quidem aliqua prolata eſt, nedum oratio audita non fuit: uel unum, ut; Ne uox quidem aliqua, nedum oratio audita non fuit. Sublatis autem negationibus, ut; Ibi uerò etiam tumultus, nedum altercationes fuerunt. Hinc apparet ſi negans oratio ſit, quod eſt minus in principio, ſin aiens in fine collocandum eſſe. Quod ſi per Non ſolū, Non modo, uel Non tantum loqui uolumus, meminiſſe oportet, aliam ordinis rationem, & alias rerum comparationes eſſe debere. Solis enim eiuſmodi in rebus, Nedum ponimus ubi aliud alio maius fuerit: illa uero tria, & in maiorum, & parium comparatione collocantur. Sed toto de genere negationum, illa quoque nobis ueterum exempla proponemus ad imitandum, è quibus illud eſt Ciceronis in Lucullo; Nemo unquam ſuperiorum non modo expreſſerat, ſed ne dixerat quidem, poſſe hominem nihil opinari. Hic negandi uis eſt in membro etiam ſuperiore: ſimiliter omnino atq; ſi dictum eſſet; Non modo non expreſſerat, ſed ne dixerat quidem. Ita mos eſt optimis tantum auctoribus loquendi: non quod aliter ij non debeant, ſed quod ſciant hoc etiam genus eſſe pulcherimum. Sublata igitur priore ex membro negantia, tamen id ita omnino ut poſterius, tota ui negandi, etiam ſi occulta, eſſe præditum uolunt. Auctor idem libro ut opinor tertio de legibus; Quæ res quum ſapientiſsime conſtituta eſſet à maioribus noſtris, nihil habui non modo multum quod putarem monendum: unde palam fit, licere non à priore tantum, ſed alterutro ex membro negationem abeſſe, quum duo quædam in oratione inſunt e quibus alterum ſit maius altero, ut; Marius uerò non modo à ſenatu, ſed etiam oppreſſo ſenatu eſt reſtitutus. Hoc ipſum poteſt & fieri conſueuit etiam quo in loco unius membri oratio ſit, quo modo ad Quintum fratrem; Quod abfuiſti uereor ne ſatis diligenter in ſenatu actum ſit de literis meis: illud enim Cicero uerebatur ne non ſatis diligenter in ſenatu ſuis de literis actum eſſet. Quam plurima hic recitarem exempla, ſi intelligerem oportere. Sed illud mihi uolo eſſe perpetuum, ut qui hæc legent, nihil me præcipere arbitrentur quod non conſuetum

perfe-

perfectumque ſit, & à uulgo, aut libris grãmaticorum potius quam ipſis ex Romanæ linguæ ſummis auctoribus acceperim. Pares duas negantias contra quam ego à principio dixi, pro una græci ſolent accipere. Sic enim uulgo loquuntur omnes ut illud eſt Xenophontis exemplum; ἀλλὰ θάῤῥει ἴσθι ὦ κῦρε, ἐμοὶ σε κρύψω, πρὸς ὅντινα βούλομαι ἀφικέσθαι. Vide tamen ſiquid eſt reliquum huius generis negantiarum. Eorundem ſunt igitur ex fontibus quæ nuſquam non occurrunt; Vereor ut poſsis efficere: Vereor ut par eſſe queam: Vereor ut conſilia hæc proſint, quemadmodum Terentius in Andria;

Vereor ut ſubſtet hoſpes.

Idem alibi

Dies mihi hic ut ſatis ſit uereor,

Ad agendum.

Hic ne ſignificatis quidem negationibus, negans tamen ipſa oratio efficitur. Quem uerò ſenſum affirmandi una fieri negatione uidimus & item ſæpius nulla, eundem, alio in genere loquendi duabus eſſe factum cognoſcemus, ut Orator in Catilinam; Si te iam Catilina comprehendi, ſi interfici iuſſero, credo uerendum erit mihi ut nõ potius hoc omnes boni ſerius à me, quam quiſquam crudelius, factum eſſe dicat: pro Milone; Metuebam ſcilicet ne indicaretur, ne dolorem perferre non poſſent. De lege Agraria; Pertimeſcam credo ne mihi non liceat contra uos conſiſtere. Adhuc diuerſo quodam modo omiſsis uerendi, metuendi, ac timendi uerbis ut uide ne non eadem ſit illorum cauſa, & ſtoicorum: idem pro M. Marcello M. Tullius: Si iſta uita tibi commodior eſſe uideatur, cogitandum tamen ne tutior non ſit. Alia oratio, aliaq; ſententia eſt quum ſic loquimur quemadmodum Terentius.

Vlciſcar te ut ne impune in nos illuſeris:

& ad Lentulum Cicero: Non tam ut te impedirent, quam ut reliquis propter exercitus cupiditatem Alexandriã uellet ire. His de exẽplis quæ poſſem afferre quam plurima, ſi auferas Vt, nihil de ſententia mutabitur. Vt autem negans oratio eſt ſublata ut iam docuimus altero ex mẽbro negãtia ſic aiens remanet, ſi eadẽ ſuperuacanea apponatur, ut in Verrẽ M. Tullius; Quid uerò illa ſegeſtanorũ, nõ ſolũ literis tradita neq; cõmemorata uerbis, ſed multis officijs illorũ uſurpata & cõprabata cognatio? quos tandẽ fructus huiuſce neceſsitudinis in iſtius imperio tulit? Hic nonũ illud uerbũ quod eſt Neque, non plus efficit quam ſi Aut coniunctione aiens alia poſita fuiſſet.

AA Sed

Sed pergam alia exponere. Sexto fuerunt quę euentus nominantur, Forte, Fortuito, Fortuitu, ut, Forte accidit ut per eos dies adeſſe non potuerim. Superior ætas numero caruit, niſi ſiquando temerè ac fortuitò. Idem Cicero in Antonium; Quod uerbum tibi non excidit (ut ſæpe fit) fortuitu, ſed ſcriptum, meditatum, cogitatum, attuliſti.

Euentus.

Dubitandi.

Septimo dubitandi, Forſan, Forſitan, Forte, Fortaſsis, Fortaſſe, An, Ne, Necneue, Neue, Vel, Seu, Nunquid, Eccubi, Nuncubi, Nunquando, Ecquando, ut;

Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit, &

Forſitan & Priami fuerint quæ fata requiras.

-Si forte tuas peruenit ad aures.

Sed ego fortaſsis uaticinor, & hæc meliores habebunt exitus. Fortaſſe, quum Romæ, à iudicijs forum refrixerit, excurremus Menſe Septembri legati ad Piſonem. An, Ne, Necne, & interrogandi, & huius etiam poſſunt eſſe loci, ut; Neſcio an redierit adhuc Varro. Quęro fueris ne armatus cum telo? Dubium eſt uelit necne uxorem Pamphilus. Huic autem ſiue aduerbio, ſiue coniunctioni, ſæpe anteponimus Haud, quale Oratoris eſt quod paulo ante recitaui exemplum; Quod quum omnibus eſt faciendum, qui uitam honeſtam ingredi cogitant, tamen haud ſcio an nemini potius quam tibi. De Ariſtotele idem auctor; Quem haud ſcio an recte dixerim principem philoſophorum. Adhuc alio quodam loco; Tibi non minus, haud ſcio an magis etiam hoc faciendum eſt: quibus in locis ubi aiens, aut negans oratio fiat recte uidendum erit. Equidem hic nimis putaui eſſe uulgare genus illud;

Haud equidem tali me dignor honore.

Verum de his infra dicetur, Eccubi etiam. Nuncubi, Nunquando, Ecquando ad temporis aduerbia referenda ſunt. Illud, Ve pro aut eleganter ſic boni auctores accipiunt; Bis, terue ad ſummum à te accepi literas: amici Regis, duo, treſue perdiuites ſunt: quid quùm decreuiſtis, ut conſules alter amboue ad bellum proficiſcerentur? Poſtremo, Vel, quùm pertineat ad diſiungendum, habet illum quoque uſum elegantiæ quum ſignificat Etiam, ut; Vel perire malim quam contumelias ferre. Illud uerò elegantius, quùm una re aliqua omnium apertiſsima aut maxima aduerſarium auditoremue ita urgemus, ut Simo Dauum in Andria;

Vel hoc, quis non credat, qui te nouit, abſte eſſe ortum?

Octauo interrogandi Cur, Quare, Num, Quin, Nonne, Quamobrem, Quapropter, Quomodo, Quidnā, Quidni, Quidtum, Quidita, An, Ne, Necne, ut; Cur innocentem accuſas? Quare amicum laceſsiſti? Quamobrem à patre diſceſsiſti? Quapropter officia contemnis? Quomodo ſaluum te putas fore? Quin te reſpicis aliquando? Num latere manifeſtum ſcelus arbitrare? Quid? Præmio dignam putaſti crudelitatem tuā? Quid grauiora cōmemorem? At imprudens non nulla commiſiſti: quid tum, quando ſceleratè facta placuerunt? Sed quædam correxiſti: quid ita? Nempe quia tibi ad maiora ſcelera uiam præcludebant. Verum plurimi te homines læſerūt: quidni? Quos tu grauiſsimis iniurijs ante affeciſſes: Eratne ſcelerati hominis cuiuſquam res tam nefarias cogitare? An ullo in tēpore factum aliquid ſimile putamus? Vtrum audaciam tuam, an patientiam noſtram eſſe maiorem arbitramur? Tuæne domus an ciuium reliquorum odia ſuſtines maiora? Deprehenſum te ſpectante populo in re turpiſsima confiteris necne? Hæc ipſa & plura quoq; interrogandi aduerbia tribus modis pronunciantur. Neceſſariò.n. ad quas iam dixi dubitationes referri ſolent omnia, ut; Neſcio quamobrem accuſer. Poni ſolent infinitè, ut; Quamobrem accuſer, apud uos exponam breui. Deniq; referuntur ipſas ad relationes, ut; Cauſa nulla erat quamobrem accuſarer, &; Nihil erat cur te læſum crederes, ut in Verrem Cicero; Quid ſi ab Apollonio aliquid commiſſum eſt, quamobrem iure in eum animaduerteretur? Ac ne mirum ſit quatuor, non nullis aduerbijs eorum quæ dixi ſignificationes datas eſſe, illud etiam dici poteſt, Quamobrem, Quare, Quapropter, quintā ſignificationem dari, quoties concludendi uim habent, ut; Res mihi erat cum homine furioſo: quamobrem reprehendi non debeo quod pertimuerim. Sunt autem coniunctiones hoc loco magis quam aduerbia. Nec difficile erit cuiquam hæc omnia diſtinguere, & alia adhuc exempla præter iam dicta colligere ſingulorum generum. Illud etiam omnes intelligunt in his diuerſarum ſignificationum aduerbijs eſſe plura quæ à pronomine relatiuo Qui, Quæ, Quod proficiſcuntur. Sunt quidem alia, ut interrogandi;

Interrogādi.

Cur ſimulas igitur?

& referendi;

Quid igitur obſtat cur non uerę fiant?

Sed nata unde iam dixi, aut temporis ſunt aut loci præcipua. Hic addam quod ueteres etiam doctiſsimi ſcripſerunt, graui hæc omnia

ſono uocis pronunciari ſemper, niſi quum aduerbia ſunt interrogandi. Sed commune eſt hoc uerbis etiam omnibus quæ ad interrogandum pertinent, ut ſint acuta ſyllaba ſecunda uel tertia antecedente primam, tametſi aliud interdum ſyllabæ poſtulet natura. Quanquam uerò non uno modo hæc ab omnibus tradantur, ut mihi in libris etiam doctorum hominum uideantur aliquid eſſe corrupta, uel mutata, uocis tamen quadam natura, ac ſono cognoſcuntur hæc, etiam ſi præcepta nón extarent. Vt enim alia multa nō dicam, norunt etiam rudes literarum aliter pronunciari omnia ſi ad interrogandum, quam ſi ad infinitatem, uel relationem pertinent. Vidit hoc decimo quinto libro Priſcianus, Quando & Vbi, & Vnde, cæterá huiuſmodi & pronomina, & nomina quædam quæ naturaliter ad interrogationes referuntur, acuta uoce ſecundas uel tertias à poſtrema ſyllabas dici debere. Nec difficile fuit hoc uidere quod aurium ſenſu potius quam ratione artis iudicatur. Neque enim ſubtili dimenſione ſyllabarum uel acuta ſyllaba uel grauis cognoſcenda eſt: immo enim diſsimulata ea ratione, ſæpius uel acuta grauatur, uel circumflexa acuitur. Nam ubi ex duabus breuibus per naturam, acuta prior eſſe debuit, ut huiuſmodi in relationibus.

Sæuus ùbi Aeacidæ telo iacet Hector, ùbi ingens
Sarpedon, ùbi tot Simois correpta ſub undis

Rectè auctor idem animaduertit, neceſſario eam ſyllabam grauem eſſe oportere. Contra etiam Vnde ſequente correpta quod in ſe eſt circumflectit longam priorem, at quoties referendi eſt accentum habet grauem, cui locus in ea ſyllaba eſſe non debet, ut;

Genus unde latinum.

Sin ad interrogandum ponitur eundem habet acutum, ut;

Vnde hæc ò Palynure tibi tam dira cupido?

Quamobrem niſi hæc falſa ſunt, & is auctor quem dixi naturam in hoc ſequi non debuit, acuta uox pro circumflexa in his erit interrogationibus, Quale, Quantum, & alijs huiuſmodi compluribus. Ac ne ſim longior, uidetur mihi hoc loco non tam accentus reuera uel acutos, uel graues, quam ſublationes demiſsionesq; uocis dici conuenire, ut eo in loco apud Terentium accidit;

Regem me eſſe oportuit.

Admonet hic rectiſsimè Aelius Donatus, illud Me, natura circumflexum, quo apertior diſtinctio eſſet, perſonarum ſerui ac Demiphonis acuto ſono pronunciandum eſſe.

De

De aduerbio, Quando, poſſunt exempla afferri illuſtriora. Sic enim illud;

Quando hæc te cura remordet,

itemque aliud;

Quando erit ut condas inſtar Carthaginis urbem?

Tam hebes eſſe poteſt quiſquam, ut quanto alia uoce, in illo, quã in hoc, prior ſyllaba dicatur, non uideat?

Nono, hortandi, Eia, Age, Agite, Matte, Ageſis, Quæſo, Amabo, Sodes, Agedum, ut Virgilius; *Hortandi.*

Eia age care pater, ceruici imponere noſtræ,

Omnia præter Ageſis modo imperatiuo unitatis, aut multitudinis iūguntur, quorum ſunt uulgata in puerorum manibus exempla.

Decimo fuerunt eligendi, Quin, Immo, Satius, Potius, ut; Quin ea potius malui quæ nihil proferunt. Quæ habebas amiſiſti omnia; quæ habebas autem? Immo uerò & quæ ſperare potuiſſes. Sunt uerò hæc aut eligendi, aut corrigendi, quæ ἐπανορθώσεις nominantur, ut; *Eligendi.*

Qui tu uno uerbo dic

Qualia eiuſmodi ſunt exempla;

Quin tu aliquid ſaltem potius quorum indiget uſus?

Quin tu te reſpicis; Quin tu remoues iſtos gladios?

Vndecimo prohibendi, ut Ne, cuius ubique ſe offerunt exempla, ut; *Prohibendi.*

Ne pete connubijs natam ſociare Latinis.

Nos uerò ſic hodie loquimur; Ne diſcedas ab auctoritate & more maiorum. Ne permittatis homini iuſto & ſancto iniuriam fieri. Quintilianus etiam eſt auctor; Ne feceris rectum eſſe at, non feceris, dici non oportere. At poetæ quidem omnes, etiam comici, & hiſtoriarum ſcriptores, dicunt etiam Ne diſcede, Ne permitte, ex uſu uetere loquendi. Hinc ille ſermo in lege Romuli; Nocturnas in templo uigilias ne habento. In legibus quoque duodecim tabularum ita ſemper ſcriptum eſt; Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neue urito. Apud M. uerò Tullium non uideor mihi adhuc inueniſſe aut recordari ubi hoc aduerbium præponatur imperatiuo, niſi ſiquando antiquitatem in eo ſibi is proponit imitandum, ut ſecundo libro de legibus; Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter illa quæ pro populo rite fient, neue initianto, niſi ut aſſolet Cereri, græco ſacro. Eſt enim ſermo proprius leges condentium, uel teſtamenta. Cognitum eſt ſupra, huius particulæ

 multos

multos eſſe nec eorundem generum intellectus. Pertinet.n.uti iam diximus ad utendum,negandum,dubitandum,interrogandum. Immo etiam (quod reliquum uidetur) ſignificatus habet aliquando eiuſmodi, quos nullo pacto queas referre ad ſuperiora, inter quos eſt; Crudelis Caſtor, ne dicam ſceleratum & impium. Et ſi enim figura hæc loquendi nullum ad genus ex his quæ dixi, ac ne hunc ipſum quidem ad locum,ſatis propriè accõmodetur, quia tamen ut res eſt à uerbo Ne, ſeparari non poteſt, includere huc uolui, quæ eã de loquutione dici poſſent. Itaq; præcipiunt hoc loco, ſi nomẽ ſubſtantiuum anteponas,ſceleratum & impium accuſatiuo caſu dici conuenire: ſin id nomẽ reſerues ad extremum,potius nominatiuo,ut; Crudelis, ne dicam ſceleratus & impius Caſtor. Rectè homines docti utrunq; ſcripſerunt. Quare ego quidem illud moneo tantum,ſi uerbum ſubſtantiuum terminet orationem,aut abſolutum, aut alioqui ſignificationis paſsiuæ,non licere in accuſandi caſu illum Ciceronis locum imitari. Ita.n.potius loquendum erit; Crudelis Caſtor,ne dicam ſceleratus & impius fuit. Verboſior oratio, ne dicam inepta & petulans iudicata eſt. Obſcurus omnino & pauper, ne dicam turpis & infamis uixiſti ſemper:quas orationes contra quam ſuperiores dici, natura cogit uerborum. Quod ſi alius caſus antecedat quam rectus,non ferè cogimur uerbi quamuis actiui rationem ſequi,ut; Negotium dederat familiaribus neſcio quibus. Amici rationem ſibi eſſe habendam ſimulabat neſcio cuius. Veneram quo tu uoluiſti die. Præceptore uſus eſt neſcio quo imperito homine, impuro atq; agreſti,ut M.Tullius pro Milone; Diuiſa ſententia eſt poſtulante neſcio quo, nihil neceſſe eſt omnium flagitia proferre. Verum hæc ad pronominis rationem poſsis reuocare, ubi iam diximus accuſandi caſum in relatiui migrare antecedentis ablatiuum, nec dubium eſt ita nos loqui debere,niſi paulo aliter ſenſum commutes. Magis tamen illud eſt huius loci proprium; An ſperaſſe te hôc uiuo Milone ne dicam conſule? Quomodo etiam ſcripſit ad Papirium; Nec præſtari quicquam poteſt, quod poſitum eſt in alterius uoluntate, ne dicam libidine. Alio item in loco; Peccauit igitur pace uel Quirini, uel Romuli dixerim. Antecedentis uerò nominatiui,cui ex natura uerbi ſuccedat accuſatiuus, idem nobis ad filium eſt auctor: harum rorum duarum,ſplendor omnis & amplitudo eſt; addo etiam utilitatem in poſteriore. Si enim ablatiuus hic antecederet,eodẽ,reliqua in oratione,ablatiuo potius utendum fuiſſet, ut; Nihil illo ſplendore & amplitudine addo etiam utilitate maius eſſe poteſt. Aliud

eſt

eſt genus quum dicitur; Ne plura; Ne multis, Ne longum faciam.

Duodecimo, intendendi, Nimis, Valde, Nimium, Nimiè, Nimiopere, Sanè, Prorſus, Penitus, Omnino, Affatim, Apprime, Summopere, Tantopere, Magnopere, Vehementer, Etiam atq; etiam. Moderantur aduerbia (ut à principio diximus) non uerbo tantum, ut; Nimis iraſcitur, Nimis abundat, ſed alijs etiam aduerbijs, ut nimis obſtinatè: Nimis odiosè, Nimis crudeliter: & participijs, nominibusq; adiectiuis, ut; Nimis audax; Nimis inflammatus: & præpoſitionibus, ut; Nimis infra montem, Nimis prope domum. Hoc loco ſum admonitus, ut iterum ea de re dicerem, quod intendendi aduerbia cum paucis alijs, neq; totis cum generibus, ad partes alias quas dixi orationis referre poſſint. Non enim hoc habent aduerbia numerandi, non hortandi, non remittendi, non congregandi, non ſimilitudinis, aut ſeparandi, non temporis deniq;, aut locorum interrogationumue, ſed quædam præter intendendi, ad comparationes, ſuperlationes, qualitates, aut quantitates pertinentia. Quum uerò ex cunctis generibus nullum ſit omnino quod ad uerborum ſignificationes moderandas adhiberi queat, iure aduerbia à uerbo potiſsimum nomen acceperunt, quanquam ex his nonnulla ſæpe: alijs moderentur etiam partibus orationis. Ad Nimis autem ut reuertar, dicimus etiam Nimis inuidiæ, Nimis iniuriarum: ſicut Nimium ſtultitię, Nimium calamitatis, ut nihil ferè inter hæc duo Nimis & Nimium interſit: quæ ſola ex his quemadmodum Nihil & Multum, & Satis, & Parum, huiuſmodi caſus genitiui ſequi poſſunt. Nimis & Nimiopere, eundem pene habent uſum, præterquam quod ſecundo genitiuum addere non licet. Valde, nihil habet niſi uulgaria exempla, ut Valde eloquens, Valde ſapienter, Valde amat, Valde iraſcitur. Sanè, ut; Homo ſanè doctus, Diſputatio ſanè ſubtilis, ſanè perturbato animo fui. Sane quam libenter feci. Eſt etiam concedentis aduerbium, ut; Eſto ſanè ut uultis. Prorſus & omnino, pro uſquequaque dicimus, ut; Si non omnino, at aliqua ſaltem ex parte res meas curato. Equidem non prorſus à te, ſed magnam partem diſſentio. Eſt etiam Omnino, pro Denique, ut; Omnino amicitiæ confirmatis iam ingenijs iudicandæ ſunt. Vix, aut Omnino aliquid non poſſe, eſt quod ſolemus dicere, Vix aut ne, uix quidē poſſe. Penitus idem eſt quod Prorſus, & Omnino, ſed loci quandā ſignificationem habet, ut Cicero de Natura Deorū; Dij Penates dicti quod penitus inſidet. Quod igitur aiunt grammatici ex INTVS

Intendendi.

hanc natam eſſe uocem, & hinc uerbum penetrandi non debet falſum uideri: unde intimam penitus in rem aliquam peruenire: & in alicuius amicitiam penitus intrare & animos hominum, uel res alias penitus cognitas habere dicimus. Affatim, eſt plenè, abundè, cumulatè, ut; Affatim ſuppeditare, Affatim donare, affatim reddere. Apprime, Valde aut in primis, ut;

Nam id arbitror

Apprime in uita eſſe utile, ut ne quid nimis.

Magnopere & Summopere, pro Multum, & Tantopere, pro Tantū; quæ duo priora, ut poſitiua & ſuperlatiua inter ſe differunt. Vehementer, & Etiam atq; etiam aliquando ſimul iuncta ponimus, ut; His de rebus te uehementer etiam atq; etiam rogo: plurimum uerò ſeparatè, ut; Vehementer petijt. Etiam atque etiam uidere oportet.

Remittendi. Decimo tertio, remittēdi, uix, Ferè, Fermè, Paulatim, Aegrè, Grauatè, Quatenus, Tantum, Tantūmodo, Solum, Quoadcius, Quodam modo, Quadamtenus, Dumtaxat, Paulum, Paululum, Propè, Penè, Pedetentim, Senſim, Propemodum, ut; Vix loqui, aut tollere audet uultum. Vix paucos reperias qui honeſtatem pecunijs anteponant. Vix, aut Omnino obtineri non poterit quod uolumus. Vix aut ne uix quidem res alicui noſtrum probata eſt. Ferè, Fermè, Penè, Propè, Propemodum ſimilem inter ſe rationem habent, ut; Omnes ferè quos habui amicos ad me ſalutandum uenerunt. Dicimus etiam Ferè, quoties fieri poſſe cōfitemur, ut multis enumeratis rebus, aliqua á nobis etiā neceſſaria prætermiſſa ſit, ut; Hæc ferè ſunt quæ de contemnenda morte dici poſſe uidebantur. Sæpius idem efficit, quod plerunq;, ut; Ferè ita ſcribis ut nullū orationis ornatū quæras. Sub tēpus fermè ſacrorum tabellarij à te præſto fuerunt. Bibulum habuimus multo iuſtiorem, penè etiam amicū. Res habere multum auaritiæ iudicata eſt penè etiam ſceleris. Beneficio ac propè diuina liberalitate tua ſum adiutus. Inedia & fame propemodū confectus erat. Vix etiam diſcernas Paulatim, Senſim, Pedetentim, ut; Paulatim ad uitia delapſi ſumus. Senſim uerò ac pedetentim improborum amicitia diſſuenda eſt. Aegrè pro Moleſtè, ut; Aegrè iniuriam ferre. Item pro difficile, ut; Actæ diu in uitio radices ægre euelli poſſunt. Grauatè idem ferè quod Aegrè, ſed hoc ad homines tantum, aliud etiam ad res inanimes refertur, ut; Non grauatè inimicorum ſimultates ueſtra omnium cauſa depoſui. Quatenus, pro Quam longè, Quantum uel Quem, uel Qualem ad finem, ut; Id primum uideamus

mus

mus quatenus amor in amicitijs progredi debeat. Quod uerò idem Cicero ait; in omni re uidendum eſt, quatenus; id ſignificat, modum eſſe quendam, certoſque rerum omnium fines;

Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quæ ſignificatio maximè frequens eſt in ſcriptis doctorum penè omnium. Adhuc; Poſtulatum eſt ut Bibuli ſententia diuideretur quatenus de religione dicebat, ideſt quod ad illam attinet ſententiæ partem, qua de religione agebatur. Idem auctor; Leges tollunt aſtutias, quatenus manu teneri res poſſunt, philoſophia quatenus ratione, & intelligentia. Tantum, Tantummodo, Solum, Solummodo, ut; De ſapientum libris tantum ſordes colligere. Nihil dicam petulantius, tantum dicam, quod ipſe confiteris, minus te prudenter feciſſe. Non tantum imprudens, uerum etiam ſtultus fuiſti. Eſt etiam in uſu doctorum, Tantum non, pro μονονουχὶ qualia eiuſmodi ſunt exempla. Miſerrimum patrem tantum non lapidibus domo eieciſti qua noſtri quidem ex græco tranſtulerunt, ſic enim loquuntur illi, ut Demoſthenes ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς ὦ ἄνδρες, ἀθηναῖοι μονονουχὶ λέγει φωνὴν ἀφιεὶς ὅτι τῶν πραγμάτων ὑμῖν ἐκείνων αὐτοῖς ἀντιληπτέον ἐστὶν Sunt illa præterea; Tantum abeſt ut patriam defenderes, ut cum hoſtibus, aduerſus illam coniurauerís. Iam triuere etiam pueri locum Ciceronis illum. Tantum abeſt ab officio, ut nihil officio magis poſsit eſſe contrarium. Hoc ſumus (ut plurima) de græcis auctoribus imitati, qui ſic loquuntur ut Polybius; Αυτός τε ὢν κύριος ὁ βούλοιτο χρῆσθαι καὶ τῇ πόλει, καὶ τοῖς ἐμπολιτευομένοις, τοσοῦτον ἀπεῖχε τοῦ κακῶς ποιεῖν τοὺς γεγονότας ὑποχειρίους, ὡς ἐκ τῶν μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος γενόμενος καὶ κοινῇ καὶ κατιδίαν λακεδαιμονίοις, οὕτως εἰς τὴν οἰκίαν ἀπηλλάγη Elegans eſt illud genus; Tantum ex Arpinati ueneram. Inter hæc numerari poteſt Modo, ut; Literis modo & ſolitudine delectabar. Hinc eſt etiam Tantummodo, ut; Libros tantummodo cupio mihi eſſe ſaluos. Quod potui non me puto rebus tuis defuiſſe. Quoadeius facere potuiſti, nos omni officiorum genere proſequutus es. Te ſuſpicabar mihi non omnino quidem, ſed quodammodo eſſe ſubiratum. Huius loco, uel pro Aliquantum, alij quidam non indiſerti homines, Quadantenus utuntur. Dumtaxat, à ſuperioribus, Solum & Tantummodo, in eo differt, quod, ubi dicimus; Patria tibi non opes tantum, ſed dignitatem auxit, non ualde ex uſu pro Tantum, poni dumtaxat licebit. Hoc enim unius membri orationem deſiderat, non duorum, omiſſo negante aduer-

bio

bio & coniunctione Sed, aut Sed etiã,ut; Hac una duntaxat in re libenter me ſum paſſus ludibrio haberi. Neq; uerò non grauiſsimos exiſtimo latinitatis auctores qui interdum aliter ſunt loquuti, ſed his omnibus frequentiora eſſe proponenda. Decimo quarto, ſimilitudinis, Quaſi, Ceu, Sic, Sicut, Sicuti, Velut, Veluti, Vt, Vti, Similiter, Ac ſi, Atque ſi, Perinde, ac ſi Perinde atque ſi, Ita, Itidem, Inſtar, Prout, Quaſi, Quomodo, Quemadmodum, qualiter. Ac de illis primum, Quaſi, Tanquam, Ceu. Pro P. Quintio M. Tullius; Eorum gratia & potentia factum eſt, qui quaſi ſua res aut honos agatur ita diligenter Sext. Næuij ſtudio & cupiditati morem gerunt. Si ad Quaſi, addas Verò, diſsimulatione quadam nota omnibus figurata oratio fiet, ut ad Appium Pulchrum; Non poteram credo ante hyemem (ſic enim ſcribis) quaſi uerò ad cognoſcendum, ego ad illos, non illi ad me, uenire debuerint. Ad M. Cęlium; De Dolabella quod ſcripſi, ſuadeo uideas, tanquam ſi tua res agatur. Ceu, poſt C. Cæſaris ætatem ſolutæ orationis ſcriptoribus in uſu eſſe cœpit, antea autem à poetis receptum, ut;

Similitudinis.

Aduerſi rupto ceu quondam turbine uenti

His tribus quid naturæ ſit exempla indicabunt. Dicimus enim; Feci ut imperatum fuerat. Scripſi quẽadmodum potui. Veniſti ut amicũ decebat. Non aderas uti par fuiſſet. Nihil uos commouet ſicut auaritia. Parata fuerũt omnia ſicuti uolebã. Nemo has orationes poteſt reprehendere. Multa autem aduerbia, hiſq; in exemplis fac eſſe uel Tanquã, uel Quaſi, iam nihil dictum erit ex uſu oratorum. Ita ſunt ergo percurrenda omnia, aut quam fieri poteſt plurima huiuſmodi exẽpla, reſq; ipſa penitus animo perluſtranda, ut; Illo ſi ueneris tanquam Vlyſſes, cognoſces tuorum neminem. Quaſi etiam, pro Quemadmodum Terentius poſuit, ut;

Ita uita eſt hominum, quaſi ludas teſſeris.

Propriè enim hæc tria, cõparationis quiddam habent magis quam ſimilitudinis; Apparet hoc illuſtrius in Tanquam, ubi duæ ſunt comparandi uoces, Tam & Quam aliquando etiã diſtinctę, ut Cicero ad Tironem; Xenomenes hoſpes tã te diligit, quã ſi uixerit tecũ. Apud Terentiũ quoque in Phormione, quum interrogaretur ſeruus cognitumne haberet Phędriam, is Tam quam te reſpondit. Quũ dicimus ergo; Tanquam hoſtis, Quaſi prædo impetum facis, hoſtẽ ferè ac prædonem facimus eum de quo loquimur. At ſi per Vt, uel Sicut, uel Quemadmodum loquamur, Similiter atque hoſtis, uel prædo conſueuit, impetum facere illum dicimus. Eſt enim hoc,

hoc, perinde omnino ac ſi dicatur, ſicut prædo facit, illud uerò prius; Tanquam prædo eſſes. Hoc adeo certũ eſt, ut uero de hoſte ac prædone hiſdem uerbis loquendum ſit, ut; Cethegus ac Lentulus tanquam hoſtes Pop. Rom. in carcere Tulliano ſcelerum pœnas dederunt. Virgilius quaſi poeta rem aliter contexuit. Sic Homerus etiã de Venere Dea in tertio Iliados;

τὸν δ' ἐξήρπαξ' Ἀφροδίτη
Ῥεῖα μάλ' ὥς τε θεός

Noſter quoq; diuinus auctor Ioannes quẽ nec huiuſmodi rationis ignarum proprietatiſq; expertẽ, Dei ſpiritus reliquit; ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Quamobrem, quum ueris de rebus ne poſsimus quidem loqui aliter, in cõparationibus etiam neceſſario ſic loquendum erit; Ad Romulũ acceſsi tanquã ad Muſas, Propugnatores meæ ſalutis diligo quaſi Deos immortales. His in duobus exemplis illud ẽt diſcrimen eſt quod nõ ut diligendi uerbum ita accedẽdi ad cõparationes adhiberi põt, nec magis minuſq; accedere ad Romulũ potui, ut parũ, & minus, & plus & maxime aliquos diligere. Hic igitur duo illa meminerimus, primũ (ut ante iam cognoſci licuit) pro Tanquã alia eſſe ſimilitudinis aduerbia hoc etiã loco poſſe, deinde, quãdã uim comparationis habere. Quaſi & tanquã ijs ẽt cum uerbis, iungi quæ intendi, aut remitti non poſſunt. Deniq; ad comparationes pertinet genus illud exẽplorum Ciceronis pro Muræna; Erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies, tanquam à Chaldæis petebantur. Ex ijs, quæ ipſis de rebus ueris dicũtur, illud eſt Plat. de rep. κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ μετὰ Γλαύκωνος τοῦ Ἀρίστωνος προσευξόμενός τε τῇ θεῷ, καὶ ἅμα τὴν ἑορτὴν βουλόμενος θεάσασθαι τίνα τρόπον ποιήσουσιν ἅτε νῦν πρῶτον ἄγοντες. Velut, & Veluti, illud ẽt habent proprium neq; cõmune cum cæteris, ut per ea confusè ac parum explicatè à nobis iam dicta, demonſtrentur, ut; Quædam incidunt tempora quibus impune hominem liceat occidere, ueluti quum te à latronum telis explicare aliter nõ poſsis. Nec illud quis denique miretur ſimilitudinis aduerbia aliquando inter diſsimiles, contrariaſque res locum habere, ut; Bono tantum naturæ quidam diſerti fuerunt, ſicut nullis rhetorum præceptis alij ſunt aſſequuti, ut infantiam depellerent. Nec rarò inuenies antiquitatem hoc genere uſam, loquendi, ſeu noſtram, ſeu græcorum.

Ab illis quidem ad ſacra etiam non pauca dimanarunt, quorum ueteres ita ſæpiſsime loquuntur ut Platonis illud eſt in Phædro.

Velut et Veluti.

οὐκ τοῖς ὀλίγον χρόνον συνδιαλέγουσιν ἀλλὰ τοῖς ὁμοίως διὰ παντὸς τοῖς φίλοις ἐσομένοις & M. Tullij ad Atticum; libros tuos caue cuiquã tradas. Nobis, quemadmodum ſcribis conſerua. Summum me eorum ſtudium tenet, ſicut odium cæterarum rerum. Illud præterea, quùm dicitur; Non ſum ſapiens ſicut Socrates, intelligi poteſt, uel nullo pacto me eſſe ſapientem; uel ſapientem quidem, ſed non ita, aut quantum Socrates. Neque ad menſuram, quantitatemue illud referri debet, ἀγάπα τὸν πλησίον σοῦ ὡς ἑαυτὸν uel quod eodem afflatu diuino, aut cæteri collegæ, aut Lucas ita ſcripſit γίνεσθαι οὖν οἰκτίρμονες καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί Similiter pro Ita, ut; Ea ſunt à te mihi præſtita officia, ut in meã ſalutem non recorder alium ſimiliter animatum fuiſſe. Nemo ſimiliter atque tu rem confeciſſet. Similiter ac boni uiri omnes de patria cogitaſti. Tunc ſimiliter omnes perturbati erant ac ſi quis urbem incendiſſet. Trepidus eram perinde ac ſi comprehenſus tenerer. Placet hic monere quod aliquando cognoui eſſe dubitatum. Aduerbia .n. ſimilitudinis, quædam, aut ſemel, aut bis poſita eodem uerbo abſoluunt orationem, ut feci, quemadmodum cæteri. Patriam lugebis ut omnes boni luxere. Si unum adſit uerbum, ſubdubia tractatio erit vtrum expreſsi an diſsimulati uerbi ratio habenda ſit, ut; Cupio noſtros homines latinis literis ius Pontificiũ illuſtrare, ut Ariſtotelem græcis philoſophiam. Vno hic illuſtrandi uerbo ſententiam complectimur, nec dubium eſt ita nos loqui debere, tametſi uerbum cupio, nulla ratione ad Ariſtotelem referri poſsit. Sic enim Cicero, quum ſæpius alibi, tum in Lucullo ſcripſit; Dico ſimiliter Arceſilam euertere philoſophiam rectè à ueteribus inſtitutam atque Tib. Gracchum ſtatum ciuitatis. Sin turbandi uerbum iterare placeat, ſequetur caſus quem poſtulat natura, cuiuſmodi foret; Dico ſimiliter Arceſilam euertere philoſophiam, rectè à ueteribus inſtitutam, atque Tyb. Gracchus turbaret ſtatum ciuitatis. Exempla ſunt huiuſmodi plurima, ſed eodem ex Lucullo adhuc duobus alijs contenti ſimus; Dicit me acrius uidere quam ullos piſces: fac expreſſum eſſe uerbum illius infiniti, Videre, & ſine dubio, recto caſu ulli piſces dicendum erit. Sic loquimur ubi ſimilitudo, uel diſsimilitudo, uel quouis modo in oratione comparatio aliqua inſit. Nam poſterius exemplum, comparationis dicendum potius eſt quam ſimilitudinis, quale tertium eſt illud; Rationes omnes deſcripſerit eas quibus efficitur multis partibus ſolẽ maiorem eſſe quam terram. Non dixit maiorem quam terra, quoniam

ſemel

ſemel uerbum expreſsit. Alioquin dicendum fuiſſet; Maiorem quam terra eſt. His in orationibus tamen ratio ſemper extitit in finiti, quæ ſi auferatur, uideamus num quod aliud iudicium fiat. Quocirca illud eſto exemplum; Aliter de procreatione mundi ſentit Plato quam cæteri ferè omnes, quos ego quidē legerim philoſophos. Hic poſtrema uox caſu expreſſa accuſatiuo, prioris uerbi ſuppoſitum eſſe non poteſt, & profectò ſuppoſitum uerbi ſubintellecti eſſe debuerat, ideſt ſenſerunt: ſin eam poſterius ad uerbum referas quod eſt Legerim hic pro ſuppoſito habet relatiuum. Quare ad illud reuertendum eſt, ut quemadmodum ſupra diximus, ex uſu latini ſermonis, contra rationem grammaticæ, antecedentis caſum relatio hæc ſequatur. Quod ſi iterum exprimas uerbum, ſimiliter ac ſuperioribus in exemplis, caſu nominatiuo dicendū erit; Aliter de procreatione mundi ſentit Plato, quam cæteri ferè omnes quos ego quidem legerim, philoſophi ſenſerunt. His ergo in orationibus dubitatio eſſe nulla poteſt quarum diſsimulato uerbo altero, bina tamen ſuppoſita manſere. Affine his eſt illud quoque genus exemplorum quæ ſine his aduerbijs pronunciari ſunt ſolita; Ego illum de ſuo regno, ille me de noſtra rep. procunctatus eſt; ubi ſimiliter atque in his propter diſsimulationem uerbi à parum exercitatis dubitari poſſet, utrum percunctatus eſt, an percunctatus ſum dici oporteret. Sed ratio à doctis ea demonſtrata eſt, ut uerbum, ad ſuppoſitum uicinius accommodetur niſi aduerbium, aut nomen ſimilitudinis, uel diſsimilitudinis, uel comparationis interueniat, ut; Proprius tu quam Varro abes à rep. Ita nos, ut alius quiſquam negotium confeciſſemus. Tanta in noſtros ciues Deiotarus fide quanta nulli unquam Reges fuit. Lentulus meam ſalutem, ſimiliter atque Dij immortales adiuuit. Vniuersè autem, omnis oratio orationiſue ſenſus uel uno uerbo clauditur, uel pluribus. Si uno, id uel in principio, uel in medio ponitur, uel in fine, eſtque figura quam ζεῦγμα grammatici dixerunt. Sin pluribus, tum uel binis, uel ternis, uel pluribus, uel ſingula ſingulis uerba nominibus redduntur, ut; Fortiſsimi ciues, qui circumſtant Senatum quorum tu & frequentiam uidere, & ſtudia perſpicere, & uoces paulo ante exaudire potuiſti. Dubitari unquam hoc ſecundo in genere non poteſt. In ſuperiore autem, ubi pauciora, aut unum eſt uerbum, multis nominibus redditum, ſæpius dubitationem affert, ad quod potiſsimum de multis in perſona, numero, & genere accommodari debeat. Quare fit etiam, ut multis nominibus,

uno

uno pluralis numeri uerbo ad finem poſito reſpondeamus, ut;

Aetas, metus, magiſter prohibebant.

& in Adelphis idem Terentius;

Hæc ſi neque ego, neque tu fecimus,
Non ſiuit egeſtas facere nos.

Verum delapſus iam ſum à ſimilitudinis aduerbijs ad ea quæ inter συλλήψεως genera ſpargentur. Quamobrem, quæ ſunt aduerbiorum cætera uideamus. Ad hunc locum non pertinet, quod, Ita, eſt ſępius idem ferè quod Valde, ut: Non ita poſt exactos Reges. Nō ita multum aberras à uero. Minus autem hic iteranda ſunt quæ de eo in ratione ſuperlatiuorum attigimus. Veræ ſimilitudinis hæc ſunt; Tuas literas dedi legendas præconi, ita enim ipſe mandaras. Ita prorſus hæc cecidere omnia, ut ego uoluiſſem. Fit etiam iurandi aduerbiū, qualia ſunt; Ita uiuam. Ita mihi contingant quæ uolo. Ita fili ſis mihi ſuperſtes. Ita ſaluis meis liberis omnibus moriar. Iidem uerò pluribus exemplis non indiget;

Vtinam eſſet mihi
Parſæqua amoris tecum, ac pariter fieret, ut
Aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet;
Aut ego iſthuc abs te factum nihil penderem.
Intemperans fuiſti itidem ut in rebus omnibus.

Inſtar ad numerum, ad ſimilitudinē, ad magnitudinēq; ſolet referri. Eſt etiā, pro Circiter, ut; Inſtar uiginti uerſuum. Itē pro eo quod eſt loco fratris, loco ſententiæ, loco omnium, ut; Vnus mihi Lælius inſtar eſt omnium qui in Græcia, aut uſquam putati ſunt eſſe ſapientes. Dicimus; Inſtar montis equum, & Inſtar urbis nauem ædificare, Inſtar uoluminis epiſtolā ſcribere; Male de religione ſentientis nomen, inſtar mortis exhorreſcere, Vnius horæ aut momēti inſtar omne tēpus uitæ habere. Superſunt Prout, Quomodo, Quemadmodū. Illud primū eſt pro Perindeut, uel Perindeac, ut; Faciam ōmnia prout maxime te uelle intelligam. Quomodo nunc homines opinantur, res felicem exitum habitura eſt. Cupio euenire omnia quemadmodum in tuis eſt ſignificatum literis. Illud habent etiam ſimilitudinis aduerbia in quo dubitare de ſententia parum doctiparumq; exercitati hominis uideretur; Scio te ut cæteros dolere caſum ciuitatis, &; Audio te lugere communem fortunam ut cæteri. Quis non uideat enim quo referri accuſatiuum Cæteros & nominatiuum Cæteri conueniat. Poteſt utraque ſententia pro nomine etiam relatiuo explicari, ut; Cupiebam ea uos uti prudentia, qua

cæteros,

cæteros, &; Gaudeo te eadem fuiſſe pietate qua cæteri. Hic, & cæteros, & alios, & reliquos dicere poterimus, & cum infinito con iuncta oratio eſt. Decimo quinto, comparationis, Magis, Minus, Celerius, Tardius, Tam, & Quam. Hoc de genere aduerbiorũ nihil eſt quod præcipere debeam. Nam Celerius, Tardiuſque & huiuſmodi infinita ut ante iam dixi à comparatiuis aut quibuſcunque adiectiuis nominibus ſignificationes minime dubias accipiunt ab aliis unde manauerunt. Sed per illud Quam, uenuſte facimus etiã, ut uerba diſsimulantes quæ pertinet ad comparandum, ſic loquamur; ſeptem diebus quam profectus eram Puteolos ueni; altero & centeſimo die quã tabulæ ſcriptæ ſunt, homo è uita deceſsit. Olim quoque, ante C. Cæſaris & M. Tullij ſæculum, ſic loquebantur, ut Plautus in Caſina;

Vna ædepol opera in furnum calidum condito
Atque ibi torreto me pro pane rubido hera
Quam iſthanc operam à me impetres, quod poſtulas: ſic antiquiſſimi græcorum, ut:
Βούλομαι ἐγὼ λαὸν σαόν ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

De Magis autem & Minus, illud putide quidẽ, ſed uel ordinis tũ cõſeruandi gratia dicatur; De calamitate magis quam de interitu amici laboraui. Minus ea re dolui quã ego putauiſſem. Magis magiſque miteſcit quotidie dolor. Magis ac magis exhilaratur animus. Vixit Plato in literis ac philoſophia annos magis octoginta. Sic Plus, & Minus & amplius, ut; Natus eram annos amplius uiginti. Tam & Quam in comparationibus ferè alterum reſpondet alteri, ut;

Tam magis illa fremens & triſtibus effera flammis
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnæ.

Ergo præter poſitiuos ac ſuperlatiuos gradus, cõpatiuo ẽt aliqñ à poetis iũgũtur. Quã poſita cũ Prius uel Ante ſubiũctiuo iũgitur, ut; Antequã ueniſſes: Priuſquã diſcederes. Aliqñ rõ patitur eſſe cum indicatiuo, ut; Ego Plance neceſsitudinẽ conſtitutã habui cũ domo ueſtra, añ aliquãto quã tu natus es. Docui etiã alibi genus illud orationis. Nihil propius factum eſt quã ut in manus hoſtiũ uenires. Nihil propius factũ eſt quã ut urbs tota incẽderetur ut Cicero in Verrẽ. Neq; quicquã propius eſt factũ quã ut illud Vticenſe exemplum de Adriano transferretur Syracuſas. Decimo ſexto, ſeperlationis, Maximè, Minimè, Sũmè, Celerrimè, Tardiſsimè. Superiore in gñe ſola duo Tã & Quã, hic uerò nullũ ex ijs aduerbiũ eſt quorũ naturas perſequi ſtatuimus. Cætera. n. omnia orta ſunt à nõibus adiectiuis. Superlatiõis

Decimo

Demoſtrādi. Decimo ſeptimo, demonſtrandi, En, & Ecce. En cum demonſtratione, indignationem ſæpius coniunctam habet, ut;

En quis conſeuimus agros?

En crimen, en cauſa cur Regem fugitiuus, dominum ſeruus accuſet. Ecce, ut omittam quomodo interdum ueteres, quomodo interdum poetæ ſint, uſi quomodo etiam raro oratores, equidem ſoli nominatiuo dari uelim, ut; Ecce tibi ſtatus noſter. Plerumque repentinum aliquid ſignificat, idque ſæpius horrendum, uel triſte, uel indignum, uel præter animi uoluntatem, ut;

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horreſcò referens) immenſis orbibus angues:

Sic ferè M. Tullius, ut; Ecce illa tempeſtas caligo bonorum, & ſubita atque improuiſa formido. Aliquando ſubitas quidem ad res adhibetur, ſed quæ nihil habeant mali, ut; Ecce tibi exortus eſt Iſocrates. Sed quando idem auctor huic aduerbio rarò quidem certè, ſed tamen dat aliquando accuſatiuum, in pronomine primæ perſonæ, non ualde malim dici, Ecce ego, quam Ecce me, ex uſu antiquorum, Terentij & Plauti; qua ex ratione accuſatiui, nata ſunt illa, Eccum Parmenonem, Eccam Thaidem, Eccos pueros, Eccas ancillas, Ellum quoque, & ellam, & ellas uerba comicis vſitata.

Decimo octauo, optandi, ut Vtinam, quod unum aduerbium etiã huius linguæ expertibus cognitum eſt. Dici præterea ſolet, re aliqua uehementius optanda; Nunc mihi uenit in mentem conſilij tui, quod utinam, iterum autem utinam ſequutus eſſem.

Vocandi. Decimo nono, uocandi, ut Heus, ô, quale apud Virgili illud eſt.

-Heus inquit iuuenes monſtrate mearum
Vidiſtis ſiquam hic errantem forte ſororum:

Ciceronis etiam; Heus ubi Roſcio, ubi Caſca? Sed apud Oratores aduerbium eſt ſæpius attentè audiri poſtulantis, ut; Heus tu, qui κανὼν eſſe meorum ſcriptorum ſoles. O, & miſerantibus, & indignantibus, & dolentibus, & mirantibus, & uocantibus, & alijs motibus animorum datur, ut; O miſera parentum ſenectus. O noſtri ſæculi licentia. O fruſtra mei ſuſcepti laboris. O tua mi Pomponi conſtantia. O C. Cæſar (adoleſcentem appello) quam tu ſalutem reipublicæ attuliſti? Ad hos ipſos motus, præterquam uocandi accuſatiuo iungi ſolet, ut; O miſeram parentis ſenectutem. O noſtri ſæculi inſolentiam. O tuam mi Pomponi conſtantiam. Sæpe etiam ommiſſo aduerbio, ut; Indignum facinus. Rem omnin

nino deteſtandam, effrenatam hominis libidinem. Conditionẽ prorſus miſeratione dignam.

Vigeſimo, extenuandi, Bellè, Clanculum, Meliuſculè, Nitidiuſculè, quæ nihil aliud niſi extenuationem facti quandam ſignificant. Nam ſenſum hæc eundem habet, quem aduerbia qualitatis. *Extenuandi.*

Vigeſimo primo, congregandi, Simul, Vna, Gregatim, Pariter, Collectim, Aceruatim, Cunctatim, Confertim, Turmatim, idque genus plurima, quæ nihil habẽt in oratione præcipuum, niſi quod Simul ponitur etiam ad ſignificationẽ temporis, ut Cicero ad Atticum; Simul quid erit actum ſcribam ad te. Sæpius hoc fit ut Simul dicatur pro Simulatq;, uel ſimulac, quo oratores & poetæ ſic utuntur; *Congregãdi.*

Quam ſimulac tali perſenſit peſte teneri.

Vigeſimo ſecundo, Separandi, Seorſum, Secreto, Inuicem, Viciſsim, Separatim, Singulatim, Viritim, Oſtiatim, Oppidatim, Alternatim, Caſtellatim, Vicatim, Generatim, Speciatim, Nominatim, Syllabatim, Cæſim, Inciſim, Mẽbratim, Vnciatim, Municipatim, Summatim, Tributim, Regionatim. Hæc & alia huiuſmodi, forma quidem & caſu ſyllabarum, ſunt eadẽ penè cum proximis congregandi, ſententia uerò, illis omnino contraria. Eſt enim Vnciatim, Nominatim, Syllabatim, per ſingulas uncias, noĩa, ſyllabas: gregatim uerò, Turmatim, & Aceruatim ijs de rebus, uel animantibus dicuntur quæ multa in gregem, in turmas, in aceruum collecta ſunt. Nec dubitationem afferant quædam, ut Generatim, aut ſiqua ſint alia eius naturæ. Hoc enim quatenus aliud genus ab alio diſtinguit, ad ſeparandum pertinet, quatenus autem ſingulis generibus plures formas contineri ſignificat ad congregandum. Cæſim, contrarium habet Punctim, unde Cæſim, aut punctim ferire dicimus. Eſt quoq;, idem quod Inciſim, ut apud rhetores cæſim dicere, uel membratim, uel circumducte. Viciſsim pro Contra, eo ſenſu uidelicet, qui eſt apud Terentium; *Separandi.*

Si laudabit hæc
Illius formam, tu huius contra.

Cicero ad Appium; Hoc ego meo facto ualde delector. Nihil enim potuit fieri amantius. Conſidera nunc uiciſsim tuum. Inuicem, erat minus uſitatum à uetuſtioribus, ſi tamen eo uti placeat, non multum differre uelimus, à Viciſsim, ab eoque ſenſu quem habet nomen, unde aduerbij origo eſt, neque id cum Mutuo coniungere, quod ijs de rebus dicitur quarum eſt idẽ tẽpus. Mutuo.n. amare nõ eiuſdem rationis eſt, ut uiciſsim reddere, aut inuicem narrare, in-

uicem audire, quę ſunt uiciſsitudinis. Ad ſeparãdũ pertinẽt ẽt Qua. Aliter, Contra, Alioquin, Diſsimiliter, & quæ ſunt hmõi. Alioquin hmõi habet exẽpla. Minima olim iſtius rei fuit cupiditas, alioquin multa extarent exẽpla maiorum. Inuentũ eſt, hoc pro Aliter eſſe poſitũ, ut; Quorũ ab oratoris iudicio delectus magnus habebitur, alioquin quo ille in bonis hærebit, & habitabit ſuis? Aliorũ quæ propoſui ſimiliumq; huius loci aduerbiorũ, eodẽ penè quo aduerbia ſimiliſtudinis more tractantur. Vt.n. ſimilitudinis, ita diſsimilitudinis ẽt, propriũ genus aduerbiorũ fortaſſe conſtitui oportebat, quæ ad ſeparandi hæc aduerbia retulimus. Libenter.n. facio, ut quo ad res patitur diuiſiones hmõi ſequar ab aliis ante cõſtitutas. Præterea ẽt natura aduerbiorum & cõiunctionum ita uaria eſt, ita plures ad ſignificationes ex his multa diſtrahuntur, ut non modo ex alijs alia in genera tranſire neceſſe ſit, uerum aduerbia etiam in coniunctiones, & hæ in aduerbia ſæpius migrare. Me quidem præterea, mouit quod minus obſcurum putaui, ſi paulo cõfuſiora genera ab aliis tradita, quam ſi plura à me alia excogitata docere uoluiſſem. Veruntamen, Qua, primo loco à me poſitum aliquibus in locis non aliam uim habet, quam Partim & partim, uel Quum & Tum, ut; Qua dominus, qua aduocati ſibilis conſciſsi ſunt.

Qualitatis

Vigeſimo tertio, qualitatis, Benè, Malè, Doctè, Pulchrè, Sapiẽter. Fortiter, Blãdè, Proteruè, Memoriter, Obliuiosè, Inteſtatò, Auguratò, Auſpicatò, Cõſultò, Cõtinuò, Subitò, Secretò, Vltrò, Sedulò, Spontè, Optatò, Improuisò, Cõmodum, Numeratò, Feſtinatò, Tutò, Fœneratò. Reapſe, ſuſquedeq;. Sunt hæc & innumera à nominibus adiectiuis: quare ſunt ẽt infinita: ſed Vltro & Sponte aliundẽ naſcũtur quam cætera. De cæteris aũt quando ex illa ſunt origine quam dixi nihil eſt cur diſputari cõueniat. Primis duobus, illæ figurę datæ ſunt loquendi, Bene, & Malè uertere, Bene & Male audire, Bene & Male narras, Bẽne & Male iraſci, quod eſt quantitatis, pro Valde, Bene & Male olere. Bene & Male mereri, Bene & Male rem publicam gerere, Bene & Feliciter euenire. Male cogitare, ut; Carthagini male iã diu cogitanti, bellum inferatur. Sponte autem, ſeu aduerbium, ſeu nomen eſſe uolumus, longe aliud, & plus quiddam eſſe quam ultro, inde palam eſt, quod etſi utrunque, ratione utentibus detur, mutis tamen ſenſuque carentibus rebus nõ Vltro, ſed ſponte adiungimus. Proprie enim Virgilius;

Oſtia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte ſua.

Sic

Sic ſua ſponte ignem extingui: ſua ſponte ſequi numeros: herbarū quoq; alias ſatu hominū, alias ſua ſponte naſci dicimus. Illud quod poſtremū fuit, antiqui dixerunt pro reipſa ut Plautus in Rudente.

Næ nimio pol hominum fortunæ minus miſeræ memorantur
Quam reapſe experiundo ijs datur acerbum.

Suſquedeq; tribus potiſsimū uerbis adiungitur Eſſe, Ferre, Habere, ut; Suſquedeque futurū eſt quicquid egeris: Suſquedeq; tuli ſemper odia inimicorū: Suſquedeque habere non debuiſti bonitatē ingenij tui. Eſt.n. quod ita dicimus; Ille ſuſquedeque habet exiſtimationē, perinde atque ſi dicatur. Non laborat qua exiſtimatione ſit apud homines.

Vigeſimo quarto, quātitatis, Multùm, Parū, Modicùm, Minimū, Minimē, Maximè, Sat, Satis, Nimiū. Hęc & à nominibus ferè adiectiuis ducūtur, & ſimillima ſunt aduerbijs intēdēdi: quapropter nihil eſt quod ex noſtro inſtituto, aut fructu diſcētiū, de his quod poſsim dicere. *Quantitatis* Vigeſimo quinto, tēporis, Modo, Nunc, Adhuc, Antehac, Statim, Continuo, Citò, Cōfeſtim, Deniq;, Interdum, Interealoci, Interim, Nondū, Necdum, Antequā, Priuſquā, Poſtquā, Demum, Simul, Simulut, Simulac, Simulatque, Mox, Mane, Quondam, Veſperi, Tū, Tūc, Noctu, Interdiu, Lucu, Hodie, Heri, Nudiuſtertius, Cras, Perēdie, Diluculo, Diu, Diutius, Diutiſsime, Tādiu, Quū, Donec, Pridē, Iampridē, Dudū, Iamdudum, Alias, Iterum, Quando, Nequādo, Propediē, Vnquam, Pridie, Poſtridie, Quamprimum, Quammox, Quamdudū, Quādiu, Quotidie, Iam, Nunquā, Olim, Iāolim, Quondā, Quouſque, Sero, Tandem, Tātiſper, Vixdum, Poſtea, Poſthac, Antehac, Dum, Aliquando, Identidem, Semper. *Temp.* Colligi adhuc poſſent plura, ſed ne de his quidem, omnibus dicere oportet. Satis eſt enim aliqua ſi percurram breui, quæ fortaſſe, noſtram linguam diſcentibus ſuboſcura uideantur. Ac primum, Nunc, fit interdum coniunctio, idem ualens propemodum, quod ſed, quemadmodum ex primo M. Tullij libro de Diuinatione accepimus. Multo plura (inquit) euenirent, ſi ad quietem integri iremus, nunc onuſti cibo, & uino, confuſa & perturbata cernimus. Eſt in Terentio, Nuncnuper, pro non multo ante hac, ut;

Idem Menandri Phaſma nuncnuper dedit.

Dolorem aliquando ſignificat ſero tandem reſipiſcentis, ut;

Nunc ſcio quid ſit amor.

Iungitur & aliis temporibus quum præſenti, ut vulgo etiam dicimus; Nunc mihi otium non erat ſubtiliter omnia perſequendi. Im-

mo omnino tranſactis, multoq; ante geſtis de rebus, ita loquimur; Quum ſuperiore anno cauſam agi poſtularem, ij quibus utebar patronis, reſponderunt operam ſe mihi nunc dare non poſſe. Pro nunc dicimus etiam aliquando in præſentia. Docui.n. ſuperiore libro dictum eſſe à Cicerone in Verrem illo modo; pecuniã ſibi eſſe in nominibus, numeratã in præſentia non habere. Huius loco more ueterum ponere licebit, In præſentiarum ut fecit Cato de Re ruſtica; extra quam, ſi quem ſocium in præſentiarum dixerit: Siquis aduerſus ea fecerit, ſi dominus aut cuſtos uolent, iurent omnes ſocij. Dicimus quoque, etiam nunc, pro μέχρι τοῦ νῦν, ut etiam tunc ut Orator pro L. Murena; Homines tam ingenioſos per tot annos etiam nunc ſtatuere non poſſe utrum diem tertium dici oporteat. Idẽ in alio loco; Omnes etiam tum retinebant illum periclis ſuccũ. Adhuc, præter illam temporis notam ſignificationem, quæ eſt; Adhuc ſpirat, Adhuc uiuit, Adhuc reſiſtit, eſt quoque pro Hactenus, ut; Vnas tãtum adhuc literas à te accepi. Cõtinuo & Statim, ad cauſas, uel ad cõſequendi, conficiendiq; rationes referuntur, quoties interrogando, aut negando, ita ſermonẽ inſtituimus; Continuone hominẽ occidi ſi cum telo fui? Nõ ſi cum telo fui, ſtatim ille à me eſt occiſus. Apud ueteres autem minus diſceſſerat à ſignificatione uerbi unde natum eſt, ut in Plauti Amphitruone,

Nec recedit loco quin ſtatim rem gerat:

Et in eadem fabula;

Ita ſtatim ſtant ſigna,

ideſt nec cedit ille imperator ſtatione quã ſemel cepit, & ſidera manent immobilia. Aeque.n. (Cicero inquit) cõtingit omnibus fidibus ut contẽtæ ſint, illud nõ cõtinuo, ut æque cõtentæ. Antequã, uel Anteaquã, & Priuſquã nõ ſubiunctiuo tãtum, ſed indicatiuo etiã adiũgitur, ut; Cum illo ſum loquutus antequã diſceſſit. Literas ad me miſit antequã eſt in urbem ingreſſus. Poſtquã, & Poſteaquã, ſæpius detracta Poſt & Poſtea, dicuntur, ut; Paucis diebus quam una fuimus hũc librũ ad te mittere uoluiſſem. Quũ ualde elegantẽ ualdeq; neceſſariũ habet uſum quoties ita loquẽdũ erit, ut oratori pro Muræna; Qui locus eſt iudices, quod tempus, quæ dies, quæ nox, quùm ego non ex iſtorum inſidijs, ac mucronibus, non ſolum meo, ſed multo etiam magis diuino conſilio eripiar atque euolem? Eidem in Antonium: Viceſimus annus eſt quùm omnes ſcelerati me unum petunt: & in Verrem; una uox interceſſerat, quùm iſte Dorotheam ſic diligeret, ut diceres omnia

inter

inter eos eſſe communia: & Virgilio;

Scilicet & tempus ueniet, quum finibus illis
Agricola incautus terram molitus aratro
Exeſa inueniet ſcabra rubigine pila.

Alius eſt modus quùm dicimus, quùm maximè, ut apud Terentium; Amabat, ut quũ maxime Pãphilus, & Ciceronẽ; Domus celebratur ita ut quùm maximè: quod ſine aduerbio quùm ſubſtituto referẽdi pronomine, ita dicimus; tam.n.ſum amicus reipublicæ quã qui maximè. Iterum non tam ſecundi eſt loci, ut;

Iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles,

quam primi in ea ſignificatione qua antehac, ut pro lege Manilia M. Tullius; Quũ tantã multitudinẽ, cum tanto ſtudio uideamus quantum non iterum pro eodẽ homine præficiendo uidimus. Illud quando, uidentur noſtri interdum pro aliquando cepiſſe, ut;

Aſpera quis natura loci dimittete quando.
Suaſit equos.
Vulgare eſt nec admoneri debet illud etiam genus;
Quando hæc te cura remordet.

Pridie & Poſtridie caſum habere ſolent genitiuum, ut; Pridie eius diei, ueſperi, cõfeſtim Puteolos ueni. M. ẽt Cælius non dubitauit ad Ciceronẽ ſcribere; Pridie eius abſolutionis. Eſt ẽt in omniũ ore; Pridie quã hæc acta ſunt, &; Poſtridie quã ueniſti, &; Altero die quã factus eras cõſul. Sunt & illa dierum aduerbia, Nudius tertius, Heri, Hodie, Cras, Perẽdie. Quatuor ſunt hæc notæ ſignificationis. De primo tamen ſcio dubitatũ eſſe à doctis, utrũ dicere conueniat, nudius ẽt quartus, nudius quintus, ſextus, octauus, decimus. Nã quod maiore ẽt numero Plautus utatur, hoc tribuunt ioco poetæ, fortaſſe etiã libertati, ac licentiæ. Me autem uehementer mouet illius minimè ludicra in ea re auctoritas. Nec mẽdũ ſuſpicabor eſſe ſcripturæ qđ eſt in oratione Ciceronis in M. Antoniũ, nudius tertius decimus. Soſipater.n. Cariſius, doctiſsimus latinæ linguæ, idẽq; auctor uetuſtiſſimus, illũ Ciceronis locũ, ut legitur ab omnibus, comprobauit. Donec uiuã & donec moriar eandẽ in ſnĩam dicuntur. Tẽpus aliquando apud utriuſq; auctores linguæ ſignificat infinitũ, ut ſi dicatur; Vigilaui uſq; ad ortum ſolis, unde nõ fit neceſſario à me dormitũ eſſe interdiu. Quod ignorãtes multi, grauiſsimos in errores delapſi ſunt illo præſertim in loco ſacrorũ καὶ παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν ἕως οὗ ἔτεκεν τὸν υἱὸν αὐτῆς. Modo ſimili in Antequã aduerbio peccatũ eſt, quod præteritum ſæpe tẽpus oſtendit infinitum,

Nedius tertius decimus

finitũ,ut; πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου. Hic tale genus loquendi eſt, ut ſi uelis dicere; Damnatũ eſſe aliquem per ſcelus, antequam de cauſa cognitum eſſet, aut non dum iudicio conſtituto: uel occiſum eſſe quempiã in itinere antequã eò perueniret quò pergebat ire. Non enim de cauſa cognoſcitur homine iam damnato: uel ad locum peruenit quis poſteaquam eſt occiſus. Huius eſſe generis poteſt ille Virgilij locus;

Sed mihi uel tellus optem prius ima dehiſcat.
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras
Pallentes umbras Herebi noctemque profundam
Ante pudor quam te uiolem aut tua iura reſoluam.

Maxime naturale eſt ita loqui ut; Legatos antequã audiſſent oĩno, ſenatu eiecerunt. Sic ueteres Latini, & Græci ſæpius loquuntur. Vt Homerus:

τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν
ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν ἄργει τηλόθι πάτρης.

Non. n. intelligi hoc uoluit Agamẽnon, fore ut Chriſeida, quũ facta erit anus, à ſe dimittat. Dudũ & Iã dudũ, aliquid intra unũ diẽ, Nuper, Pridẽ, & Iampridẽ intra annũ, aut paucos annos, tẽpus notãt, pro ut quæq; res, maiorẽ minorẽue diuturnitatẽ ferre poteſt, ut; Nuper duxiſti uxorem. Nuper ſunt bonæ artes reſtitutæ. Iampridẽ ad literas acceſsi. Iampridẽ hæc ciuitas habitari cœpta eſt. Raro ẽt dicimus, olim pro Iampridẽ, ut Cicero ad Atticum; Locus ille animi noſtri, ſtomachus ubi habitabat, olim concalluit. Diu, & Iamdiu norũt omnes, ijs cũ uerbis dũtaxat cõiungi quorũ ſignificatio permanẽtior eſt nec cœpta ſtatim trãſit, ut: Diu uixit, nõ aũt Diu mortuus eſt; Iamdiu mãſit, nõ iamdiu uenit. Dũ, illud habet nõ prorſus vulgare genus; De Aufidio & Pelicano non puto te expectare dum ſcribam, Vix dum ſic utimur, ut ẽt dicamus; Vix dũ limen ingreſſus, toto corpore tremuit: alio quidẽ ſenſu, eadẽ tamen ratione qua Nondũ: quibus adiunctũ eſt Nihildũ, ex illo Ciceronis in Catilinã loco; Atque horum omnium ſcelerũ, improbiſsimũ machinatorem Cimbrũ Gabiniũ ſtatim, nihildũ ſuſpicantem uocaui. Huius poſterior pars uerbi, nominibus ẽt adiungitur, quæ negãdi tamen uim habeant, ut Nemodum, Nullusdũ. Itaq; doctis hominibus ita loquendi mos eſt; Ad urbem ueniſti, quo tempore nullidũ, neque tumultus, neq; belli ſuſpiciones eſſent. Iungitur dum etiam cum tantiſper ut M. Tullius ad Varronem; Tibi igitur cenſeo latendum tantiſper ibidem, dum efferueſcit hæc gratulatio. Terentius in ἑαυτοντιμωρουμένῳ

Ego

Ego te meum eſſe dici tantiſper uolo
Dum quod te dignum eſt facies :

Quemadmodũ intereadum,& uſquedum,ut orator eo loco in Verrem; Fatetur id quod negari non poteſt ſe priuatũ hominẽ prædonum duces uiuos atq; incolumes domi ſuæ,poſtea quã redierit uſq; dũ per me licuit tenuiſſe.Sic ẽt, intereadũ redeo tibi mi frater ẽt at que ẽt proſpicies.Protinus ẽt inter aduerbia temporis locatur , ut;

Protinus ad regem curſu detorquet Hiarbam.

Neſcio an cum his enumerem Præterea.Neque multum enim, neq; prorſus nihil uidetur ad hunc locum pertinere, ut ;

Quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea?

& aliud nõ erat genus ullum ad quod referri poſſet. Eius uerò uſus eſt eiuſmodi,ut nõ poſt multa ſolum,ſed poſt ſingulas etiã ponatur uel res uel perſonas,ut; à me uerò (inquit Cicero ad Sulpitium) ita diligitur, ut tibi uni concedam,præterea nemini : & in oratione de imperio Põpeij; Eundẽ hunc unũ ab hoſtibus metui,præterea neminem. Sed uenio iam ad locorũ aduerbia,quæ ſunt ut Hic,Illuc,Eò, Iſtorſum, Athænis,Romæ,Sagunti. Ex his porrò alia ſignificant in loco,alia de loco,alia per locum,alia ad locum,alia uerſum locum, alia uſque ad locum.Sunt igitur in loco; Præterea Aduerbia locorum

Hic,Iſthic,Illic,Intus,Foris,Ibi,Ibidẽ,Inibi,Alibi, Alicubi,Vſquã, Nuſquam,Sicubi,Vſpiam,Necubi,Intrinſecus,Extrinſecus, Vtrobique,Vbique,Vbiuis,Vbiubi,Vubicunque,Subtus,ſurſum,deorſum, protenus ut Protenus æger ago.De loco, Hinc,Iſthinc,Illinc,Vnde,Eminus,Cominus,Aliunde,Sicunde,Necunde,Alicunde, Indidem,Cœlitus,Funditus,Vtrinque,Vndecumque.

Per locum,Hac,Iſthac,Illac,Ea,Qua, Siqua, Nequa, Aliqua, Quacunque.

Ad locũ,Huc,Iſtuc,Illuc,Intro,Foras,Vſquã,Nuſquã,Eo,Eodem, Quo,Siquo,Nequo,Aliquo,Vtroq;,Quocunq;.Verſus locũ,Quorſum,Horſum,Iſtorſum,Illorſum,Deorſum,Quoquouerſus,Retrorſum,Deſtrorſum,Siniſtrorſum, & quæ proximo ſuperiore libro dicebam,Surſumuerſum,Deorſumuerſum,Vtroqueuerſum, Aliorsũ, aliquorſum,aut quẽadmodum à ueteribus dicuntur Aliouersũ,Aliquouerſum,itẽq; Quoquouerſum. Vſq; ad locũ,Quouſq;Hucuſq;, Iſthucuſq;,Illucuſq;, Placuit nihil addere ad ea quæ grãmatici tradiderũt; Cõtra uerò detraxi quæ mihi aut nimia nõ uſitata ab omnibus uidebantur.

Paucis.n.quæ retuli,toto hoc de genere poterit quilibet admoneri. Ergo ad illud reuertor,ut locorum atq; urbium de nominibus pauca dicam.Hæc.n.ſi primæ declinationis,aut ſecundæ ſint, manſione in loco ſignificáda,eſſe debent caſu genitiuo,ut; Erá ego Bononię, Tu Brunduſij.Sin declinationis tertiæ ſint,uel ſolo prædita numero multitudinis,ijs utendũ in ablatiuo , ut ; Papiriũ ego Baijs , ille me Neapoli expectabat.Quod ſi motus ad locũ fiat,tũ nulla cũ præpoſitione,hæc tanquá aduerbia ſint in formá uertemus accuſatiui, ut; Proficiſcebar Mantuá : Ille ingreſſus erat Medioianũ, Venerat Carthaginem,Miſſus erat Venetias,Redierat Puteolos. Diſceſſus aũt ſi de loco eſt,uel tranſitus per locũ,ablatiuo uti neceſſe erit,ut Redierá Fauentia,Piſauro,Neapoli,Formijs.Iter feccrá Vria,Taréto, Pópeijs,Tybure,Venetijs.At ſi uerſus locũ dicere volumus,uel abſque ad locũ,addenda præpoſitio eſt,ut,Romam uerſus,Ariminũ uerſus, Vſq; Brixiam,Vſq; Mediolanũ.Præterea,Domus,Humus,Rus,Militia,Bellũ & ſi non omnino, plurimùm certè loco ſunt aduerbiorũ ut nomina quæ dixi urbium uel oppidorum.Eſſe tamen in bello , & proficiſci ad bellum,& ex bello diſcedere dicimus,& Rure futurum Horatius,uerſus cauſa dixit.Præterea uerò quæcunq; alia ſint nomina locorum, aut perſonarum,quácunque uel manſionem, uel itionẽ, uel diſceſſum,uel tranſitum ſignificare uolumus,ea iungi præpoſitionibus debent, ut; Proficiſcor in Italiam,ad exercitũ, ad Alpes, ad Cæſarem: ab Italia,ab exercitu,ab Alpibus,à Cæſare.Ita etiá ad agrum,ad flumen,ad uillam,ad urbem; Eram in agro,in urbe,in uilla,in Cumano.Ibá ad amicos,ad patrẽ,ad legiones,ad Põpeium.Redijt frater ab agro,ab urbe,à uilla,è Cumano,ab amicis,à patre.Siquid interdum aliter ſcriptũ ſit à doctis,ut; Venire ad Capuá,uenire ad Meſſaná,uidere oportebit,num id hunc ipſum ad ſenſum dicatur,quẽ nunc uolumus,an fortaſſe quiddam ſit, quod ad publicá ſermonis legẽ non uideatur eſſe reuocandum.Ná doctiſsimi Romanorum ſic loquuti ſunt ipſi,& ab alijs nequid præter hanc rationem fieret exigebant.Etenim Pomponius Atticus ipſum quoq; Ciceronem auſus erat reprehendere,quod, is (ut uidebatur) ad nomen oppidi præpoſitionẽ addidiſſet.Illud poſtremũ ſit, ut eſſe locus pro tẽpore conſueuit , ſic aduerbia quæ ad locũ pertinent , & pro loco tempus pro ijs quæ temporis , & hæc pro illis cõi in loquendi conſuetudine uſurpantur. Superſedendum putaui exemplis, quæ ſunt nota omnibus,nec dicẽdum eſt,locorum aduerbia quædam, pro temporum,& contra illa pro his eſſe in communi uſu doctorum .

Q. MA-

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. XI.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

HIC de interiectionibus primum: ſecundo loco de coniunctionibus plurimorum generum, deq; uſu illarum ex maximis latinæ linguæ auctoribus diſſerit. Permagnam ad coniunctiones admonet ponendam eſſe diligentiam, legendo, uel ſcribendo, quod ex his quædam non ualde abſint etiam à connexionibus dialecticorum.

RELIQVAE mihi duæ ſunt partes orationis, quarum ea, quæ interiectio dicitur, quanquam ex natura ſua, & ſententia græcorũ aduerbio ſimilior eſt quam coniunctioni, eã tamen, quia decimus liber nimium creſcere uidebatur, ad hunc locum potius differendam putaui. Erit igitur hic, prior locus interiectionum, quæ breuiter quùm erunt abſolutæ, paulo accuratius mihi de coniunctionibus diſputandum erit. Etenim præpoſitio, quùm ad nomina, & partium cæterarum caſus, aduerbium ad uerba, participia, eaſq; partes orationis de quibus ante dictum eſt ſingulas referatur, coniunctio utrunq; habet à natura, ut quùm uerba, tum ſententias maximè coniungat. Ergo maius quoddam hæc requirit ſtudium, quia non uerba tantùm ut ſuperiora, ſed ipſam quoq; ſpectat orationem, cuius & uerba uerbis, & inciſa inciſis, & membra membris, & maiora etiam, ideſt comprehenſiones comprehenſionibus coniungit, & ſententias accommodat ſententijs. Non grauior fortaſſe

ratio,

ratio, aut intellectus obſcurior coniunctionis quàm aduerbij, quam præpoſitionis, quàm cæterarum partiū, ſed obſeruatio atq; uſus diffi cilior, ut longè maiorem diligentiam exercitationemq; deſideret. Vbi.n. grauitas rerum, oratione ſublimi, longo, multiplici, ac perplexo circuitu deſcribenda eſt, cauſæq; plurimæ cauſis, & rationes rationibus adiungendæ, & uariarum ſerie coniunctionum, ſententia paulo maior, cum dignitate explicanda, uidemus aliquando non indoctos etiam homines, male coniungendi uitio laborare. Prorſus autem hæc pars orationis, ubi etiam ſimilia coniungimus, multiplicia diſtinguimus, differentia, contraria, pugnantia, conſequentia, antecedentia, coniuncta, aut alia alijs collata iudicamus, aliquid poſtulat maius, quàm ea quę nudis in grammaticorum præceptionibus tradi poſſunt. Quamobrem, ea quæ ſcribimus & ſi non incommodis omnino exemplis conati ſimus illuſtrare, ex oratorum uſu tamen, integris orationibus, aut orationum locis, & exercitatione multa confirmabimus. Atq; ego nunc uti iam dixi initium ab interiectionibus capiam ſcribendi.

Interiectio, eſt pars orationis indeclinabilis, alijs partibus orationis interiecta ad uarios exprimendos motus animorum inuenta. Sunt.n. interiectiones uel gaudendi, ut Euge, Euax, uel ridendi ut Ha Ha He, uel admirandi, ut Hem, Papæ, uel dolendi, ut Heu, Hei, Eheu, Ah, Oi, Væ, uel metuendi, ut At At, uel indignandi, ut Prò, uel Optandi, ut O, uel irridendi, ut Vah Hui, uel corripiendi, ut Ah. Ex his præter admodū paucas, ut dolendi indignandi & optandi quaſdam, non modo oratorum ſed ne poetarum quidem ſunt niſi dumtaxat Comicorum. Vbi.n. paulo grauior ſermo eſt, ſignificantibus uerbis, integriſq; uocibus loquendum erit. Interiectiones uerò quid aliud ſunt quam ſine uerbis, actiones quædam, & quaſi geſtus uerborum? Itaq;, illarum crebrior eſt uſus in ſcena, ubi non his uocibus modo, ſed etiam uultu, oculis, inceſſu, geſticulatione, & ſæpius nihil dicendo, minima ſpiratione aliqua, res agi pluſquam narrari uidetur. Quare audiendi non ſunt qui interiectiones inter aduerbia numeranda eſſe crediderunt. Non quæram græcos quid mouerit ut hoc exiſtimarent, noſtri quidem certè omnes qui hæc literis mandauerunt, has diſtinctas uoluerunt eſſe partes orationis. Eſt.n. propria aduerbij natura quā ante docuimus, adiectiui nominis, participij, præpoſitionis, ipſius aduerbij, ſed plurimū uerbi ſignificationes moderari, quod longe ab interiectione abeſt, cuius eſt uarios motus animi oſtendere, quod minimè uerbū attingit. Ergo ne ſimiles quidem

dem inter ſe partes orationis has eſſe quiſquam dicere audebit. Sũt hæ quidem uti iam dixi omni in ſermone familiari & in comicorum fabulis crebriores. Videro tamẽ ſiquę ſunt oratorum,deq; ijs identidem admonebo. Ac duæ primę, Euge, Euax, quanquã ſequutus alios, ad lætitiam retulerim, ſunt etiam gratulandi, animandi, laudandi, exultandi,aſſentiendi,exprobrandi, irridendi, & aliarum affectionum uoces. Quare etiam exempla nulla attuli poetarum,quòd intelligi uolo ex locis ipſis ubi inueniuntur, nõ ex inſtitutione mea multiplices illarum ſenſus cognoſci oportere. Ridendi uerò unius tantum ſunt rationis,ut nihil aliud ſignificare poſsint. At admirandi, illud Hem, non admirationem tantum oſtendit; immo etiam, una tantum in Plauti,uel Terentij fabula, uix numerare poſsis quam uarie ſenſus mutet: quæ apud illos ad ſcreandum quoq; uel tuſsiendũ ſæpe accommodetur,& ST, pro ſilentij nota ponitur in Phormione quam Velius etiam longus obſeruauit. Papæ,paulo pluſquam admirandi interiectio eſt, ut;

Papæ facie honeſta.

Dolẽdi,illę primę q̃ ſunt,Heu & Hei,ſunt ẽt oratorũ. Heu,datĩ accuſatiuo,ut Heu me miſerũ,Heu te perditũ:aliquãdo ẽt noĩatiuo, ut;

Heu pietas,heu priſca fides

Adhibetur ad alios motus, ut;

Heu ſtirpem inuiſam & fatis contraria noſtris
Fata Phrygum

Ac talem habet quendam ſenſum quoties non pronominibus iungitur. Interdum geminatur Heu heu,uel Eheu,ſine caſu, ut;

Eheu quid uolui miſero mihi

Hei iungitur datiuo, ut;

Hei mihi qualis erat

Væ,aut ſine caſu ponitur, ut;

Mantua uæ miſeræ nimium uicina Cremonæ

aut cum datiuo,ut in Andria Terentius;

Væ miſero mihi,

Ah, quemadmodum ſupra de Hem dictum eſt, innumerabiles penè ſignificationes habet. Eſt enim dolentis, indignantis, optantis, reprehendentis,obiurgantis,denegantis,reclamantis,ſuſpirantis, quæ & his multo plura, ex auctorum locis iudicari malo quam ex infinitis afferre plurima quæ tamen propter infinitatem paucissima uiderentur. Hæc olim Haha pronunciabatur, nunc etiam geminari ſyllabam Ahah; uel ei in principio aſpirari uel omnino aſpiratio tolli.

Corri-

Corripientis uim habet ille Plauti in Rudente locus:

Ah nimium familiariter.
Me attrectas:

Terentianum quoque exemplum;

Ah ne ſeui tantopere

Nota ſunt illa

Ah Corydon Corydon

&

Ah uirgo infelix tu nunc in montibus erras

O, quoties aduerbium uocandi non eſt, interiectionem eſſe neceſſe eſt, non minus multa ſignaficans quam ſuperiora, uel Ah, uel Hem, uel Heu, uel Euge, uel Euax, quorum ſunt à nobis quædam in aduerbijs notata. Hoc apud Terentium dolentis eſt in Eunucho: Nec pauciores oſtēdit motus, uel Oh, uel Oho quàm quæ ſunt ante memoratæ, ſed Euge etiam uel approbantis eſt plurimum uel approbare ſimulantis. Eſt & Ohe faſtidientis interiectio. Metuentis At at, quæ tamen ſenſum ita multiplicem habet, ut cæteræ quas iam dixi, ut attenta animaduerſio auctorum hic etiam neceſſaria ſit, magis quàm præceptio. Cogita enim Terentij locum;

At at, hoc illud eſt,
Hinc illæ lacrimæ, hæc illa eſt miſericordia

etiam in Eunucho

At at, data hercle uerba mihi ſunt: uicit uinum quod bibi:

& eadem in fabula

At at hic quidem eſt paraſitus Gnatho
Militis ducit ſecum unà uirginem, huic dono.

Cogita etiam plura. Omnibus.n.penè in locis nouæ interiectionis huiuſce, ſignificationes apparebunt. Prò indignantis dolentiſque ſimul, ut;

-Prò Iuppiter ibit
Hic ait & noſtris illius erit aduena regnis.
Pro Deû atq; hominum fidem
Prô Dij immortales, facinus indignum quod narras?

O, optandi, ut;

O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos.

Vah, irridendi, quæ erat Vaha, quemadmodum Ah & Aha, cuius tamen ut aliarum non una tantum ratio eſt, uerùm admirantis etiam, ut;

Vah conſilium callidum

& gau-

& gaudentis & inſultantis & plurimarum adhuc ſignificationum cuius loco Hui præſertim admirando ac deridendo ponimus. Hui & Hem ſæpius Oratorum ſunt, ut Hui, totiesne me literas dediſſe Romam, quùm ad te nullas darem? Idem Cicero ad Terentiam; Hem mea lux, meum deſiderium, unde omnes opem petere ſolebant, te nunc mea Terentia ſic uexari, ſic iacere in lacrimis & ſordibus? Eſt etiam Hau conſternatæ mentis, ut;

Hau obſecro mea Pythias, quid iſtuc nam monſtri fuit?

Eho, uel Eodum, uocantis uel attentionem poſtulantis interiectio eſt, ut;

-Eho dic mihi, ſi omnes coniectum hunc in nuptias
-Inimici uellent, quod niſi hoc conſilium darent?

Euoe, & Iò, ſunt Bacchantium uoces, ut;

Euoe Bacche fremens, &
-Io matres, audite ubicunq; latinæ.

Hic uerò illud rectè cogitari uelim, & plures etiam eſſe interiectiones poſſe, & plura interiectionum genera; neq; his quas iam retuli ſingulas, certasq; dari ſignificationes, ut cæteris partibus orationis. Neq; enim uerba hæc ſunt, ſed quidam, uel gemitus, uel anhelationes, uel ſuſpiria, uel nutus (ut ſic dixerim) uerborum, uel ſiquod eſt aptius aliud nomẽ quo aſſequar id quod uolo, qui nutus tot ſunt omninò, quot modis in conſuetudine uulgatiſsima loquendi in uocis literatæ locum, ſpirationes confuſæ quædam ſuccedunt. Quando igitur nec uerba quidem ſunt, nec alij à uerbis naſcuntur, certo more, certisq; accentibus pronunciari Donatus non putauit. Sunt uerò quædam non interiectiones, ſed interiectionum loco uſurpata, quæ aliud atque aliud erant antequam interiectiones eſſent, quod genus ſunt Miſerum, Infandum, Malum, Nefas, ut;

-Pendere pœnas
Cecropidæ iuſsi miſerũm ſeptena quotannis &
Nauibus infandum amiſsis

Apud etiam Oratores, ut; Quænam (malum) eſt iſta uoluntaria ſeruitus, & in Verrem; Quæ malum eſt iſta tua audacia atq; amentia? qui malum iſti Pindeniſſæ? Nec mirandum eſt, Eia, Age, Agite, Ageſis, item Apage, Apagete, & alia quædã ab alijs aduerbia ab alijs interiectiones putatas eſſe. Verum ego tranſeo hinc de coniunctionibus quoque ut breuiter exponam. Duas.n.has partes orationis, (quando nõ longior interiectionum ratio eſt) mihi in hunc librum includendas putaui.

Coniun-

Coniunctio. Coniunctio eſt pars orationis indeclinabilis annectens ordinansque ſententiam. Tria huic attributa eſſe uoluerunt, figuram, ordinem, poteſtatem. Figuram eſſe aiunt, uel ſimplicem, ut; Et, uel compoſitam, ut; Etiam. Ordinem ad eas referunt, quæ præponi, uel quæ ſubiungi debent in oratione. Itaque præponuntur Et, Ac, At, Aſt, Atque, Aut, Vel, Nec, Neque, Quin, Quatenus, ſi, ſin, Ni, Niſi. Subiunguntur, Que, Ne, Ve, Quidem, Quoque, Autem, Verò. Præponi & ſubiungi poſſunt cæteræ ferè omnes, Ergo, Quanquam, Equidem, Igitur, Tamen, de quibus omnibus infra ſubtilius diſſerendum erit.

Coniunctiones copulandi. Nunc uerò trium quæ dixi generum alia ſcrupuloſiora in genera coniunctiones diuidendæ ſunt. Alias enim grammatici appellant copulandi, Et, Que, Atque, Nec non, Ac, Quidem, Quoque, Etiam, Item, At, Aſt, Sed tamen, Sed enim, Veruntamen, Autem, Verò. Rectè aiunt copulari his confirmarique ſententiam.

Ac primùm Et, ſi partes orationis coniungit quæ per caſus declinantur, eoſdem eſſe caſus debere nemini dubium eſt: ſin uerba copulet uerbis, uel unum uni, uel unum pluribus, ut poſsint eſſe diuerſa tempora, modos tamen uariari non oportebit: quæ ratio communis eſt coniunctionum omnium. Hæc tamen qua de agimus refertur aliquando ad cauſas, ut idem ſit propemodum quod Quia uel Quoniam, ut Terentius in Eunucho

Sed uideo herilem filium minorem huc aduenire
Miror quid ex Piræeo abierit: nam ibi cuſtos publicè eſt nunc,
Non temerè eſt, & properans uenit.

Idem omnino in Que obſeruatum eſt, ut illud Ciceronis exemplum indicat; Non ſolum nobis nati ſumus, ortusque noſtri, partem ſibi patria uendicat, partem amici. Denique his duabus coniunctionibus, uulgo hic ſenſus datur ab omnibus. Habet illa prior cum interrogatione uim admirandi, quales eiuſmodi ſolent eſſe loci;

Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa uidendi?

Duplicatur ſæpiſsimè, ut; Amicitiam noſtram, & colui ſemper & notam eſſe poſteritati uolui. Non rarò utraq;, ter & quater, & amplius multiplicata eſt, ut; Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accuſare, & monere ut magnam infamiam fugiat non deſiſtimus. Crebrius hoc poetæ faciunt, ut;

Therſandrus, Sthelenusque duces, & dirus Vliſſes,

Demiſſum

Demiſſum lapſi per funem, Athamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon.

Vides hic primo in uerſu utranq; ſimul eſſe coniunctam, ut;

Sthelenusque duces, & dirus Vliſſes

Idem in uſu eſt apud oratores, ut; Quis ignorat ij qui Mathematici uocantur quanta in obſcuritate rerum, & quam recondita & multiplici ſubtiliq; uerſantur? Hoc ipſum fit etiam coniunctionum ordine mutato, ut idem Cicero in Antonium; Ego arma contra Deos araſque, & focos tuli? Hanc, disiunctionis loco ponunt aliquando poetæ, quemadmodum disiunctiones etiam apud oratores pro coniunctionibus ut Horatius,

Non equidem inſector, delendaque carmina Liui
Eſſe reor

& Virgilius

Aut pelago Danaum inſidias ſuſpectaque dona
Præcipitare iubent ſubiectisque urere flammis.

Altera, ut interiectio, animorum quoque motibus datur, ut Virgilius.

Et quiſquam numen Iunonis adoret?

Vehementiam addit orationi, illo more uſurpata; & dubita ſi potes quin ille, ſeu uictus, ſeu uictor redierit cædem facturus ſit. Item aliter pro Milone; Et ſunt qui de uia Appia loquantur, taceant de curia? Hanc ponimus aliquando pro Ac, uel Atque, illo uidelicet ſenſu; Res aliter ſucceſsit ac putaueras, ut pro A. Cæcina; Non alia cauſa eſt æquitatis in uno & in pluribus: & pro M. Cælio; Lux longe alia ſolis & lychnorum. Iungitur alijs coniunctionibus, At uerò, Et uerò, Et quidem, Et item, Et iam, Et etiam, Et hercule, Et profectò, Et certe. Dicimus etiam, Et quod dicendum ſit, pro nequid diſsimulem.

De Neque, & Nec aduerbijs negantibus hoc loco, etiam literati homines aliquid meminere, quod iam ſupra diximus ea uim habere etiam coniungendi, perindeque eſſe ac ſi ET NON, dicatur. Attuli igitur ſupra de illis hoc (ſi memini exemplum; Furnium noſtrum à te diligi nec miror & gaudeo: quod alijs modis licet commutari. Poteſt enim huiuſmodi in oratione modo Nec, aut Neque, modo Et in priore membro poni, ut; Furnium noſtrum a te diligi & gaudeo, nec miror. Venuſte autem coniunctio ET, pluribus membris negantibus adiungitur, ut ipſa quoque præter naturam ſuam negans fiat, qualis eſt apud Horatium locus,

Non ſemper imbres nubibus, hiſpidos
Manant in agros, aut mare caſpium
Vexant inæquales procellæ
Vſq;: nec Armenijs in Oris
Amice Valgi ſtat glacies iners
Menſes per omnes: aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant
Et folijs uiduantur orni.

Ac & Atq; ſimilia ſunt. Vtraq; enim multo magis quam proxima ſuperior utilis eſt ad comparationes, ut; Aliter cecidit ac putatum eſt, Euenit contra omnino atq; uoluiſſes; ut Cicero; Non poſſum ego, non aut proximè atq; ille, aut etiam æquè laborare. Statim atque, pro ſtatim poſtquam: ſimul ac & ſimulatq;, ut;

Quam ſimul ac tali perſenſit peſte teneri.

Dicitur ſæpius alius, & aliter atq;, & in Terentio

Aliorſum atq; ego feci

Valde etiam frequens, ſimiliter, diſsimiliter, ſimilis, diſsimilis, alius, par, & pariter, ut; Similiter agis mecum atque ſi ego repugnarem. Dicimus etiam, Item atq;, ut; Non item boni atq; mali ciues de te loquuntur. Adhuc antecedente comparatiuo, ut; Egit mecum uehementius ac ſolebat. Fuit in me durior atq; putauiſſem. Idem fit antecedente Secus, ut; Velim domum ad tuos ſcribas ut mihi tui libri pateant non ſecus ac ſi ipſe adeſſes. Vbiq; etiam illa occurrunt; Aliter ac uolo, Aliter atq; putatum fuit. Item contra ac uolo, Contra atq; arbitrabar. Nec minus erit latinum, ſi dicatur, confeſtim atque, ut æquè ac uel perinde atq;, ut; Me certè habebis, cui carus æque ſis & periucundus ac fuiſti patri. Illa etiam quę non ſunt huius loci; Aequè quam, Aequè ut, Perinde ut, Perinde quaſi. Itē, pro eo ac decuit, pro eo ac debitum fuit, pro eo atq; officij ratio poſtulabat. Neq; eſt inuſitatum, Idem ac, uel Idem atq;, ut; Non idem uos atq; ego ſpectauiſtis. Nec rarum eſt illud genus; Iuxta ac ſi meus frater eſſes. Conuicijs me affecit iuxta ac ſi à me iniuriam accepiſſet: & illa, Iuxta mecū rē tenes: Iuxta mecū intelligitis. Vulgatū eſt ita etiā loqui; Hoc conſilio, atq; adeo hac amentia impulſi, quibus in locis, Atq; adeo, ſuperioris uerbi correctio eſt, aliā minoremue quā uolumus uim habētis. Superioribus in exemplis oībus, Ac & Atq; loco ſunt aduerbiorum. Eſt aliquando hæc ſecunda, pro ſtatim, ut;

Si brachia forte remiſit;
Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

Naturam

Naturam coniungendi quum ſuſtinent, (niſi inconcinnitas impediat orationis) alteram loco alterius ponere licebit, ut; Manſuetudinem ac uirtutem Cæſaris libentiſsimè ſum complexus: uel; Ignem ab urbe atque à templis omnibus prohibui. Valde etiam frequenti in uſu eſt omnium Ac & Atque in ſententiarum quoque principijs, ut;

Ac primum ſilicis ſintillam excudit Achates.

Cicero etiam de oratore; Ac ne illud quidem dici poteſt, plures cæteris artibus inſeruire, aut maiore delectatione, aut ſpe uberiore, aut premijs ad perdiſcendum amplioribus commoueri. Eodem ſtatim in loco, idem auctor; Atque, ut omittam Græciam, quæ ſemper eloquentiæ princeps eſſe uoluit, atq; illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, & quæ ſequuntur. Vbi corrigendum eſt proximum uerbum, per Ac potius quam per Atque loquendum erit, ut; Omni officio ac potius pietate erga te cæteris ſatisfacio omnibus. Poſitam aliquando inuenimus pro Et quidem, ut in Andria Terentius

Ego uero, ac lubens

In comparationibus uerò (ut iam dixi) cum uerbis ad æqualitatem, ſimilitudinem, uel diſsimilitudinem, qualitatemue pertinentibus, ambæ hę coniunctiones ponuntur, & cum ijs etiam quæ uel repugnantia ſunt, uel contraria, uel quoquo modo ad ſuperandum pertinent, quorum exempla nuſquam non plurima occurrunt.

Etiam uerò quoties tantum coniunctio eſt, non longiores habet explicatus, ut;

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris

Iungitur uulgo alijs uel coniunctionibus, ut Quoque, Atque, Item, Ac, At, Atque, Sed, Autem: uel ſibi ipſi, ut Etiam atque etiam: uel aduerbijs, ut Nunc, Tunc, Adhuc, Mox, Iam, & ijs quę ſunt id genus. Fit aduerbium temporis, ut;

Ego met quoque eius cauſa in funus prodeo,
Nihil ſuſpicans etiam mali

Eſt, idem quod præterea, ut;

Etiam puerum inde abiens conueni Chremis

Sępius aduerbium eſt ex eo genere quod uocant eligendi, corrigitq; ſuperius uerbum aut ſententiam, ſimiliter atque, Immo, uel Contra, ut Cicero in Verrem de ſupplicijs, Deriſum credo eſſe hominem amentem à ſuis conſiliarijs, & admonitum, haſce ei tabellas nihil profuturas, etiam plus ex nimia Prætoris diligentia, ſuſpi-

cionis, in eo meo crimine futurum. Eſt aduerbium affirmandi, ut interroganti, factumne ſit aliquid nec ne, aut, Non, aut Etiam reſpondendum ſit, ut M. Tullius in Lucullo; Vt ſequens probabilitatem ubicunq; hæc aut occurrat, aut deficiat, aut Etiam, aut Non reſpondere poſsit. Et uerò Etiam, pro Atque etiam dici ſolet, ut; Multum te rebus meis integris adiuui, & uerò etiam nunc euerſis, quæro ſiquid poſsim. Ponitur etiam omiſſo non ſolum, ut; Studia humanitatis uoluptatem afferre poſſunt etiam Senectuti. Etiam ſi pro Tametſi, non eſt cur explicari debeat cuiquam.

Item, uel Itemque, pro Etiam, ut rarò altera alteri ſuccedere iis præſertim in locis non poſsit, ubi in rebus differentia quodam modo, uel diuerſitas aliqua oſtenditur, ut; Ea res uni tibi, uoluptati eſſe poterit, cæteris non item. Mulieri ſine tutore auctore pecuniam rectè ſoluas, pupillo non item. Vera tamen coniunctio eſt, pro Etiam poſita, illo more;

Sed poſtquam amans acceſsit pretium pollicens.

Vnus & item alter.

Quoque ualde ſimilis eſt proximis quas dixi ſuperioribus, ut;

Multa quoque & bello paſſus.

Aliquando Sed ad ſeparandum poſita eſt, uel excipiendũ, & quemadmodum Phalereus Demetrius, de ἀλλὰ & ἀλλά noſtræ huic reſpondente ſcripſit, ad principia non quidem orationum, ſed partiũ quarundam locatur. Vtitur autem is illo Homeri exemplo.

ἀλλ' ὅτε δὴ πόρον ἷξον ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο

N s tamen abundamus noſtris, ut

Sed te qui uiuum caſus age fare uiciſsim:

Scio tamen hic diſceſsiſſe me aliquantulum à quibus propoſueram: quare pergam his de excipiendi coniunctionibus dicere, ut; Arbitratu quidem tuo facere te uolebam, ſed non ut uillam incenderes. Permiſeram tibi ut proficiſcerere; ſed non ut perpetuò exulares.

Poteſt his duobus in exemplis ubi eſt Sed, poni Verum, & huius loco, Sed tamẽ, & non raro Sed enim, uel At, uel Veruntamen. Hoc uerò quod poſtremum eſt, reditionem ad ſuperius uerbum aut rem propoſitam ſignificare interdum ſolet, ut Cicero ad Atticum libro primo; Quum eſſem in Tuſculano (erit hoc tibi pro illo tuo quum eſſem in Ceramico) ueruntamen quum ibi eſſem, Roma puer à ſorore tua miſſus, epiſtolam mihi abs te allatam dedit.

Verum enimuero excipiendi uim habet quemadmodum ſuperiora, ſed paulo maiorem.

Enimuero etiam uehemens quædam affirmatio eſt.

At ponitur ſæpe ad exceptiones quas iam dixi, ut ſi dicas; Volui te quidem adeſſe, at non ut cauſam oppugnares. Sæpiſſimè pro ſaltem, ut; Quando nihil poteras adiuuare, at prouidẽdum erat nequid obeſſes. In obiectionibus etiam, quas ἀνθυποφορὰς dicunt, At eſſe commodam ſciunt omnes, ut pro Archia poeta; At domicilium Romæ non habuit. Adhuc, obiectionibus quùm reſpondetur, ut idem Cicero ad Rufum; Ego de prouincia decedens Quæſtorem Cælium præpoſui prouinciæ: puerum inquis? At Quæſtorem, at nobilem adoleſcentem, at omnium fere exemplo. Sæpius autem pro Contra, quale eſt;

At Regina graui iamdudum ſaucia cura.

Aliquando uim ſignificat maximam, quùm doloris, tum indignationis cum deteſtatione, ut idem Virgilius;

At tibi pro ſcelere exclamat, pro talibus auſis.

Vbi aduerſandi uis eſt poni etiam licet, Atqui, ut Cicero de Natura Deorum; Atqui certè nihil eſt melius mundo.

Aſt poetarũ eſt quidẽ, ſed qua Oratores et aliqñ utunt̃, ut ad Atticũ Cicero; Crebras à nobis literas expecta, eſt plures et ipſe mittito.

Quidem, ad res diſtinguendas, uulgato more, ſic utimur; Ego quidem philoſophiæ, tu uerò humanioribus literis operam nauas. Item quoties nulla diſtinguendi coniunctione ſequente, ſic loquimur; Nihil quod quidem ego ſciam petere à me, tibi ueniſſet in mentem, quin ultro darem. Hinc ille modeſtè loquendi mos eſt, quùm propoſita animi noſtri ſententia, alijs tamen impedimẽto non ſumus, quin melius aut contrà ſentire aliquidue pronunciare queant; Ego quidem ſic arbitror. Ego quidem ſic animum induco meum: uel, Equidem ſic iudico: Equidem ſic arbitrabar. Et ſi autẽ, apud quoſdã è doctiſsimis, Equidẽ primæ ſemper iungatur perſonæ, Ciceroni tamẽ, & alijs quamplurimis linguæ latinæ non minus perfectis auctoribus, ea religio non fuit, qui omnibus id perſonis ac numeris iunxerunt, ut; Illi ſunt equidem malè mulctati, ſatiſq; magnas pœnas dederũt. Præterea quoties ex duobus uno excepto, alterum confirmamus ut; Honores quidem omnibus dantur, gloriam uero paucisſimi conſequuntur. Apertior autem huiuſmodi eſt ſenſus quùm interuenit pronomen Ille, aut Is, aut Tu, ut;

Dulcibus illa quidem ſed triſtibus effera flammis

Libros inſpexi tuos parum multos illos quidem, ſed graues & auctoritatis antiquæ. Vt reuertar ad epiſtolam tuam, fuit ea mihi quidem periucunda, ſed parum eleganter ſcripta. Sępius tu quidem ſcripſiſti, ſed minus planè ad quæ ego uoluiſſem. Habet etiam coniunctio hæc locum ubi nihil excipiendum eſt, ut; Quæ in tuis erant literis, ea me quidem ualde confirmarunt, ſed mallem hæc antea cognoſcere potuiſſem. His omnibus in exemplis excipiendi uerbum, feci Sed, ubi poterat etiam eſſe ex his quodlibet, Verum, Verumtamen, At, Cæterum, Tamen, Attamen, Sedtamen. Aliud etiam genus eſt loquendi, in quo non ad excipiendum his coniunctionibus utimur. Afferunt ex Lælio Ciceronis uulgatum exemplum; Aut enim nemo (quod quidem magis credo) aut ſi quiſquam, ille ſapiens fuit. Quidem aliquando pro tamen, ut; Quanquam tibi ſuppeditata fuiſſent omnia ad literas, ingenio quidem & lingua nihil præſtitiſſes. Itaq; Cicero ad Lentulum; Sed certè, & ego te auctore amiciſsimo ac ſapientiſsimo, & tu me conſiliario fortaſſe non imperitiſsimo, fideli quidem & beneuolo certè uſus eſſes. Eodem libro idem auctor; Dignitatem quidem illam, fortis & cõſtantis Senatoris, nihil eſt quod cogitemus. Repugnet hic mihi fortaſſe quis non prorſus idem eſſe, Quidem in huiuſmodi locis, & Tamen. At mihi ſatis puto eſſe, locum oſtendere, & nouum genus quoddam, uel uſus, uel ſaltem collocationis, quod à naturali paululum diſsideat, propiuſq; ad illud Tamen accedat. Obſeruatum à doctis eſt, poni Quidem per ſe, nominibus ſimpliciter adiunctis auctorum quos ad rem confirmãdam citamus, ut Ariſtoteles quidem, Heſiodus quidem, Virgilius, aut M. Tullius quidem, cuius rei ſe multa offerunt exempla. Dicimus etiã id quod iam paulo ante intelligi potuit extenuantes aliquid; Vos non re modo ſed ne uerbo quidem uiolati eſtis: uel augentes; Petulanter iniuriam feciſti, & quidem in templo, & quidem præſente magiſtratu.

Hinc alia coniunctio nata eſt, Siquidem, pro Nam, uel Nanque uel huiuſmodi alia ex ijs quas uocant rationales, ut primo libro Tuſculanarum quæſtionum in principio M. Tullius; Nã quũm apud Græcos antiquiſsimum è doctis ſit genus poetarum, ſiquidem Homerus fuit, & Heſiodus ante Romam conditam, & quæ ſunt eius loci. Plerunq; duo uerba ſunt, Si, & Quidem, ubi tertiam à poſtrema ſyllabam, præter naturam, corripi, etiam ſi duo ſunt uerba, tum ex alijs tum ex Terentij Senariolo cognoſci poteſt

Siquidem me amaret, tum iſtuc prodeſſet Gnatho

& ex Ouidij uerſu

Hoc quoque tentemus ſiquidem ieiuna remanſit

Item altero, ſi modo rectè ſcriptum eſt,

Quæ mihi uentura eſt ſiquidem uentura ſenectus.

Ni & Niſi ad excipiendum natas eſſe non eſt cur admonendum ſit.

Niſi & Si non ſæpius altera loco alterius eſſe poteſt, ut;

Quæ ſi non aſtu prouidentur, me aut herum peſſundabunt:

& Virgilius

Si non pertæſum thalami thædeque fuiſſet.

Commutari ſimul hæc poſſunt, ut eſſe priore in exemplo, Si non, in poſteriore Niſi, ſatis commodè liceat. In illo autem; Niſi uerò exiſtimatis dementem P. Africanum fuiſſe, mutari hæc in alteram non poteſt quin orationis, & me hercule de ſenſu non nihil immutetur. Sunt huiuſmodi plurima, quale eſt; Nihil uideo quod timeam, niſi quod omnia ſunt incerta.

Verò & Autem diſtinguendi naturam habent, ſuntq; ex ijs uerbis quæ in principijs orationum locari nõ poſſunt, ut; Agebam ego tecum de ſtudijs, tu uerò mihi de cœna ſermonẽ inducebas. Quando igitur hæc, prima nunquam eſt, ei præponi, quùm alia ſolent omnia, tùm hæc præcipuè quæ ſequuntur, At, Quaſi, Iam, Enim, Age, Sanè, Tum, Nunc, Neque, & Nec, quorum pauca & rarò cum Autem, iungi poſſunt, nec ſæpius diſtinguunt, nec multum indigent exemplis. Notum eſt illud etiam genus; Ego uerò Serui uellem ut ais in meo grauiſsimo caſu affuiſſes. Idẽ ualet interdum quod Immo, uel Contrà, ut; Obijcis mihi quòd mathematicis credam, ego uerò illos ne audire quidem uolui. Eſt, reſpondentis, id ipſum eſſe quod non putabatur, ut ſi accuſanti quod non gaudeam in aduerſa fortuna, reſpondeam; Ego uerò gaudeo & lætor. Item aſſentiendi, ut; Eſt uerò ita mi frater ut ſcribis. Adhuc affirmandi, ut; Nõ inuitus tibi aſſentiebar, & uerò nihil repugnare potuiſſem. Addito, Etiam, ut ſi dicas; Et uerò etiam aſſentiendum fuit. Diſsimulanter & amarè ita loquimur ut in Eunucho Terentius

Sanè quia uerò hæ mihi patent ſemper fores:

& alio idem in loco

Mirum uerò impudenter ſi facit meretrix

Frequens eſt eiuſmodi quædam eſt ironia; Niſi uerò demẽtem fuiſſet Platonem credimus. Illa etiam Virgilij

Egregiam uerò laudem & ſpolia ampla refertis

Tuque puerque tuus

Stomachantis etiam interiectio eſt, ut;

Promoue uerò ocyus te nutrix

Vtimur Verò etiam ubi magna res quæpiam augenda eſt, qualia mille ſunt poetarum exempla, & Oratorum, ut Virgilij in ſeptimo;

Tum uerò ad uocem celeres qua buccina ſignum
Dira dedit:

& Ciceronis ad Rufum; Quintum & uigeſimum iam diem, aggeribus, uineis, turribus oppugnabam oppidū munitiſsimum Pindeniſſum, tantis opibus, tantoque negotio, ut mihi ad ſummam gloriam nihil deſit niſi nomen oppidi, quod ſi ut ſpero cepero tum uerò literas publicè mittam.

Eandem habet uim diſcernendi, coniunctio Autem, quæ in ſignificatu quem habet à natura uix aut non multum differt à Vero. Propriè tamen poſitam inuenies pro Etiam, in admirationibus laudationibusque præſertim, ut; Fratrem neglexiſti, qua fide, qua prudentia, qua autem pietate hominem? Quòd ſi interrogationibus, admirationibusue huiuſmodi, careat oratio, Tum autem dici conſueuit, quale Terentianum eſt illud;

Vt Dij illum Deæque ſenium perdant qui me hodie remoratus eſt,
Meque adeo qui reſtiterim; tum autem qui illum non flocci fecerim

Habet etiam coniunctio hæc locum ubi corrigendum eſt aliquid, quod parum nobis planè dixiſſe uideamur, unde eſt illud pueris in ore; Erat hoc mihi dolendum, ſed multo magis illud, quod inimicū meum, meum autem? immo uerò legum, iudiciorum, otij, patriæ bonorum omnium, ſic amplexabantur, ſic in manibus habebant, ſic fouebant, ſic me præſente oſculabantur.

Continuādi. Alias coniunctiones dicunt eſſe continuandi, ut Si, Sin, & Niſi; Prima uarium habet in oratione uſum. Nam ſi certa de re loquimur indicatiuo potius iungenda eſt, ut;

Ne abſte hanc ſegreges, neu deſeras
Si te in germani fratris dilexi loco
Siue hæc te ſolum ſemper fecit maxumi

Eſt autem hic modus obſecrandi. Longè diuerſa ratio apud Virgilium eſt ubi ratione agitur in hunc modum

Liber & alma Ceres ueſtro ſi numine tellus

Chaoniam

Chaoniam pingui glandem mutauit Ariſta
Si, pro An in dubitationibus ueteres dicebant, ut;
Viſam, ſi domi eſt:
& Virgilius (niſi tamen aliud genus eſt)
Si quibus eiectus ſyluis, aut urbibus errat.
Rarò autem, idque in uſu poetarum pro O ſi, ut;
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto
Poſita eſt aliquando ad ſignificationem temporis, ut;
Herus ſi redierit
Molendum uſque in piſtrino,
& Virgilius
Præterea ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.
Sæpiuſculè pro Tametſi, ut;
Non ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnes homines
Verſatur illud in uulgari conſuetudine loquendi; Si eſt ut errauerim: ſi eſt ut filios amiſerim, pudebit me lucem amplius uidere, quemadmodum Terentius in Phormione;
Si eſt patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit
Ex qua re minus rei foret, aut famæ temperans
Non cauſam dico quin quod meritus eſt ferat.
Sin locum non habet niſi antecedente Si, ut;
Si, periturus abis & nos rape in omnia tecum
Sin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,
Hanc tutare domum
Duplicatur aliquando Sin poſt ſemel poſitam Si, ut Cicero ad Trebatium; Quod ſi ſcribere oblitus es, minus multi iam te aduocato cauſa cadent: ſin noſtri oblitus ex dabo operam ut iſtuc ueniam, antequam planè ex animo tibi effluam: ſin æſtiuorum te timor debilitat, aliquid excogita, ut feciſti de Britannia. Primum locum atque adeo ſolum, tenere ſin uidetur ſæpiſsime, ut,
Hæc primùm ut fiant Deos quæſo, ut uobis decet,
Sin aliter animus ueſter eſt, ego Demea
Summa ui hanc defendam & illum mortuum.
Sed loca huiuſmodi quamuis nõ expreſſam omnino, at ſignificatam Si, habent, & ſignificatum aliud antecedens orationis membrum. Fortaſſe uerò illa ironia, ſimulatioque inter hæc dici poſsit, quę eſt, ſi Dijs placet, quum rei alicuius uel perſonæ indignitatẽ ſtomachamur,

mur, ut qua gloria commotus Epicurus exoritur, cui etiam ſi Dijs placet uidetur ſemper ſapiens, beatus. De Niſi autem ne admonendum quidem uidetur, quod etiam docti homines præcipiunt in huiuſmodi orationibus; Quid eſt ira niſi breuis inſania? Nihil erat in actis Cæſaris niſi leges Cæſaris, ubi eſt Niſi, locari non poſſe Quàm, illa ratione excepta qua ſic loquimur; Quid aliud eſt ira quàm breuis inſania? Nihil erat in actis Cæſaris aliud quàm leges Cæſaris. Vbi eſt Quàm, rectè Niſi, locum habere poterit, ut; Nihil erat in actis Cæſaris aliud niſi leges Cæſaris.

Subcõtinuãdi. Alias faciunt (ut ipſi loquuntur) ſubcontinuandi, ut Quando, Quoniam, Quia, Quandoquidem, Quatenus. Hæ non modo aliorum ſunt generum, ſed aliarum quoque partium orationis. Huius tamen ſunt loci quoties (ut in aduerbio diximus) infinitè pronunciantur, ut; Quando ita uelle te cognoui, conſilium ego non ſequar meum. Quoniam ſe nulla oſtendebat ratio qua hinc abeſſem has ad te ſcripſi literas. Sed quùm facilia omnibus hæc ſint ad reliquas tranſeo coniunctiones.

Diſiungẽdi. Alias uocant diſiungendi, quarum eſt munus ſenſum diſiungere, uerba copulare, ut Ve, Ne, Neue, Vel, Aut, Siue, Seu. Harum natura eſt omnium ex duobus quæ ſint propoſita, unum uerum, alterũ falſum relinquere. In diſiunctionibus enim, ut Cicero in Topicis ait plus uno uerum eſſe non poteſt, ut; Aut nox eſt, aut dies. Noſtris tamen in rethoricis libris admonuimus apud oratores & poetas omnes capi etiam pro coniunctionibus, ut;

Hic quibus inuiſi fratres dum uita manebat
Pulſatusue parens uel fraus innexa clienti

& Horatius ad Piſones

Vel prodeſſe uolunt, uel delectare poetæ
Aut ſimul & iucunda & idonea dicere uitæ

& M. Tullius pro Milone; In utro igitur hæc fuit? In Milone qui etiam nunc reus eſt facti, aut præclari, aut certè neceſſarij; au in Clodio qui ita iudicia pœnamque contempſerat, ut cum nihil delectaret quod aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret? Sed omnis plena eſt latinitas hoc genere ſermonis. Vel, pro ſaltem non ad hunc locum pertinet. Duas poſtremas etiam ſimul eodem in loco poni interdum licet, ut;

Siue dolo, ſeu iam Troiæ ſic fata ferebant

His duabus coniunctionibus Vel & Aut, Sic etiam utimur ut dicamus; Quotidie lego aut ſcribo aliquid, ideſt utrunque modo hoc, modo

modo illud ſucceſsiuis horis facio.

De Ne autem, Ve & Neue illa quoque ſunt ueterum exempla; Ille annus qui me ne dicam grauius, afflixerat. Curabis ut nequid prorſus ignorem. Tu non artes modò liberales ſed ne literas quidem attigiſti ullas. Videndum nequid plus, minuſue dicatur quam neceſſe ſit. Operam dedit ut neue durior quàm oporteret, neue lenior in filium uidererur. Vti C. Panſa, A. Hircius Conſules, alter amboue cognoſcerent.

Vel, præter ſenſum quotidiani uſus & quem iam dudum dixi, ponitur ſæpius pro Etiam, ut; Per me, uel ſtertas licet, non modo quieſcas. Seu rectè, ſeu perperam egeris non laboro. Ne ualeam ſi mentior. Ne uiuam, niſi te facio ex omnibus plurimi. Nec ualeam, nec uiuam, ſiquid aliter ac dixeram cogitaui. Vel. Ne.

Alias dicunt ſubdiſiungendi, quæ ſunt, Vt, Quùm, Dum, ut quùm è Cylicia decedens Rhodum ueniſſem. Hic ſi conſuetudinem ſequimur, per ſecundam conſonantem, ſin ratio magis placeat, per Q. ſcribi coniunctio hæc debet. Diſcernenda enim erat etiam à præpoſitione, & aliquid eſſe puto etiam, quod (ut nemo ignorat) Quom, ueteres ſcribebant. Sed quando hæc una uox multa ſignificat, hoc loco de omnibus, etiam aliò pertinentibus abſoluam, ſi prius admonitum ſit facilè à coniunctione aduerbium ſeparari. Huius enim uis ac natura eſt partes orationis aut illarum ſenſus coniungere, illius uerò ijſdem, uel minuendo, uel augendo, uel tempore, locoue deſcribendo moderari. Itaque ſit illud genus exemplorum;

Poeta quùm primum animum ad ſcribendum appulit:

Illud Quùm, temporis eſt aduerbium. Sin ita dicamus; Quum ſis quotidie admonitus à patre, conſilium tibi deeſſe non potuit, coniunctio eſt ad cauſam pertinens. Similiter diſtinguas Vt, Ne & ſiqua ſunt alia, quæ diuerſas ad partes orationis referri poſsint. Nã; Vt ad vrbem acceſsi, uenit ad me Pompeius; aduerbium eſt: admonui te ut fieres certior, coniunctio. Item; Egi ut mandaſti, cum publicanis, aduerbium ſimilitudinis: ne committas ut ab omnibus accuſere, illud Ne prohibendi eſt aduerbium;

Qui teneant, nam inculta uidet, homines feræne,

dubitandi aduerbium: metuiſti ne tibi ſuccenſerem, coniunctio. Cur puerum cædis? Ne fiat inſolentior, coniunctio eſt iterum pertinens ad cauſam. Labores non recuſaui dum tibi prodeſſem: & Nihil dum noſtris de rebus actum erat quùm has ad te literas dabã,

nullum eſt hic negotium partes orationis diſcernere. Illud Quùm, ut ratio poſtulat nunc indicatiuo, nunc ſubiunctiuo iungitur, ut; Quùm ſcribo ad te, uideor mihi paululum reſpirare. Quùm proficiſcerer, mihi obuiã in itinere factus eſt Curio. Eſt ſæpius pro poſtquàm, ut Miſi tabellarios quùm ad urbem acceſsiſſes. De ratione tamen indicatiui ac ſubiubctiui dictum eſt, quùm de uerbo nobis diſputatio eſſet. Eſt autem ſæpius loco unius ex ijs quæ (durius quidem ſed tamen uſitatè apud non indoctos homines) rationales uocantur, cum ſubiunctiuo poſita, ut; Quum te uideam quotidie magis dolere caſum ciuitatis, cogito ſiquam tibi conſolationem afferre poſsim. Significat etiam id quod Quamuis, ut; Quum multis oneribus premerere, tamen illud maximum putaui, quod ineptiſsimi homines tibi audiẽdi eſſent. Si, Tum ſequatur, ex duabus rebus, grauior, in orationis altero membro locabitur, ut; Quũ omni ætati modeſtia, tũ ſenectuti maximè accommodata eſt. Vides hic enim, ut ſecundi loci, ſpecies quædã, pluris ducitur, præferturq; generi, quod eſt in priore? Fit etiam hæc duarum comparatio uocũ in rebus, quarum neutra alteri ſpecies eſt, uel genus, ſeu rebus paribus, ut.; Sumus.n. flagitioſè imparati quum à militibus, tum à pecunia: ſeu altera maiore, ut; Lentulum noſtrum, eximia ſpe ſummæ uirtutis adoleſcentẽ quum cæteris artibus quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tũ in primis imitatione tui fac erudias. Hæc fuerunt modi indicatiui, nec tamen hic ſubiunctiui ratio eſt alia atque in cæteris loquendi generibus. Poſſunt ẽt hæc ipſa binis explicari uerbis, modis utriſq; indicatiuis, ut; Quum multæ res in philoſophia nequaquam ſatis adhuc explicatæ ſunt, tum perdifficilis Brute (quod tu minime ignoras) & perobſcura quæſtio eſt de Natura Deorum. Verbũ enim prius illud ſi mutes in ſubiunctiuum præter morem latinitatis loquare. Sepiſsime uerò ad res inter ſe æquales Tum, ſolet adhiberi ẽt, ſine Quum, idque bis, ter, quater, & amplius, ut; Homo tum amicus, tũ prudẽs, tum de nobis optimè meritus. Habet etiam Tum ſignificationẽ temporis, pro Tunc, atque etiam pro Nunc, ubi ita loqu mur; Nunc hos nunc illos præferre, quo in loco poteſt eſſe Tum, cui in ſignificatione temporis Dum aduerbium reſpondet, de quo nihil iam dicam amplius. Sola ergo ex hoc genere reliqua eſt, Vt, qua haud ſcio an alia plures habeat loquendi formas. Ipſe colligam ex ijs quæ magis uidentur neceſſaria. Atq; ut ne ſæpius ad hanc unã uocẽ mihi redeũdum ſit, ea dicam etiam, quæ non huius erunt loci, aut non huic parti conueniunt orationis. Ac primũ refertur ad cauſam finis, quod

genus

genus eſt ſi dicã; Acceſsi propius ut audirem. Huiuſmodi in orationibus ubi eſt Vt, eſſe poteſt etiam Quò. Hæ duæ. n. cauſas quas iam dixi ſignificant, quale eſt; Omnia feciſti quo ciuium gratiam colligeres. Ad conficientes uerò cauſas, Quia & Quod & huiuſmodi cæteræ accommodatæ ſunt. Vulgò enim ſic loquuntur omnes; Hominem defendi nõ quod à me diligeretur, ſed quòd mihi à ſummis uiris commendatus eſſet. Hic poni etiam Quia potuiſſet. Item altero in mẽbro Quia, uel Quod, in altero Quo uel Vt, pro diuerſitate cauſarum rectiſsimè dictum eſſet. Bina ſunt huiuſmodi in orationibus membra, binis uerbis diſtincta. Nihil tamen impedit quin plura ſiant, uel alterũ ex uerbis tollatur. Nota ẽt ſunt illa; Inuitus feci, ut C. Flaminium de Senatu eijcerem. Non committas ut à quoquam ludibrio habeare. Interpoſitionibus apta eſt, quas παρενθέσεις uocant; Vt uerum dicam. Vt uerum fatear. Vt hinc incipiam. Vt cætera obliuiſcar. Vt in pauca conferam, & ſexcenta huiuſmodi. Adhuc pro Poſtquam, cuius generis innumera exempla ſunt illi ſimilia uel coniunctionibus, uel aduerbijs expreſſa;

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce

De Vt & Ita & Vt pro Quam uel Quantum in ſuperlatiuis nominibus dictum fuit ſatis. Vt, pro Ita ut, uel Adeout, uenuſtè dicimus. Mille enim ſunt in ueterum ſcriptis huiuſmodi loci, Nimis diu nihil reſpondes ad quotidianas meas literas, ut iam de ualetudine tua incipiam ſuſpicari. Dici pro Quemadmodum, ſciunt etiam rudes latinitatis. Abundant enim omnia tali genere ſermonis

Ego poſtquam te emi à paruulo, ut ſemper tibi
Apud me iuſta & clemens fuerit ſeruitus Scis

Hinc illa nata ſunt; Vt nunc ſunt mores. Vt illis temporibus: ut illa in fortuna fieri potuit. Vt in tanto mœrore & luctu, ſatis reſpondit hilariter. Additur uerbis metuendi, uerendi, timendi. Vbiq; ſunt enim hæ quaſi formulæ quædam latini ſermonis; Vereor ut labori par eſſe poſsim. Metuo ut rem tantam aſſequare: perinde quaſi dicatur; nõ confido, me tanto labori parem fore, uel te rem tantam aſſequuturum. Vt ut geminata pro Vtcunque: Vt quid interrogandi aduerbium eſt. Sunt etiam formæ loquendi eiuſmodi; Vt ne dicam grauiora. Vt ne redeam ad uetera. Item; Efficiam ut ne tibi proſit ea ratio. Sic loquimur, ubi ſola Ne, ſatis eſſe poterat, quemadmodum ex infinitis, illud ſit unum M. Tullij ad Curionem; Non ut decernatur aliquid noui quod ſolet eſſe difficilius, ſed ut nequid noui decernatur. Dicimus etiam, VT NE inter duo mẽbra quorũ

prius neget, alterum aiat, qualem eſſe ſcimus M. Tullij locum; Quare omni ſtudio à te mi Brute contendo, ut Ciceronem meum ne dimittas, tecumque adducas. Illa prætereo; Vt qui maximè: ut quum maximè: ut quod plurimum, aut alia huiuſmodi aduerbia ſuperlatiuorum, illi generi affinia, quod eſt vulgare omnibus: ſicuti Ciceroni, tum alibi ſæpiſsimè, tum in epiſtola ad Metellum; Tam enim ſum amicus reip. quam qui maximè. Ne illa quidem ſunt repetenda longius; Vt omnes Dij adiuuent: Vt omnia proſpere ſuccedant: Vt rectiſsime feceris, pro Tametſi, aut alio uerbo, quod pertineat ad concedendum, ueluti ſi dicam; Vt ſanctiſsimè ſemper uixeris, hæc tamen turpitudo tanta deleri ex hominum memoria non poterit: quæ orationes hoc efficiunt, ut altero ex duobus conceſſo, alterum tollatur. Diſsimilia uidentur illa quæ ſunt huiuſmodi; In ijs autem rebus quæ nihilominus ut ego abſim confici poſſunt, peto à te ut me rationem habere uelis & ſalutis & dignitatis meæ. Eſt, apud comicos præſertim, optandi, uel imprecandi aduerbium. ſic enim illi ſæpius loquuntur.

Vt te omnes equidem Dij Deæque, quantum eſt Syre
Cum iſthoc inuento cumque incepto perdiunt

Habet admirationem quoque doloris plenam unde Virgilianum eſt illud;

Vt uidi ut perij ut me malus abſtulit error

Sed eſt genus hoc oratoribus etiam frequens, uerum eſto ille ſatis pro Seſtio Ciceronis locus; qua ſuperbia cœnum illud ampliſsimi ordinis lacrimas repudiauit, me ipſum ùt contempſit. Plautus in Rudente;

Vt miſera in mentem mihi mortis metus membra occupat.

Nec admonendum eſt ſimilitudinis etiam eſſe aduerbium, quale eſt quum dicimus; Feci ut imperatum fuerat. Negotium curaſti ut ſi eſſet res tua. ſæpe inuenias pro Quemadmodum, quod genus eſt quum ita loquimur; Quæro ut hæc agi potuerint. Hinc ad interrogandum ponitur; Vt uales? Vt res proceſsit? Vtar hic Horatij potiſsimum uerſu

Vt Naſidieni iuuit te Cœna beati?

Cauſarum. Alias dicunt eſſe cauſarum, quod his cuiuſque rei propoſitæ cauſam proloquimur, ut Nam, Nanque, Quod, Icciico, Ideo, Enim, Quocirca, & quæ ſunt huius naturæ. Harum breuis apertaq; ratio eſt. Tanta enim ex infinitate exemplorum, ſingulis penè in uerſibus occurrit, unde rem omnibus notiſsimam doceri poſsimus

ut;

ut; Fugiebat maximè frequentiam: nam literas faciebat pluris quā res humanas omnes. Hæc primum ſemper locum tenet, niſi in compoſitione, ut Quiſnam, Nunquidnam, & ſimilibus in uerbis. Simplex uerò quum eſt, indignationemque aut motum animi ſignificat, à poetis, ui ratiocinandi priuatur, primo loco poſita ut;

Nam quis te iuuenum confidentiſsime noſtras
Iuſsit adire domos?

& Terentius in Phormione

Nam quæ eſt hæc anus à fratre quæ egreſſa eſt meo?

Elegantem habet uſum In tranſitionibus ad aliam ſermonis partē, ac ſi dicatur Quod autem, ut in Philippicis à M. Tullio dictum eſt; Nam quod me tecum iracundè agere dixiſti ſolere, non eſt ita; uehementer me agere fateor, iracunde nego. Nanque, pro ſiquidem, & primo & ſecundo loco poni ſolet, quod notum eſt omnibus. Tranſitionibus interdum ſeruit, pro Verum, Sed, Veruntamen, ut; Nanque illud quare Sceuola negaſti? De Quod, ſi huius eſſe loci uolumus, illud uerè dici poteſt, uariè eleganterque uſitatum eſſe apud auctores. Ac primum, illud uide Ciceronis ad Terentiam; Quum ſcribo ad uos aut ueſtra lego, conficior lacrimis ſic, ut ferre non poſsim: quod utinam minus uitæ cupidus fuiſſem: certe nihil, aut non multum in uita mali uidiſſemus. Nam illud Quod, hoc loco eſt pro Qua in re. Sæpe etiam pro aliqua rationaliun (cuius tamen uſum nominis ego uitare cum Cicerone uolui, & ipſas rationales coniunctiones ad cauſas referre) ut; Vrbs quæ quòd in ea fortunæ fanum fuit, Tyche nominata eſt. Superioris exempli mille ſunt eiuſmodi; Feciſti mihi pergratum quod Serapionis librum ad me miſiſti. Eſt interdum loco uerbi aut orationis infinitæ, ut; Apparet quòd aliud à terra ſumpſimus, aliud ab humore. Hoc dici aliter conſueuit; Apparet nos ſumpſiſſe. Venuſtatem habent illa; Teſtamento non cauit, ne ſua bona uenderes, credo quòd uir bonus, eò te inſaniæ uenturum non putauit. Item; Nihil eſt quòd in uiam te dare cupias. Non eſt quod mihi iraſcare, ut;

Quod utinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet.

Quod bonum, felix, fauſtum, fortunatumque ſit. Nunc cenſeo quod commodo tuo facere poteris uenias ad id tempus quod ſcribis. Nemo quod ego ſciam hodie ad te fuit. Siquid eſt quod mea opera uti uelis. Dicimus etiam, Nihil eſt quod labores, eſt autem quod lætere pro laborare non debes, aut lætari oportet, aut eſt cau

ſa cur

Quod uarie eleganterque [illegible] ab autoribus.

ſi cur lætari; nihil quod dolere debeas, ut Terentius;

Nihil eſt quod moremur diutius.

Cicero ad Lentulum; Dignitatem quidem illam conſularem fortis & conſtantis ſenatoris nihil eſt quod cogitemus.

Enim, uix internoſcas quid à Nam differat, eſtque ſecundi ſemper in oratione loci, à ſuperiore ſententia dependens, quemadmodum ſi dicas; Ille.n.ſæpiſsimè iniurijs me affecerat. Hæc enim aliter plena eſſe non poteſt oratio, quàm ſi ante dixeris; Filium exhæredaui, aut aliquid ſimile, unde illud Enim, aut Nam, aut Nanque, ſenſum poſsit accipere. Toto autẽ de hoc genere, quod uel ad cauſas uel ad rationes explicandas repertum eſt in quo ſunt Etiã, Quia, Quoniã, Siquidem aliæque multæ, illud admonendũ eſt, plurimis interdũ ſuperiore in periodo, aut ſentẽtia propoſitis, ut norimus ad quod potiſsimum cõiunctio referri debeat. Eſto.n. exempli gratia quod Cicero ad Volumnium ſcripſit; Opus eſt hic limatulo & politulo tuo iudicio, & illis interioribus literis meis quibus ſæpe uerecundiorẽ me in loquendo facis. Mihi.n. iudicatum eſt, ſi modo hoc Cæſar aut patietur aut uolet deponere illam iam perſonam in qua me ſæpe illi ipſi probaui. Nã cõiunctio Enim, quum proximũ uerbum, aut uniuerſam ſnĩam ex uerbis conflatã reſpicere naturaliter debeat, hoc loco neque unam in ſententiã uerba colligit, neque interiores literas, neq; uerecundiam Ciceroni à Volũnio tributam, ſed limatum Volumnij iudicium reſpexit. Hic porrò non tam certa ratio tradi poteſt, quàm legentium ſcribentiumue attentio excitari.

Nec mouere nos debet, quod hanc ueteres aliquando ſecundi loci eſſe uoluerunt. Nam Plautus non rariſsimè ſic loquitur ut in Perſa;

Enim uolo te adeſſe.

nobis uerò dicendum putemus; Volo enim te adeſſe.

Alias nominant approbandi, ut Si, Quidem, Equidem. De his iam antea dictum eſt. Differunt autem, quod hoc quidem ſenſu, modo uerbi indicatiuo ſolum iunguntur. Harum exempla à ueteribus etiam grammaticis hæc recitata ſunt;

Dij tibi ſiqua eſt cœlo pietas, quæ talia curet,
Perſoluant grates dignas
--Equidem merui nec deprecor inquit.

Sed infinita ſunt huiuſmodi auctorum loca, ubi propoſitarum, coniunctarumue rerum approbatio indicatur.

Alias nominauerunt aduerſandi, Quanquam, Etſi, Quamuis, Tametſi,-

metſi, Tamen, licet. Verum hic eſſe inuenio quod alij ante uos docti homines dixerunt, primas duas in maioribus epiſtolarum principijs, aut librorum poni cum uerbo indicantis modi ſolere, ut; Quanquam te Marce fili, annum iam audientē Cratippū, idq; Athenis, abundare oportet præceptis inſtitutiſque philoſophiæ, & quæ ſunt nota omnibus. Idem, orationis, pro lege Manilia principium eſt; Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus ueſter multo iucundiſsimus: & apud Terentium, Chremetis

Quanquam hæc inter nos nuper a notitia admodum eſt:

Sequitur deinde aduerſandi uerbum in primo exemplo; Tamen ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum græcis latina coniunxi: in ſecundo; Tamen hoc aditu laudis qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me uoluntas, ſed meæ uitæ rationes ab incunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt: in tertio;

Tamen uel uirtus tua, uel uicinitas, & quæ ſequuntur

Extra huiuſmodi principia, in rebuſque leuioribus modo etiā ſubiunctiuo interdū præponitur, ut Cicero, quæſtionum Tuſculanarū libro quinto; Omniaque iucunda, quandam ſenſu corporis iudicentur ad animum referri tamen. De etſi, nihil eſt quod præcipi debeat aliud quā quæ de ſuperiore dicta ſunt, ut, pro Milone; Etſi uereor iudices, ne turpe ſit, pro fortiſsimo uiro dicere incipientem timere: paulo poſt ſequitur aduerſandi coniunctio; Tamen (inquit) hęc nouí iudicij noua forma terret oculos. Quāuis, & Tametſi nō ita principijs conueniūt orationū, & nūc indicatiuo, nunc ſubiunctiuo iungi ſolent, Nonnullæ autem ſunt orationes à quibus hæ coniunctiones abſunt, ex earum aduerſa Tamen intellectę, ut; Pluribus grauiſſimiſque diſtentus negotijs, nec ſatis firma ualetudine, ſtudijs tamē aliquid otij impertimur, ut Cicero ad Lentulum; Ipſe literis omnibus à pueritia deditus, experiendo tamen, magis quam diſcendo cognoui. Alias fecere diſtribuendi, At, Aſt, Verò, Autem, Sed, quæ ſunt à nobis ante iam explicatæ. Nunc uerò diſtincti generis aliud eſſe nomen debuis. Neque uerò ſuprà hoc ipſum genus obſcurè à me ſignificatum eſt, ut; Ego quidem philoſophiæ, tu uerò humanioribus literis operam nauas. Ad ſimpliciter coniungendū ſæpius Autem refertur, ut; Sed quia uidebam ciuilis belli hiſtoriā iam penè à te eſſe perfectam, dixerat autem mihi, te reliquas ordiri, deeſſe mihi nolui quin te admonerem. Eſt etiam non rarò aduerſandi, aut contrarietatis uerbum, ut; Craſſus hoſtium uim ſeſe peruerſurum putauit, peruertit autem ſuam. Adhuc etiam, corrigendi

rigendi uim habet uerbum ſuperius, ut; Erat hoc mihi dolendum, ſed multo magis illud, quod inimicum meum, meum autem? immò uerò iudiciorum, otij, patriæ, bonorum omnium, ſic amplexabantur, & quæ ſunt eius loci. His tribuendi nomen aiunt ſedediſſe, quod rebus hæc perſonisue diuerſis, diuerſa diſtribuant, de quibus hactenus dictum à me ſit.

Eligendi. Alias eligendi, ut; Quàm. Hac enim (ut in aduerbijs quoque dictum eſt) utimur, quùm ex duobus aut pluribus propoſitis, unum quoquo modo eligimus, ut in Andria Terentius

Quæ ſeſe inhoneſte optauit parare hic diuitias
Potius quàm in patria honeſte paupera uiuere.

Dubitandi. Alias dubitandi, An, Ne, Nec ne, ut; Multum intereſt, utrum laus minuatur, an ſalus deſeratur. Non uereor ne ſis commotus, quod non ſcripſerim. Illud nemo dubitat, ueſter honos, an mea ſalus mihi ſit carior. Non quæro, occiderit ne Milo Clodium, ſed iurene an iniuria occiderit. Quum tuæ ſint illæ rationes euerſæ omnes, tamen ne repugnas? Tamen ne argumentaris? Volo mihi reſpondeas, noctu in domo aliena deprehenſus cum telo fueris nec ne? Satis prouiſum eſt, ne ea res impedimento eſſe poſſit. Cicero pro A. Cæcina; Vti dicis te deiectum debeo intelligere nonne? Idem alio loco; Quùm eſſet ex eo quæſitum, Archelaum Perdiccæ filium nonne beatum putaret? Virgilius autem;

Nonne fuit ſatius triſteis Amaryllidis iras
Atque ſuperba pati faſtidia?

Nec miretur quis confuſè hæc à me recitari exēpla, qui unius eiuſdemque uerbi diuerſum uſum ac naturam cognoſci uolo. Eſt nanque illud Ne, ita uarium, ut non inter aduerbia modo locum habere potuerit, ſed hic inter coniunctiones poſitum, nunc dubitandi, nunc interrogandi, nunc uetandi, nunc denique negandi uim habeat. Illi præterea locum Cicero aliquando mutauit, ut in Lucullo; Videamus terrane penitus defixa ſit, & quaſi radicibus hæreat, an media pendeat? Vſitatius enim foret; penituſne terra defixa ſit.

Deminuēdi. Alias diminuendi nominant, Saltem, At, Vel, quarum ſunt in ſuperioribus antè poſita à nobis exempla, de aduerbijs quùm diſputaremus.

Abnegandi. Alias hoc loco ponunt quas uocant abnegandi. Has, grammatici non inueniunt ipſas quidem in Romana lingua, ſed earum uim quandam in ſenſu latentem poetæ oratoreſque noſtri expreſſere.

Quæ

Quæ ratio poteſt etiam, uel mediocriter noſtro in ſermone exercitatis eſſe notiſsima, quoties uidelicet, uerbum Poſſum uel Debeo, aut aliud ſimile in oratione deeſt, ut Cicero ad Gallum; Quùm decimum iam diẽ grauiter ex inteſtino laborarem, neque ijs qui mea opera uti uolebant, probarem me non ualere, quia febrim non haberem, fugi in Tuſculanum. Quid hic Cicero dolet ſe non probare quod in ipſo tantum erat ut probaret? Si enim inſpicias, diligenter, mancã orationẽ cognoſces, niſi exponas, probare nõ poſſem. Libro ẽt ſecundo ad Atticum; Cogitanti autem hæc ferè ſuccurrebant: primũ, ex eo quod ſuperioribus literis ſcripſeras, ex familiari te illius audiſſe, prolatum iri aliquid quod nemo improbaret. Interrogo iterum, quid vult ſibi ea uerborum inſolentia, Nemo improbaret? Profecto, id quod iam dixi; Nemo improbare poſſet, quodq; aiunt græci, ὖκ ἄν τὶς ἂν ἐλέγξειεν. Hic enim duabus ἂν & κὲ uel κὲν illi utuntur, ſed ἂν oratorum eſt, κὲν poetarum. Nobis autem hæ duę uoces quùm deſint uidendum eſt accuratè nequid ſententia nos fallat, & uerò nihil eſt noſtro in ſermone frequentius.

Alias, colligendi aut inferendi, Ergo, Igitur, Quamobrem, Itaque quarum duæ priores minutarum ſunt potius concluſionũ, ratiocinationũ, enthymematũ, argumentorũq; ſingulorum, ut; Sunt autem Dij, eſt igitur diuinatio. Mundus generat animalia, ergo eſt animal. Vides illam quæ ſecunda eſt ex ijs eſſe quæ in oratione poſt primũ uerbum ponantur, ut etiam;

Cur ſimulas igitur?

quod ne putetur leue, Quintilianus à maximis auctoribus dubitatum ſcribit, quod alij ſæpe, alij nunquam hanc ad principia orationum locauerint. Sed ergo, nouo quodam ſenſu dicitur quam plurimis eiuſmodi in locis

Non ergo arma expedient?
Verus mihi nuncius ergo
Venerat?

Hic aliud eſt quam ubi dicimus ſpirat ergo uiuit, Quemadmodum ἆρα καὶ ἄρα diſtinguit Ammonius, ut prius, priore ſyllaba circumflexa dubitandi coniunctio ſit ut ἆρα τέλος ἕξει τὸ πρᾶγμα, alterũ uerò colligendi ut, εἰ τοῦτον συμφέρον ποιεῖν, ποιητέον ὑμῖν ἄρα ἐστιν

Eſt apud antiquos Ergo, pro cauſa, ut;

-Illius ergo
Venimus & magnos Herebi tranauimus amnes.

Cicero etiam de legibus; Mulieres genas ne radunto, neue leſſum

ſuneris ergo habento. Quare autem, Itaque & Quamobrem, ad Cõcluſiones rerũ adhibẽtur quæ multis uerbis diſputatæ ſunt, niſi quũ ita vulgò dicimus; Miror quamobrem mihi ſis iratus. Neſcio quare â uetere conſilio tuo diſcedas. Itaq;, ad principia concluſionũ locatur, primumq; uerbum ſolet eſſe orationis pro Quamobrem, ut; Itaque mirari deſinamus: quibus in locis non licebit ordine cõuerſo dicere; Deſinamus itaque mirari, niſi aliam uim habeat, & proximam à poſtrema ſyllabam acutè dicamus, pro ſimilitudinis aduerbio, ut; Quum Quæſtor in Sicilia fuiſſem iudices, itaque ex ea prouincia diſceſsiſſem, ut Siculis omnibus iucundam, diuturnamq; memoriã quæſturæ nominiſq; mei relinquerem, & quę ſequuntur longius. Sed priore illo ſenſu inuenimus loco ſecundo in oratione poſitam, ut octauo libro de lingua latina M. Varro; Sæpe itaque ex eadem ſupellectili licet uidere; & quodam partitionum loco M. Tullius. Eſt itaque id genus totum ſitum in commutatione uerborum, quæ ſimplicibus in uerbis tractatur. Hoc tamen ut rarum eſt ita nõ ualde ſequendum. Quamobrem, ex ijs eſt quæ συλλογιστικὰ nominantur, neque idem planè quod Igitur, neque omnino diuerſa. Quare & Cur, ad cauſas relationeſque referuntur, ut; Nihil hactenus feci cur odiſſe me debeas, ubi Quare etiam & Quamobrem dicere licebit, quæ ſunt omnes cauſarum quoque & interrogationũ. Duę, Quare, & Quapropter ſibi mutuò ſuccedunt, ut; Pugnabat oratio tua cum honeſto: quare nemo tibi eſt aſſenſus. Multis hominibus feceras injuriã: quapropter nemo tibi affuit in petitione magiſtratus. Igitur pro deinde ẽt ueteres dixerunt, ut Plautus in Amphitruone;

Seſe igitur, ſumma ui, uiriſq;, eorum oppidum expugnaſſere.

Alias poſtremo complendi, Autem, Verò, Quidem, Equidem, Nanque. Ita ab illis nominantur, quòd non ut ante, ſententiam adiuuandi, ſed augmentandi uerba, numerumue implendi, aut ornandi, tantum gratia ponuntur. Res denique tota ſtudium requirit ac diligentiam. Nihil enim in oratione facienda turpius eſt quàm ſiquid ex ijs quæ ad coniunctiones pertinet, non ſit apte collocatum. Quamobrem hoc etiam de ſcriptis ueterum rectiſsimè imitandũ nobis erit. Hac enim re non ſolùm latinè ſcribendi ratio, ſed pars nonnulla interdum, exquiſitioris doctrinæ, & connexionum dialecticarum, continetur.

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. XII.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

*F*IGVRAS *tenere grauiſsimum eſſe in literis cenſet, illarumque uſum non temere, iudicioque noſtro terminandum, ſed à doctiſsimis ipſoque etiam Ariſtotele eſſe perdiſcendum. Nullis adhuc neque diuinis, neque humanis legibus; aut iure Pontificio, aut oraculis actum eſſe probat, quo minus poetæ, & à quibus ignorata religio ſit, legi poſsint. Dehinc poeticam dilaudat, & Actij Sinceri, Hieronymique Vidæ exemplo à ſummis poetarum noſtri temporis, noſtra optat ſacra celebrari. De figuris tractat uerborum, & ſententiarum ex uetuſtiſsimis utriuſque linguæ præceptionibus, & exemplis, oratorum, et poetarum, de quibus tamen auctor nos ad copioſiora reÿcit, & illuſtriora in ſuis de arte dicendi libris.*

NVNC de octo partibus orationis quùm uideamur nobis quidē neque fortaſſe oīa cōplexi, neq; tamē ad ſermonis latini ſciētiā neceſſaria prætermiſiſſe, ad illud iam accedēdū eſt, ut ex his, quæ dicta ſunt, ipſam orationē, quæ uerſu primū, deinceps quæ ſolutè cōponenda ſit, informemus. Qm̄ uerò utriuſq; generis cōpoſitio carere ſuis figuris nō pōt, antequā eo ueniā, hoc libro figuras mihi putaui eſſe exponēdas, nō quidē oēs, quas propè infinitū eſſet colligere & ſcrupuloſiſsimi laboris, ſed quæ ſunt in poetis, uel oratoribus, noſtris aut Græcorū illuſtriores à ueterum quoq; doctiſsimis iudicatæ. Has aūt cognoſcere ſūmè neceſſariū eſt ijs qui aut in ueterū ſcriptis uerſantur, aut ipſi ad ſcribēdū aliquid, accedūt. Equidē ijs qui noui ad literas ueniūt hāc partē iudico de-

bere maximè propoſitá ad diſcendú, & ijs qui progreſſus aliquos in ſtudijs fecerũt, ab oratoribus, à poetis, à doctiſsimis omnibus, ipſoque Ariſtotele rectè magnoq; adhibito iudicio petendá. Colligam ego nunc multa, uerum hæc ſi ad rei magnitudinem conferas, pauciſsima, neq; ſatis explicata uidebuntur. Habenda enim mihi ratio eſt, captus intelligentiæque iuuenum qui literas nunc primum ſunt aggreſsi. Nec illud hoc loco faciã inuitus ut quædã à ueteribus ſumá, ut Diomedẽ puduit doctũ hominẽ à Donato quam plurima ijſdẽ uerbis transferre, nec Flauium Cariſium, aut Aquilam Romanum à cæteris. Neceſſariò autem hic magis quàm in ſuperioribus libris poetarum exemplis utendum erit: ad poſtremum uerò librũ, illud mihi reſeruare uolui, ut poeticæ quoque orationis & uerſus faciendi præcepta darem. Amaui à prima adoleſcentia hoc genus, quod utinam plurimos delectaret. Nec uereor equidem; ne meum hoc ſtudium, uel ſenſus, uel oratio animum offendat cuiuſquam; ſpero etiam fore, ut hos duos libros qui poſtremi ſunt libentiſsime etiam ſtudioſi latinitatis amplectantur. Abiere enim illa tempora, quum ſcelus inexpiabile homines parum docti crederent, quod poetarum carmina legerentur. Quendam narrabãt e ſanctiſsimis uiris, cæſum flagris, mulctatumque diuinitus, ſolum quod M. Tullij ſcripta legeret: iure autem id factum aiebãt, quod qui ante religionem cognitam ſcripſerunt, in eorum uerſari libris non oporteret. Nunc uerò Dei benignitas, aliquot abhinc annis, illum ex mentibus hominum errorem funditus euellit. Nam ſi uiri ſanctiſsimi illius, ea ſententia fuiſſet, quam illi tum arbitrabantur, non poetæ ſolum & Cicero, ſed omnes libri philoſophorum, cognitiones quoque rerum atque temporum, & ius potiſſimum ciuile, doctrinæque omnes tolli debuiſſent. Si enim auctores quidam eo nomine legendi non eſſent, quod religio ab eis cognita non ſit, quid philoſophos, & iuriſconſultos in eadem cauſa atque crimine, poſſet adiuuare ne cum illis damnarentur? Quare quùm diuinitus illud factum accepiſſent, hæc omnia, uel conſequi, uel repugnare, uel impedire, cogitandum fuiſſet. Sin ita res omnino ſeſe haberet, ut credere nos uolebant, nefas putandũ erat maximũ, diuino oraculo, atq; imperio non ſtatim parere. Et ſi .n. hoc, ſimile, aut non multo minus futurũ uideretur quã illud ex antiquiſsimis tpibus, quùm Deus idẽ genus humanũ, immiſſa aquarũ eluuione ſe perditurum eſſe mortalibus denunciauit, pluris tamen facienda nobis illius uoluntas, & imperium, quam res noſtræ

aut

Rem in epiſtola ad Euſtochiũ uirginẽ Hieronymus narrat.

Hoc dicit, quia cognitũ eſt ipſius ex Hieron. alijs epiſtolis, ſomniũ uirginĩ, ab eo narratum fuiſſe.

At nõ ita ſe res hẽt. Nã Hieron. ipſe in apologia contra Rufinum, multis uerbis fatetur ſe uirgini expoſuiſſe ſomnium ſuũ & ſe de periurio purgat hoc modo.

Nunc breuiter dixiſſe ſufficiat, te exigerẽ à dormiente, quod nunquam uigilans præſtiti.

aut artes omnes, aut ſcientiæ aut omnis mundus crederetur. Sed contra de bonis, doctis, ac ſapientibus, quum uideas neminem, ea uoce diuina, aut ſanctiſsimi uiri teſtimonio eſſe commotum, & Ciuitates, populos, reſq; publicas, & principes orbis terrarum legere auctores omnes à quibus ignorata religio eſt, & aliis proponere legendos, equidē uel prudentiā requiro tuam, qui nō putes noui aliquid hic eſſe cogitandum, uel modeſtiā deſidero, qui totius Europæ ſenſum non anteponas tuo. Quæ.n.arrogantia eſt, publico omnium hominum conſenſu, non pro maximo argumento ignorantiæ noſtræ uti uelle? Aliquid hic igitur lateat neceſſe eſt quod homines illorum temporū quidam non peruidebant. Quid illud quæſo? Dicere non poſſum, tanta erat inſtulticia, pueriliq; errore turpitudo. Siquis igitur uſque ad hanc memoriā, fortaſſe illa in cœcitate uerſetur, huic, ſi planè rem uidere cupiat, non locus ille tantum, unde ad ignaros emanauit error, ſed inde qui poſt inſequuntur, libri diligentiſsimè erunt Hieronymi ipſius ſanctiſsimi uiri omnes perlegendi. Docuit enim is cæteris in libris, Rufinum aduerſarium ſæpius, quid illum ſentire, quid nos ea de re, parum doctis hominibus reſpondere oporteat. Nos uerò teneamus illud Marcelle frater, actum nihil unquam fuiſſe, neque diuinis, neque humanis legibus, nec ullis oraculis cur poetę auctoreſq; omnes, uel Romani, uel Græci (quos Europa uniuerſa, atque boni homines colunt) non ab omnibus legendi eſſe uiderentur. Qui.n.licere non credatur præterea nos poeticam aliaſue partes eloquentiæ, ſcientiaſque omnes, à græcis & Romanis diſcere iuſtius quam Iudæi quondam ab Aegyptijs diſciplinas acceperunt? Itaque ego inani illo metu nunquam permotus, poſtremum librum eſſe uolui illum, unde propoſitis ueterum exemplis uerſus faciendi ratio diſcatur, hunc uero qui eſt in manibus unde cognoſci uitia, & ornatus in uerſu poterunt. Commoda uerò ex his ea ſumantur, ut quemadmodum ueteres, pro uoluntate aut ingenio cuiuſque, ſuauiſsimis cantibus, laborem uitæ leuantes, nos ipſos conſolemur. Illud autem cūpio eſſe maximum, Dei ac Diuorum ut laudibus delectemur, & nihil eſſe putemus literas nihil omnino eloquentiam, ſi hanc nullum ad rei diuinæ commodum nullum ad religionis ornatum paremus. Nunc uerò turpe ſibi ducunt homines docti, noua hæc mandare literis, & contaminari ſacris rebus illam ſuam latinæ dicendi aut ſcribendi elegantiam arbitrantur. Contra mihi ſic uidetur, nihil opinione illa ſtultius nihil pudore illo eſſe impudentius.

Has tamē ciuitates, populos, reſpublicas, & principes orbis terrarum ipſe Hieronymus, iudicio ſuo ſceleris abſoluit, & pios eſſe Chriſtianos oſtendit, cōtra Rufinum in apologia ad Pāmachium & Marcellinum ubi poſt multa ſic intulit. Hæc dicerē ſi quippiā uigilās promiſiſſem: nūc aūt nouum impudentiæ genus obijcit mihi ſomniū meū. Perlegendos eſſe ait alios etiā Hieronymi libros, ei qui rem planè cupiat intelligere, id eſt duas quas ante nominaui apologias. Poetas accu

ſat qui ſacris de rebus nihil cōſcribūt nec Vidā aut Actium ſyncerū in ea re imitantur.

dentius. Eſto enim celebrari literis omnibus debuerit, quod ad Marathonem, ad Leuctra, ad Thraſimenum, ad Cannas, pro patria fortiter quidam occiderunt, & res fuerint eiuſmodi quę tractari à multis ornatiſsimè debuerint, uerius dici tamen ac ſplendidius poteſt, quod noſtri heroes noſtræ uirgines maiore gloria quā Decius, pro religione ſeſe deuouentes, in beſtiarum laniatus in ferrum in flammas, in cruciatus terribilia omnia, crudeliſsimumq; interitum ultro accurrerūt. Sed prouehor longius illecebra & hac ſuauitate cogitationis. Redeo igitur ad ea quæ mihi de figuris propoſui.

Figurarum, illud primum genus faciunt quod σχῆμα λέξεως dixerūt Hoc in uerbis eſt aut ſimplicibus, quod eſt propriè grammaticorū, ut in συγκοπῇ, παραγωγῇ, ἀφαιρέσει, διαιρέσει, ac cæteris, aut coniūctis ut in παρονομασίᾳ, ἐπιζεύξει ἐπαναλήψει Quod eſt ſingulis in uerbis, aut barbariſmus eſt aut ſolęciſmus. Barbariſmus uno in uerbo ſpectatur quod uel non latinum ſit ut illa maſtruca erat Ciceronis, aut ſputatilica Siſennæ, uel non latinæ prorſus neque ex arte grammatica tractatum. Peccatur hic modis potiſsimum quatuor additione, detractione, immutatione, tranſpoſitione. His ueluti generibus formæ ſubiectæ ſunt plures. Additur enim, uel detrahitur, uel immutatur, uel tranſponitur litera, ſyllaba, tempus, aſpiratio accentus. Additur litera, ut;

Figura λέξεως differt utrum in uerbo ſit an ex uerbis fiat.

-Quærentem dicere plura
Reppulit,.

Syllaba, ut;

Nunquam huc tetuliſſem pedem.

tempus, ut;

Italiam fato profugus.

Detrahitur litera, ut;

Verſibu quod olim Fauni uateſque canebant

Syllaba, ut;

Alta mente repoſtum.

Tempus, ut;

-Nimboſus Orion

Correpta Orionis prima ſyllaba, quæ per naturam ſit longa. Tranſponitur litera, ut Euandre pro Euander: ſyllaba, ut ſi diſplicinam dicas pro diſciplina: tempus, ut Iambum ſi pronunciet quis pro Trochæo, uel Dactylum pro Anapæſto. Totidem eſſe in accentu uitia, & aſpiratione poſſunt: ac denique præter naturam uerbi, literæ, ſyllabæ, accentus aut aſpirationis, quodcunque in

ſcripto

ſcripto uel in ſermone uitium ſit, hunc ſciamus nominatum eſſe barbariſmum. Verum ego tamet ſi hoc loco non diſcedam à Soſipatro Cariſio, Aelio Donato, Diomede, & clariſsimis ac doctiſsimis qui olim grammatici fuerunt meam tamen breuiter aut Quintiliani potius de ordine totaque de ratione figurarum non diſsimulabo ſententiam, ut ne uetuſtatis auctoritatem lector nec ſiquid eſt noſtri aut oratorum quoque iudicij deſiderare poſsit. Quùm hoc paucis abſoluero ad illos etiam quos mihi auctores propoſui reuertar. Ac primum tropos eſſe Quintilianus uoluit, in quibus eſt & quas longius perſequitur. Hinc ad figuras tranſit quas multis modis differre voluit à tropis, illo potiſsimum quod & ſi nullo in uerbo tropus appareat figura tamen eſt ſæpius in oratione ut in auerſionibus aut fictionibus perſonarum ut quid tibi Quinte frater qui nunc abes, & totus pro Milone locus, & quum poetæ ſermonem tribuunt rebus mutis ut apud Ouidium

Totoque exerceor anno?

Infinita ſunt huiuſmodi figuratæ orationis quæ ſubtiliter homines docti perſequuntur. Mox deſcendit hic auctor ad figuras ſententiarum diſcretas omnino à ſuperioribus. Hæ magis propriæ ſunt oratorum in quibus non uerba aut oratio ſed ipſa figurata ſententia eſt ut in prolepſi quùm occupamus quod pro aduerſario eſſe uidebatur in παῤῥησία quum libertate utimur loquendi, & cœteris quorum non eſſet finem inuenire. Denique ad σχήματα λέξεως reuertitur. Hæc duorum ſunt generum. Placet mihi hæc duo his nominibus diſtinguere ut unum eſſe dicam in uerbo alterum fieri ex uerbis. In uerbo ſunt quæ paulo ante dixi addendo, detrahendo, immutando, tranſponendo uel abuſione generum, numerorum, caſuum, temporum, modorū, & artis grāmaticæ fieri unde eſt ſolœciſmus. Ex uerbis autē, ut eſt παρονομασία, ἀναδίπλωσις, ὁμοιοτέλευτον quæque ſunt cœtera id genus. Ego uerò quum exponam ea quæ grammaticorum doctiſsimis uiſa ſunt, ad hæc tamen quæ dixi genera apertiſsima iam primoſque fontes confuſiora illa omnia referri uolo. Nemo enim Quintiliano melius, nemo perfectius hunc de figuris locum eſt perſequutus, nec ſcio an is ulla in parte pulcherrimi illius operis magis, utiliuſue elaborarit. Nunc redeo ad quæ grammatici ſcripſerunt. Quæ ſunt λέξεως aiunt, uel dictionis eſſe uel loquutionis. Ad loquutionem referunt ea quæ diximus fieri ex uerbis: ad dictionem uerò quæ in uerbo cōtra grāmaticæ, aut latinitatis rationem peccantur. Hunc uolūt in carmine

Valde neceſſariū diſcrimen figurarū λέξεως, ut ſit unum genus in uerbo, alterum fiat ex uerbis.

DD 4 μετα-

μεταπλασμὸν eſſe, cuius ſunt ferè ſpecies quæ ſequuntur, πρόσθεσις, ἐπένθεσις, παραγωγὴ, ἀφαίρεσις, ἀποκοπὴ ἔκτασις, συστολὴ, διαίρεσις, συναίρεσις συναλοιφὴ, ἔκθλιψις, ἀντίθεσις, μετάθεσις. Πρόσθεσις eſt qua ad principium uerbi literam apponimus, aut ſyllabam, ut;

Meum gnatum rumor eſt amare,

Pro Natum. Epenthesis, qua literam interponimus uerbo, ut;

Relliquias Danaûm

Paragoge, qua adijcimus ad finẽ uerbi, quale dicier eſt, & amarier, pro dici & amari. Hanc uidemur latine ex M. Tullio, productionẽ poſſe nominare. Similia ſunt, quæ παρέλκοντα dicuntur, niſi quod his aliquid ſignificans uerbum adiungitur, ut;

Adeſdum paucis te uolo:

ut quantum ER ſyllaba in dicier, & dum in uerbo adeſdum differunt inter ſe, tantum inter has duas figuras interſit. Has duas inter Pleonaſmos quidam locauerũt. Aphæreſis, de principio aufert uerbi, ut;

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

pro contemnere. Syncopa de medio, ut Commorat omnes nos, pro commouerat. Apocopa, ex fine, ut;

Terram altricem diri execramur Vlyſsi

pro Vlyſsis, Ectaſis, eſt productio ſyllabę contra uerbi naturam, ut;

Quanquam animus meminiſſe horret luctuque refugit.

Syſtole, contraria eſt ſuperiori, ut Terentius

Menandri Eunuchum poſtquam Aediles émerunt:

Hic natura longam corripuit, ut in fine uerſus Iambum, ille produxit breuem, quo trochæum faceret. Dyæreſis, eſt unius diuiſio ſyllabæ, in duas, ut;

Aurai ſimplicis ignem,

Pro auræ. Synæreſis, Dyæreſi contraria eſt, ut;

Fixerit aeripedem ceruam.

pro aeripedem. Synalepha, eſt, quum duas uocales, ultimam uidelicet ſuperioris uerbi & primam ſequentis, pro una ſyllaba putamus, ut;

Carthago Italiam contra.

Ecthlipſis etiam, eſt inter duo uerba, ſuperioris ſyllabæ inſuauiter cum ſubiectis uocalibus coeuntis, detractio, ut;

Vacet annales noſtrorum audire laborum.

Antitheſis eſt quemadmodũ Aelius ait literæ pro litera poſitio, ut;

Olli ſubridens

quo

quo loco illi dicendum fuiſſet. Metatheſis eſt quoties loca tantum commutata ſint inter ſe literarum, ut quemadmodum ante iam dixi pro Euander Euandre. Hæc in uſu dumtaxat poetarum ad ſingula uerba pertinent, quæ ſunt cuius iam dixi metaplaſmi ſpecies: quibus tamen poſsis etiam ἀναστροφὴν addere, ut Italiam contra, & Megaram uerſus, pro contra Italiam, uerſus Megaram. His uidetur ſubiecta eſſe immutatio, ideſt ea quæ ἐναλλαγὴ nominatur, ad quam referunt grammatici, omnia quæ quouis modo immutantur, ut quoties nomen, loco uerbi, aut uerbum nominis, & (ut conferam in pau ca) quoties, genera, ſpecies, numeros, figuras, caſus, tempora, modos, coniugationes, perſonas, alias aliarum loco uſurpamus. Quare ἀντιπτώσεις & ſiquæ ſunt aliæ eiuſmodi non falſo huius eſſe minutiora genera putauiſſent. Sed quando ex his quæ memorata ſunt & ex diſcrepantia potiſsimum caſuum, generum, perſonarum & partium inter ſe orationis ſolœciſmum eſſe natum diximus, de eo nunc ordine dicendum eſt aliquid ante quam ad propoſitas iam figuras tranſeam loquutionis. Solœciſmus eſt (inquit Aelius) uitium in contextu partium orationis contra rationem artis grammaticæ factum. Nam quoties non uno in uerbo ſed ipſa in oratione peccatur ſolœciſmum dicimus. Hoc autem fit quum uel ipſis partibus orationis uel generibus, uel numeris, uel temporibus, uel modis, uel perſonis, uel caſibus perturbata ſit oratio. Eſſe igitur maius aliud, uel par in loquendo aut ſcribendo uitiũ non poteſt. Etenim grammatica, uel pauca hæc accepit à natura quæ ſanctiſsimum ſit etiam barbaris cuſtodire.

Fit ſolœciſmus etiam (ut iam dixi) per partes orationis, quoties alia pro alia, aut ipſa pro ſe quidem, ſed non ut poſtulat natura ponitur. Non faciam hoc loco ut illa in quæſtione immorari diu uelim quæ eſt agitata quondam à doctis, Apollonio, Aelio Donato græcis ac latinis fere omnibus, utrum eſſe uno tantum in uerbo ſolœciſmus queat. Et ſi enim (ut Quintilianus ait) unius emendatione uerbi corrigatur, non tamen in uerbo ſed in collocatione uitium eſt: neq; ut ſemper olli, ac dicier barbariſmi ſunt, ita capti, & Amaræ extra orationis complexum ſolœciſmi, niſi dictum ſit.

Aut oculis capti foſſuere cubilia talpæ

&

Tum Phaethontiadas muſco circundat amaræ
Corticis

Nec ubi ſingula uerba ſunt, ſolœciſmi uitium eſſe poteſt. Nam ſi plures

plures alloquens dicam, Tu aut unum Vos, aut mille huiuſmodi ſolœciſmus non foret, niſi hæc tacitum ad uerbum aliud, unum aut plura referrentur. Illud poſtremum ſit, fieri quidem in uno interdum, ſed nunquam in ſolo uerbo ſolœciſmum. Fit quemadmodum barbariſmus illis quibus dictum eſt præcipuè modis quatuor addendo ut ſiquis dicat ſe profectum ex Roma, detrahendo, ut;

Italiam fato profugus Lauinaq; uenit
Littora

addita uidelicet ad prius exemplum incommoda præpoſitione detracta ex altero, neceſſaria. Fit immutando uel tranſponendo ut ſi quod uerbum aliter quam ratio poſtulat colloces ut Nam & enim ſi alterum alterius loco ponas: quæ tamen immutatio tranſpoſitioq; infinitis poteſt modis fieri ſi uel partem orationis aliam pro alia uſurpes uel quæ accidentia uocant partium orationis confundas, ut ſi gradu comparationum utare pro ſimplici, aut hoc uiciſsim pro illo, aut alia ſpecie, alio genere, alio numero, alia figura, alio caſu aut aliter quam grammaticæ ratio poſtulat, ut in uerbis & alia ſignificatione, uoce, perſona, tempore, modo, coniugatione. Mille occurrunt ubique, præſertim in poetis, cuiuſmodi quæ ſunt nota pueris, quia tamen & uitioſa ſunt, & nemo ignorare ea poteſt, ſuperſedeo exemplis. Nec ad ea quæ dicta ſunt illud impedimento eſt quod additio, ad πλεονασμὸν quoque, detractio ad ἔκλειψιν immutatio ad ἀναστροφὴν referri poſsit. Sed reuertor ut inſtitui atq; ordo poſtulat ad quas propoſueram loquutionis figuras, cuius numerantur ſpecies πρόληψις, ζεῦγμα, ὑποζεῦξις, σύλληψις, ἀναδίπλωσις, ἀναφορά, ἐπανάληψις, ἐπιζεῦξις, παρονομασία, ὁμοιοτέλευτον, ὁμοιόπτωτον, πολύπτωτον, πλοκὴ, πολυσύνδετον, ἀσύνδετον, κλίμαξ, σχέσις ὀνομάτων, εἱρμὸς παρόμοιον: Sunt hæ unde uiginti, inter quas tamen πλοκὴν, Cariſius non poſuit & διάλυτον ſeu διάλυσιν idē eſſe quod ἀσύνδετον uoluit; alij uerò ἀνθυποφορὰν, ἀποσιώπησιν, ἀντιμεταβολὴν præterea, in bis eſſe uoluerunt. Aelius finem his non ſtatuit ullum.

Prolepſis. Verum ego ut hinc incipiam. Prolepſis, præſumptio eſt poſtea inſequentium rerum, ut;

Continuo Reges, ingenti mole Latinus
Quadriiugo inuehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt,
Solis aui ſpecimen: bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro,
Hinc pater Aeneas, Romanæ ſtirpis origo,

Sidereo

Sidereo flagrans clypeo, & cœleſtibus armis,
Et iuxta Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ
Procedunt caſtris.

Simile eſt etiam ſi dicas, Ciues facti ad irritandum Cæſaris animum, & rem publicam euertendam, Pompeius ſuperbia, Cato pertinacia. M. etiam Tullius in primo accuſationis in Verrem; Carbo grauiter ferebat ſibi Quæſtorem obtigiſſe hominem ſingulari luxuria atque inertia. Veruntamen ornabat eum beneficijs officijsque omnibus. Ne diutius teneam pecunia attributa, numerata eſt. Profectus eſt Quæſtor in prouinciam: uenit in Galliam expectatus ad exercitum conſularem cum pecunia. Tertio libro eundem in Verrem, de Nymphonis iudicio, ſic orationem inſtituit, ut prius Romam fugiſſe illum de Sicilia, quam ab Apronio condemnatum dicere uideatur. Altera adhuc prolepſis eſt quum res ante nominatur, quæ poſtea ſit nata, uel id nomen aſſequuta, ut;

Italiam fato profugus Lauinaq; uenit
Littora

Eandem hanc eſſe uolunt, quùm tacite obiectioni occurrimus, quod eſſe ἀντιπροφορᾶς etiam dixerunt, ut;

Forſitan & Priami fuerint quę fata requiras.

Zeugma, iugationem aliqui dixerunt. Ea eſt annexio, qua multi uno uerbo ſenſus iunguntur, quod tribus modis fit, aut enim in principio ſententiæ uerbum ponitur, ut; Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia, aut in medio, ut; *Zeugma.*

Quas gentes Italum, aut quas non oraueris urbes.

Aut in fine, ut; Templa Deorum immortalium, tecta urbis, uitam omnium ciuium, Italiam denique totam ad exitium, ad uaſtitatem uocas. Hypozeuxis figura eſt ſuperiori contraria, ubi ſingulis rebus diuerſa uerba dantur, ut eundem in Catilinam Cicero; Egredere cum importuna ſceleratorum manu, confer te ad Manlium, concita perditos ciues, ſecerne te à bonis, infer patriæ bellum, exulta impio latrocinio. Syllepſis, eſt diſsimilium clauſularum uno uerbo annexa conceptio, ut; *Hypozeuxis.* *Syllepſis.*

Hic illius arma, hic currus fuit:

qua in oratione, uerbum uiciniorem unitatis numerum reſpexit. Alias, enim contra faciendum erit, ut;

Sunt nobis mitia poma
Caſtaneæ molles, & preſsi copia lactis.

Reſpicit

Reſpicit ſæpe numerus multitudinis, plures unitatis antecedentes numeros, ut in Adelphis Terentius;

Hæc ſi neque ego, neque tu fecimus
Non ſiuit egeſtas facere nos.

Hic dicere licuiſſet Neque ego neque tu feciſti, ut M. Tullius ad Atticum; Ego & Cicero meus flagitabit. Sin uerbum ad finem orationis dilatum, eadem in perſona & numero ultimum ad nomen accommodetur, tum Zeugma erit non Syllepſis. Atque ut repetam omnia à principio. Septem nobis huius figuræ ſpecies Aldus reſtituit. *Syllepſis prima.* Primam facit, quùm adiectiuum nomen inter duo ſubſtantiua, uirile potius adiungit ſibi genus, ut maritus & uxor ambo auari: aut muliebre potius quam neutrum; ut ſtellæ & ſidera nequaquam luminoſæ, aut unum potius uirile quam plura neutra, ut dominus & & mancipia armati. Quanquam ſi poſt neutrum, uirile genus, aut muliebre ponamus, id ſuperare debebit, quod poſtremum erit qualia duo ſunt illa exempla Ciceronis, ut mihi uel conſilium meum cum illius conſilio, uel fortuna coniungenda eſſe uideatur: Idem auctor; Quod me mones de uultu & oratione ad tempus accommodanda, & ſi difficile eſt, tamen imperarem mihi ſi mea quicquam intereſſe putarem. *Secunda.* Alteram quoties multitudinis numerus ita conuenit cum uerbo, ut ſuperet numerum unitatis, ut; Legiones & conſul bene rem geſſerunt. *Tertia.* Tertiam uerò quum perſona prima uel ſecunda tertia ſuperat, ut; Eramus in Tuſculano ego & Lucullus: Nunquam tu & Antonius in urbe uerſati eſtis. *Quarta.* Quartam deinde, quùm rectus ablatiuum ſuperat ex præpoſitione Cum, ut;

-Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt:

Quinta. quaſi ſi dictum eſſet; Quirinus & Remus frater. Quintam fieri ait, quoties cum ablatiuo, qui eadem ex ui præpoſitionis pendet qua dictum, iſq; ablatiuus nominatiuum ſuperet, ut;

Iphitus & Pelias mecum, diuellimur inde.

Sexta. Sextam ſi uirum & mulierem demonſtrando aias utrunq; ualde bonum & prudentem. *Septima.* Poſtremam deniq;, quum rebus multis propoſitis, ſententiam concludens uerbum, proprie cum poſtremo nomine tantum cohærere poteſt, ut;

Sacra manu uictosq; Deos paruumq; Nepotem
Ipſe trahit.

Huius eſſe ſpecies uoluerunt quæ ſic dicuntur; Et mēte optima ſunt & uiribus: uel; Optima ſunt mente & uiribus: Illa etiam; Ego illum

de

de ſuo regno, ille me de noſtra rep. percontatus eſt: & quomodo ſcripſit idem alio loco M. Tullius; Tamen ſuſpicor iiſdem rebus te quibus me ipſum inter grauius commoueri: exempla quoque eiuſmodi;

-Vno ore omnes omnia
Bona dicere & laudare fortunas meas
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum

Nec illud abeſt ab hoc genere;

Ipſe Quirinali lituo paruaq; ſedebat
Succinctus trabea:

& eiuſdem poetæ in duodecimo Aeneidos;

Diſce puer uirtutem ex me uerumq; laborem,
Fortunam ex aliis.

His addunt, illi ſimilia

Pars in fruſtra ſecant: &
Hic manus ob patriam pugnando uulnera paſsi:

& quæ mille ſunt in Terentio illius modi

Vbi illic eſt ſcelus qui me perdidit.

Anadiploſis eſt eiuſdem relatio uerbi à fine antecedentis uerſus aut membri ad principium ſequentis, ut; *Anadiploſis.*

Circum,perque duas in morem fluminis arctos
Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Anaphora eſt eiuſdē uerbi repetitio ad principia plurimorū quoq; uerſuum, ut; *Anaphora.*

Nate meæ uires mea magna potentia ſolus
Nate patris ſummi qui tela Typhoea temnis

Pro A. Cluentio M. Tullius; Negem fuiſſe illam infamiam iudicij corrupti? Negem illam rem agitatam in concionibus, iactatam in iudiciis commemoratam in ſenatu? Idem pro Gn. Plancio; Pater ut in iudicio capitis, pater ut in dimicatione fortunarū, pater ut apud tales uiros obeſſe filio debeat? Epanalepſis eſt in fine ſententiæ geminatio uerbi quod eſt in principio, ut; *Epanalepſis.*

Multa ſuper Priamo rogitans ſuper Hectore multa

Et; Nauis onuſta præda Sicilienſi, quum ipſa eſſet præda. Veteres hac figura delectati ſunt, ut;

Qui quum hunc accuſant, Næuium, Plautum, Ennium
Accuſant.

Qualia etiam illa ſunt Catonis; Virum bonum quùm laudabant, ita laudabant, Bonum agricolam, bonumque colonum. Sæpe ex tribus

bus his proximis quibus dixi figuris Callimachus luſum aucupatur, ut;

φθέγξατο δ' οὐκ ἀτέλεστον ἀπειλήσας ἐπεὶ θύβρι
θύβρι, τίπτε τάλαινα, τὸν αὐτίκα πότμον ἐλέγχεις.

Plures etiam anaphoras continuatas ponit, ut;

Ζεῦ σὲ μὲν ἰδαίοισιν ἐν οὔρεσι φασὶ γενέσθαι
Ζεῦ σὲ δ' ἐν ἀρκαδίῃ πότεροι πάτερ ἐψεύσαντο
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο σὺ δ' οὐ θάνες ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

Seruat inter alia, ut uerſum primo, non ſecundum reddat, ſed tertium uel quartum, ut in hymno Dianæ;

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν
Καὶ πολυωνυμίην ἵνα μή μοι φοῖβος ἐρίζει
Δὸς δ' ἰοὺς, καὶ τόξα, ἔα πάτερ οὔ σε φαρέτρην
οὐδ' αἰτέω μέγα τόξον.

Eodem loco poſt quatuor uerſus,

Δὸς δέ μοι ἑξήκοντα χορίτιδας ὠκεανίνας
πάσας εἰνετέας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους
Δὸς δέ μοι ἀμφιπόλους ἀμνισίδας εἴκοσι νύμφας
Αἵτε μοι ἐνδρομίδας τε, καὶ ὁππότε μήκετι λύγκας
Μήτε ἐλάφους βάλλοιμι θοοὺς κύνας εὖ κομέοιεν
Δός δέ μοι οὔρεα πάντα πόλιν δέ μοι ἥντινα νεῖμον
Ηντινα λῇς, σπαρνὸν γὰρ ὅτ' ἄρτεμις ἄστυ κάτεισιν.

Epizeuxis. Epizeuxis, eſt eiuſdem uerbi ſtatim concitata repetitio, ut:

Me me adſum qui feci, in me conuertite ferrum.

& in Antonium; Tu tu faces illas incendiſti.

Eſt uel oblectandi, uel docendi auditores gratia, eadem repetita ſententia, ut;

Αὐτὰρ ἐγὼν εὕδοιμι παρὰ χρυσῇ ἀφροδίτῃ
Εὕδειν ἐν λέκτροισι παρὰ χρυσῇ ἀφροδίτῃ.

Agnominatio. Paranomaſia, quæ agnominatio à noſtris dicitur, eſt, quùm uerbo una aut paucis literis mutatis, uerbum diuerſæ ſignificationis redditur, ut;

Inceptio eſt amentium haud amantium

Plautus in Captiueis;

Quæ memini, mera mora eſt monerier.

Cicero in Antonium; Paratum habet Imperatorem C. Caſsium P. C. Reſp. contra Dolabellam, nec paratum ſolum, ſed peritum atq; forte: idem in Tuſculanis; Nemo parũ diu uixit, qui uirtutis perfe-

ctæ, perfecto functus eſt munere. Ita etiam hac figura luſit Plato de rep. primo libro; τοῖς γὰρ φίλοις οἴεται ὀφείλειν τοὺς φίλους. Similiter deſinens hoc eſt, ὁμοιοτέλευτον eſt quoties, plura ſimilem in modum uerba finiuntur, ut in Verrem; Si pupillo opus redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Similiter cadens quod ὁμοιόπτωτον à græcis nominatur, fit plurium eoſdem in caſus terminatione uerborum, ut; Non minus in cauſa cederet A. Cæcina Sex. Ebutij impudentiæ quam tum in ui facienda, ceſsit audaciæ. Fit hoc etiam continuatis in uerbis, quale Demoſthenis illud in Philippum; ἐν δὲ τοῖς περὶ τοῦ πολέμου, καὶ τῆς τούτου παρασκευῆς, ἄτακτα, ἀόριστα, ἀδιόρθωτα, ἅπαντα. In eundem alibi; νῦν ἅπαντα καὶ πλείω καὶ μείζω ἐστὶ τῶν τότι πολλῶνι ἀλλ᾽ ἅπαντα ταῦτα ἄχρηστα ἄπρακτα, ἀνόητα ὑπὸ τῶν πολούντων γίγνεται. Vſus eſt his Cicero ſæpius in Catilinam, quale eſt; ut Catilinæ profectione, omnia patefacta, illuſtrata, oppreſſa, uindicata eſſe uideatis. Hæ duæ figuræ, ut ſunt in exemplo in Verrem, & pro Cæcina familiares Iſocrati fuerunt, ut; πολλάκις ἐθαύμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγώντων, καὶ τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας καταστησάντων. Polyptoton orationem eſſe definiunt, ex iiſdem uerbis, caſuum uarietate diſtinctam, ut;

ὁμοιτέλευτον. ὁμοιόπτωτον. πολύπτωτον.

> Littora littoribus contraria fluctibus undas
> Imprecor arma armis

& in Phormione Terentius;

> Eius me miſeret, ei nunc timeo, is nunc me retinet.

Nec diſsimile eſt quod idem Virgilius in octauo Aeneidos fecit;

> Mortua quin etiam iungebat corpora uiuis
> Componens manibusq; manus atq; oribus ora

Huic ſimilis uideri aut eadem poteſt quæ πλοκὴ nominata eſt, ut; πλοκή.

> -Notos pueri puer indue uultus &
> Poſtquam poeta uetus poetam non poteſt
> Retrahere à ſtudio

Polyſyndeton, eſt oratio pluribus annexa coniunctionibus, ut; πολυσύνδετον.

> Vna Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis
> Africus.

Aſyndeton figura eſt ſuperiori contraria coniunctionibus carens, ut; ἀσύνδετον.

> -Ite,
> Ferte citi flammas, date uela, impellite remos.

Climax, gradatio à noſtris dicta eſt, in qua non ante ad conſequens κλίμαξ.

uerbum

uerbum diſcenditur quam ad ſuperius aſcenſum eſt, ut in ſceptro quod ab Ioue Homerus deducit non prius à Thyeſte ad Agamemnonem quàm à Vulcano ad Iouẽ, ab Ioue ad Mercurium, inde ad Pelopem, inde ad Atreum, deniq; ad Thyeſtem, unde illud Agamemnon accepit. Hic ad infimum à ſummo diſcenſum eſt. Fit etiam contra, ut ad ſummum ab infinito aſcendas, quemadmodum Virgilius à Latino Rege ad Saturnum;

-Rex arua Latinus & urbes
Iam ſenior longa placidus in pace regebat,
Hunc Fauno, & Nympha genitum Laurente Marica
Accepimus, Fauno Picus pater, isq; parentem
Te Saturne refert, tu ſanguinis ultimus auctor.

Hinc apud M. Tullium gradatio eſt illa pro Sext. Roſcio; In urbe luxuries creatur, ex luxuria auaritia, ex auaritia erumpit audacia σχίσις ὀνομάτων, eſt (ut ipſius Donati uerbis utar) multitudo nominum coniunctorum eodem habitu copulandi, ut;

σχίσις ὀνομά των.

Marſa manus, Peligna cohors feſtina uirum uis

Εἱρμός. Εἱρμὸς uero ſeries orationis continuæ tenorem ſuum uſque ad ultimum ſeruans, ut;

Principio cœlum ac terras camposq; liquentes
Lucentemq; globum lunæ titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit:

Notus eſt Virgilij locus

παρόμοιον. παρόμοιον eſt (idem ait) quando ab iiſdem literis diuerſa nomina ſumuntur, cuius ab Ennio hoc exemplum attulit;

O Tite Tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.

Amant genus hoc ueteres græcorum, qualia mille ſunt ſimilia, Demoſthenis exemplo; ἐπειδὴ παρεῖδε πρὸς δίκαια μείζω, καὶ τοὺς νόμους μᾶλλον ἴδεισι τῶν ἀπειλῶν τῶν τούτου τηλικαῦτα, τηλικαύτῃ καὶ τοιαύτῃ συμφορᾷ περιπίπτωκεν ὑπὸ τούτου. Nunc redeo ad quæ tradita à grammaticis iam ante dixeram. Vitia enim hoc loco decem numerauit Aelius cum barbariſmo ac ſolœciſmo coniuncta, à tribus illis generibus nata quæ ſunt inordinatum obſcurum barbarum quibus ex decem uitijs inordinatæ orationis ſpecies ſunt, tum κακόφατα, ut;

κακόφατα.

Numerum cum nauibus æquet,

tum κακέμφατα, quam uocant αἰσχρολογίαν, quùm obſcœnitas aliqua uno etiam in uerbo ſuſpecta eſt, ut;

Arrige aures Pamphile.

tum

tum male collocata ideſt κακοσύνθετα, ut; κακοσύνθετα.

-Verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta.

Obſcuritatis uerò ſunt partes barbariſmo ac ſolœciſmo communes ut iam dixi, πλεονασμὸς, περισσολογία, μακρολογία, ἔκλειψις, ταυτολογία, ἀμφιβολία, κακοζηλία, uitia obſcuritatis. Pleonaſmus eſt quum ſuperuacaneis uerbis abundat oratio, ut; πλεονασμός.

Sic ore loquuta eſt &
Faciem mutatus & ora cupido

Non defuerunt qui in uerbis reuertendi, redeundi, ac ſimilibus quę ſecundos motus ſignificant pleonaſmum ineſſe dicerent, ſiquando auctores ea primos ad motus referunt, qualia ſunt illius generis multa.

An ne aliquas ad cœlum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas iterumque ad tarda reuerti
Corpora?

Periſſologia eſt ſuperiori ſimilis, niſi quod illa uerbis, hæc rebus mi nimè neceſſarijs oneretur, quale afferunt exemplum; Ibant qua poterant, qua non poterant non ibant. Macrologia eſt nimis culta longiorque deſcriptio ſententiæ cuius hoc exemplum Diomedes affert; περισσολογία. μακρολογία.

Poſtera lux ſummo ſpargebat lumine terras
Orta dies, quùm primo alto ſe gurgite tollunt
Solis equi lucemque elatis naribus efflant.

Eclipſis eſt uerbi defectio neceſſarij ad plenam ſententiam, ut; ἔκλειψις.

Hæc ſecum

& in Terentio;

Verbum caue de nuptijs

Ad hanc pertinere uolunt quum dicimus ad Veſtæ, ad Opis, ad Dianæ, ad Caſtoris: item rectà introire. Eſſe in Tuſculano, in Pompeiano, in Cumano, ueſci Suilla, bubula, ferina: eſſe in Pelignis, in Salentinis, apud Inſubres, apud Marſos; Sedere in tonſtrina, in ſutrina, laborare tertiana, uel quartana, reũ fieri de repetundis: adhuc etiam à pedibus, à ſecretis, à libellis, adeſſe ad ueſperam: etiam illa emiſſe domum trities, relicta à patre uities, accepiſſe quadragies, ac deniq; omnia ubi quocunq; modo aliquod uerbum deeſt ad perfectum ſenſum. Similis ἐκλείψει ἀποσιώπησις uidetur eſſe, quæ tum reticentia tum obticentia à noſtris dicta eſt, ut;

Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Hæc tamen ad ſententiarum, illa potius ad uerborum figuras refertur ταυτολογία eſt plurium, aut unius idem, ſignificantis uerbi, uitioſa repetitio, ut ego met ipſe mecum. Sed ponam hoc loco ἀνακόλουθα ante quam ad tria ueniam quæ ſuperſunt. ἀνακόλουθον, eſt quoties membrum orationis membro ſuperiori minus commodè adiunctum eſt, ut;

ἀνακόλουθον.

Nam is poſtquam exceſsit ex ephœbis Soſia
Liberius ei uiuendi poteſtas fuit.

Priore enim in uerſu illud uerbum exceſsit ſuſpenditur ex natura aduerbij Poſtquam. Aliud ergo neceſſarium erat quod ad pronomen Is perſonamque Pamphili referretur. At uerò quod eſt in fine ſecundi uerſus ad proximè antecedentem refertur nominandi caſum. Ανακόλουθα, dici poſſunt quùm duo membra quorum eſſe eadem ratio debuiſſet, ſecundum tamen differt à primo, quod accidit in illo Ciceronis loco; Ita ſacerdos aducta in fanum, quùm currus eſſet ductus à filijs, precata à Dea dicitur, ut illis pręmiũ daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſet à Deo. Poſt epulatos cum matre adoleſcentes, ſomno ſe dediſſe, mane inuentos eſſe mortuos. Crebriora ſunt hæc apud Comicos, ut in Phormione Terentius,

Summa eludendi occaſio eſt mihi nunc ſenes,
Et Phædriæ curam adimere argentariam.

ταπείνωσις. Tapinoſin, humilitatem in ſermone dicimus, ualde infra rei qua de loquimur magnitudinem, ut;

Multa malus ſimulans uana ſpe luſit amantem.

Malus dictus eſt is à quo ſcelera & immanitates omnium hominum ante poeta dixerat eſſe ſuperatas. Αμφιβολία, ſenſus eſt quæcunque obſcuritas in ſermone, ut; M. Tullius hæres meus Terentius uxori meæ, triginta pondo uaſorum argenteorum dato quæ uolet. Ambiguum eſt, Vtrum quæ Tullius, an quæ Terentia uolet. Si uno in uerbo eſt ὁμωνυμία nominatur, ut ſi aciem (exempli gratia) dicas nec utrum deferri, an exercitus, an oculorum alio ex uerbo ullo poſsit intelligi. Κακοζηλία, nimis tumida redundáſq;, aut affectata ornatus imitatio eſt, ut;

Αμφιβολία.

κακοζηλία.

Fortunam Priami cantabo & nobile bellum
uolunt huc etiam pertinere illud;
Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curuatura rotæ radiorum argenteus ordo;

Sequitur

Sequitur nunc ea pars figurarum quas ait Cicero τρόπους nominari. Ex ijs Translatio ideſt μεταφορὰ, dicitur quùm ex re alia ad aliam uerbum transfertur quod propter ſimilitudinem rectè translatum eſſe uideatur. Itaq; transferimus ad rem quæ uerbo aut caret omnino, ut; μεταφορά.

Iam læto turgent in palmite gemmæ.

aut indiget illuſtriore, ut;

Talia flammato ſecum Dea corde uolutans

Aſſumitur enim tranſlatio, aut rei ante oculos ponendæ, aut obſcœnitatis uitandæ cauſa, aut breuitatis, aut augendi, aut minuendi, aut ornandi, Velim hic parum exercitatos non tam ſua temere proferre quam diutius ueterum in exemplis immorari. Abuſio quæ κατάχρησις dicitur uſurpatio eſt uerbi aut nominis alieni, ut; κατάχρησις.

Inſtar montis equum diuina Palladis arte

Aedificant.

Ἀκυρολογία, eſt improprij uſurpatio uerbi, ut; Ἀκυρολογία.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

Totum uerò hunc de metaphora eiuſq; generibus locum ita Cicero in oratore ad Brutum explicauit; Illuſtrant quaſi ſtellæ quædã tranſlata uerba atq; mutata. Translata ea dico ut ſæpe iam, quæ per ſimilitudinem ab alia re, aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſa transferuntur. Mutata in quibus pro uerbo proprio ſubijcitur aliud, quod idem ſignificet, ſumptum ex re aliqua conſequenti, quod quanquam tranſferendo fit, tamen alio modo tranſtulit quum dixit Ennius arcem & urbem orbas; alio modo ſi pro patria, arcem dixiſſet: & horridam Africam terribili tremere tumultu quum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc Hypallagen rhetores, quia quaſi ſummutantur uerba pro uerbis; Metonymiam uocant, quòd nomina transferuntur. Ariſtoteles autem tranſlationi hæc ipſa ſubiungit, & abuſionem, quam κατάχρησιν uocant, aut quùm minutum dicimus animum pro paruo, & abutimur uerbis propinquis, ſi opus eſt, uel quod delectat, uel quòd licet. Iam quùm fluxerunt plures continuæ tranſlationes, alia plane fit oratio. Itaq; genus hoc græci appellant ἀλληγορίαν, nomine rectè, genere melius ille, qui iſta omnia tranſlationes uocat. Hæc frequentat Phalereus maximè, ſuntq; dulciſsima, & quanquam tranſlatio eſt apud eum multa, tamen immutationes nuſquam crebriores. Μετάληψις fit, quùm per gradus eundum eſt quoſdam ad id quod uerbo oſtenditur, ut; μετάληψις.

Poſt aliquot mea regna uidens mirabor ariſtas

&

-Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris.

Ex atris enim nigras, ex nigris tenebricoſas atq; hinc profundas intelligere oportet. Μετωνυμία, quæ eadem eſt cum hypallage à noſtris denominatio dicta eſt. Ea fit quùm id quod continet poſitum eſt pro eo quod continetur, ut;

μετωνυμία.

Nunc pateras libate Ioui:

aut contra

Crateras magnos ſtatuunt & uina coronant:

aut pro rebus inuentis inuentores uel auctores præſidesque rerum, ut;

Sine Cerere & Libero friget Venus.

Platonem glutinatoribus dedit. Ariſtotelem combuſſit. Poetas omnes uendidit. Vel quum poſsidentia, rerum loco poſſeſſarum ponimus, ut apud Homerum ab Achille δημοβόρον Agamemnonē ſcimus propter auaritiam eſſe dictum. Vel quùm pro rebus effectis efficientia dicimus, ut;

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas

Regumque turres

Tritum eſt enim apud oratores hac figura, & συνεκδοχῇ, & μεταλήψει capi genera pro formis, partes pro toto, effecta pro cauſis, antecedentia pro conſequentibus, aut hæc pro illis quæ ſunt ex doctrina dialecticorum. Alia ſunt adhuc genera quæ ſubiungam. Antonomaſia quæ pronominatio fortaſſe diceretur, inſigne aliquid pro nomine proprio ſubſtituit, ut;

ἀντονομασία.

Pelidæ ſtomachum cedere neſcij.

& Virgilius

Speluncam Dido, dux & Troianus eandem

Deueniunt.

ἐπίθετον.

Epitheton Quintilianus uertit appoſitum quod ſubſtantiuo nomini adiungitur, ut;

Dira Celeno: & Dia Camilla.

συνεκδοχή.

συνεκδοχὴν intellectionem dicimus latinè, quæ partem oſtendit ex toto, ut; quo de genere illud eſt Ciceronis ad Appium; Te in prima prouincia eſſe uelle, ut poetæ etiam quam plurima, ut;

Primusque in faucibus orci

&

Infantumque animæ flentes in limine primo.

&

&

Multam accepit rimoſa paludem:

uel totum ex parte, ut;

Puppeſque tuæ pubeſque tuorum.

uel quoquo modo plus aut minus uero ſignificat, aut ex uno plures, ut;

Regere imperio populos Romane memento:

aut ex forma genus ut iam dixi, aut ex antecedentibus conſequentia uel contra. Quorum ubiq; plurimus eſt uſus, ut loci dialecticorum ferè omnes unde argumenta promimus ad diſputandum, alij pro alijs non diſputando quidem ſed loquendo ponantur, ut cauſæ pro effectis rebus, defintiones pro definitis, tota pro partibus, & uerba rerum incertarum pro certis, inter quæ ſunt exiſtimo, reor, arbitror, puto, uideor quæ quùm dici de omnis obſeruatione græci & latini ſermonis cognouiſſem, Vlpianus rhetor, is qui in Demoſthenem commentarios fecit, mihi confirmauit. Nominatio eſt quam græci ὀνοματοποιίαν uocant, ex animalium aut rerum ſono factam. Inde ſunt nomina, fragor, ſibilus, mugitus, murmur, bombus, clangor, & uerba tum ex his ipſis, tum illa quoque, rudere, uagire, hinnire, grunnire, coaxare. Ἀντίφρασις eſt nomen contra quam rei poſtulat natura factum, ut Parcarum, Manium, rerumque huiuſmodi cæterarum exempla nobis dederunt. Circuitio quæ ab ijſdem græcis auctoribus περίφρασις nominatur, eſt oratio rem ſimplicem pluribus uerbis deſcribens, ut; Nominatio. Ἀντίφρασις. περίφρασις.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris

Incipit & dono Diuum gratiſsima ſerpit.

Hæc etſi fortaſſe non omnino ſint eadem, ualde tamen ſimilia ſunt illi rationi qua ut Ariſtoteles ait in Rhetoricis, definitionem ponimus pro re definita, id eſt λόγον ἀντ' ὀνόματος, ut pro Sext. Roſcio M. Tullius; Portentum atq; monſtrum certiſsimum, eſſe aliquem humana ſpecie & figura qui tantum immanitate beſtias uicerit ut propter quos hanc ſuauiſsimam lucem aſpexerit, eos indigniſsimè luce priuarit. Hunc locum aſsignare mihi uiſum eſt ei figuræ quę dicitur ἓν διὰ δυοῖν poetis uſitata, ut; ἓν διὰ δυοῖν.

Molemque & montes inſuper altos

Impoſuit.

Huic aduerſa eſt, δύο δι᾽ ἑνός, ut;

Oculos & lumina uoluens.

ὑπερβατόν, eſt tranſgreſsio (ſic enim ſunt ueteres interpretati) ὑπερβατόν.

uerborum ordinem perturbans cuius genera ferè ſunt ὕστερον πρότερον, ἀναστροφή, παρένθεσις, σύνθεσις, σύγχυσις, τμῆσις, ὑπερβολή, ἀλληγορία.
ὕστερον πρότερον. ὕστερον προτερον, præpoſterum aut inuerſum dicatur. Eſt enim ordo uerborum ac ſententiæ commutatus, quod in illo accidit;

Arma uirumque cano:

& eodem in libro Virgilius;

Torrere parant flammis & frangere ſaxo.

Tametſi diuidunt hæc ſubtilius grammatici, ut ſi natura prius uerbum, poſtponitur, ὑστερολογία dicatur quemadmodum in ſuperioribus eſt exemplis, ſin ordo ſentētię inuertitur, tū illud ſit quod ὕστερον πρότερον uocamus. Quùm.n.quæſiſſet Pomponius Atticus, quid in iudicio acciderit, ut Clodius abſolueretur, nec uehementius Cicero in Clodium pro religione ſteterit, is quùm de abſolutione ſecundo loco ſibi dicendum eſſe cōmodius uideretur, ita ſuæ epiſtolæ ordinē inſtituit; Reſpondebo tibi (inquit) ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Sit igitur hæc duarū quas dixi figurarū, nobis etiam, à Seruio cōſtituta differentia, ut ὑστερολογία, de ordine mutato uerborum, ὕστερον πρότερον de ſententiæ atq; orationis dicatur. Huius eſſe generis putant quoties mutato ordine, referendi pronomen antecedit, ut;

Quas credis eſſe has non ſunt ueræ nuptiæ.

alia quædam inuerſio eſt, ſed duobus tantum poſita in uerbis, ut;

Carthago Italiam contra.

παρένθεσις. παρένθεσις, eſt ad id de quo loquimur, alterius interpoſitio ſententiæ, ut;

Olli (ſenſit enim ſimulata mente loquutam,
Quo regnum Italiæ Libycas auerteret oras)
Sic contra eſt ingreſſa Venus.

Faciunt autem ſæpe auctores, ut à parenthenſi ad intermiſſam longiuſculè ſententiam ſuperiorem reuertantur, quale Ciceronis eſt illud ex alijs quam plurimis, pro L.Murena; Noſtri autem illi (fateor .n.Cato me quoque in adoleſcentia diffiſum ingenio, quæſiſſe adiumenta doctrinæ) noſtri inqnam illi, à Platone & Ariſtotele moderati homines, & temperati apud ſapientem ualere aliquando gratiā: uiri boni eſſe miſereri: diſtincta genera eſſe delictorum, & diſpares pœnas. Alio modo quodā admonēt ſuperioris ſaltē uerbi, ut in Verrem; Citat reum: non reſpondet: citat accuſatorem (attendite quæſo, uidete quantopere iſtius amentiæ fortuna ipſa aduerſata ſit, & ſimul uidete, quis Sthenij cauſam caſus adiuuerit) citatus accuſator M.Pacilius, neſcio quo caſu non affuit: non reſpōdit. Et in eundem;

dem; Mittit ad hominem Venerios (hoc quoq; attendite, apparito-
res à Prætore aſsignatos habuiſſe decumanum, ſi mediocre argumen
tum uideri poteſt, iſtum decumanorum nomine ad ſuos quæſtus eſ-
ſe abuſum) adducitur à Venerijs atq; adeo attrahitur Lollius cõmo-
dè quum Apronius à palæſtra rediſſet & in triclinio quod Ennæ ſta-
tuerat accubuiſſet. Fiunt huiuſmodi reditiones ubi etiam παρέλκ-
εις non ſit ſuperuacaneo pronomine ad antecedens relato, ut;

Sed gnatum unicum
Quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius
Quòd illa ætas magis ad hæc utenda idonea eſt:
Eum ego eieci hinc miſerum iniuſtitia mea.

σύγχυσις eſt hyperbaton obſcurum, & confuſa uerborum compo- σύγχυσις.
ſitio, ut;

Treis Notus abreptas in ſaxa latentia torquet,
Saxa uocant Itali medijs quæ in fluctibus aras

τμῆσις eſt quùm diuiſo ſuas in partes compoſito uerbo, aliquid in-
terponimus, ut;

Gurgite cœruleo ſeptem prohibete triones.

Vtuntur hac, etiam oratores, ut M. Tullius illo more, quo Terentius
in Andria.

Facile omnes perferre, ac pati
Cùm quibus erat cunq; una, ijs ſeſe dedere.

Superlatio, ideſt ὑπερβολὴ eſt oratio ſupra alicuius rei ueritatem, au- *Superlatio.*
gendi cauſa minuendiue ſumpta, ut;

Illa uel intactæ ſegetis per ſumma uolaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas:

& quæ ſequuntur. Ἔμφασις, eſt rei minus expreſſæ, uel omnino ta- Ἔμφασις.
citæ ſignificatio, ut;

Trunca manum pinus regit, & ueſtigia firmat

Quam uaſta enim corporis proceritas eſt eius qui ſe cæcitate infir-
mum trunco pini ſuſtentat?
Alibi idem Virgilius

Quum iam glandes atq; arbuta ſacræ
Deficerent ſyluæ.

Multo magis enim alijs deeſſe ſyluis neceſſe eſt quod etiã ſacræ de-
ſit. Permutationem dicunt ἀλληγορίαν quæ eſt oratio aliud uerbis, Ἀλληγορία.
aliud ſententia demonſtrans, ut;

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor
Et iam tempus equûm fumantia ſoluere colla.

εἰρωνεία. Huic generi ſubiectæ ſunt quæ ſequuntur formæ. Εἰρωνεία diſsimilata eſt illatio, aliud uerbis, aliud ſententia ſignificans, ut;

Egregiam uero laudem & ſpolia ampla refertis

Tuque puerque tuus.

Aenigma. Et C. Verres Prætor urbanus homo ſanctus & diligens. Aenigma eſt obſcura ſententia per obſcuram ſimilitudinem rerum, ne poetis quidem ualde permiſſa, ut;

Dic quibus in terris (& eris mihi magnus Apollo)

Treis pateant cœli ſpatium non amplius ulnas.

χαριεντισμός. χαριεντισμὸν, ſcribunt eſſe, quo dura dictu gratius proferuntur, ut apud Terentium in Ecyra interroganti Soſtratæ filium;

Quid tu igitur lacrimas, aut es tam triſtis?

Matri Pamphilus reſpondit

Rectè mater.

παροιμία. Παροιμία, eſt accommodatum rebus & temporibus prouerbiũ, ut; Pares autem cum paribus ueteri prouerbio facillimè congregantur σαρκασμὸς ἀ σαρκάζω, ut χλευασμὸς etiam à χλευάζω amarior quædam eſt εἰρωνεία, hoſtilisq; irriſio, ut;

En ego uicta ſitu quam ueri effœta ſenectus,

Arma inter Regum falſa formidine ludit.

μίμησις. Huic ſubijcere μίμησιν poſsis. Ea eſt orationis uerborumq; deprauata cum irriſione & contemptu imitatio, ut;

At ego neſciebam quorſus tu ires, paruola

Hinc eſt abrepta: eduxit mater pro ſua,

Soror dicta eſt, abducere cupio, ut reddam ſuis

Illa apertior in eadem Eunucho;

Pergis ſceleſta mecum perplexè loqui

Scio, neſcio, abijt, audiui, ego non affui:

Non tu iſtuc mihi dictura apertè es quicquid eſt?

Ἀστεισμός. Ἀστεισμὸς patet latiſsimè. Eſt enim ſatis urbana iocatio & quicquid omni barbarie ac peregrinitate in iocando, caret, ut;

Qui Bauium non odit amet tua carmina Mæui.

Atque idem iungat uulpes & mulgeat hircos.

παραπροσδοκία. Huic ſubiecta uideri poteſt παραπροσδοκία qua aliter atque expectatum ſit urbanè reſpondemus, ut Ariſtophanes in Pluto;

Ἀλλ' οὔ σε κρύψω, τῶν ἐμῶν γὰρ οἰκετῶν

πιστότατον ἡγοῦμαί σε καὶ κλεπτίστατον.

Alienum eſt hic de tranſitione dicere, ſed commodiore loco dici

non

non potuit. Ea eſt μετάβασισ, tranſitusque à ſuperioribus ad ea quę ſequuntur, ut; Audiſtis iudices de iſtius hominis libidine ſingulari, nunc de furtis inauditis cognoſcite. Verum de ijs quæ tantum ſunt oratorum & ea parte quæ eſt à P. Rutilio tradita noſtris in Rhetoricis libris accuratiſsimè perſequuti ſumus. Nemo igitur expectet hoc loco dum pluribus agam περὶ προσαπόδοσεως, συναθροισμοῦ, παραδιαστολῆς, ἀνακλάσεως, ἐπιβολῆς, ἐπιφορᾶς, μετανοίας, aut aliis quæ Iulius et Rufinianus, & cæteri homines docti ueteres aut noui auctores collegerunt. His enim in libris, neque omnes (præſertim oratoriæ) figuræ tractãdæ ſunt neque de ijs exquiſitiſsime ſcribendũ. Ὁμοίωσις eſt minus notæ rei ſimilitudinem eius quæ magis nota eſt demonſtratio, cui ſubiecta eſt, εἰκὼν, παραβολὴ, παράδειγμα. Εἰκὼν, ſeu imago eſt perſonarum inter ſe uel eorum quæ perſonis attributa ſunt comparatio, ut; μετάβασις. Ὁμοίωσις. Εἰκών.

Qualis in Eurotæ ripis, aut per iuga Cynthi
Exercet Diana choros.

Παραβολὴ, eſt rerum genere diſsimilium comparatio, ut; παραβολή.

-Pelago credas innare reuulſas
Cycladas, aut montes incurrere montibus altos.

Παράδειγμα, eſt exempli expoſitio ad ſuadendum accommodata, ut; παράδειγμα.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque uiam toties, quid Theſea magnum
Quid memorem Alcidem? & mi genus ab Ioue ſummo

uel contra ad diſſuadendum, ut;

Nec uerò Alciden me ſum lætatus euntem
Accepiſſe lacu, nec Theſea Pyrithoumque,
Diis quanquam geniti atque inuicti uiribus eſſent.

Anthypophora eſt quum tacitæ quæſtioni reſpondemus, ut; Ἀνθυποφορά.

Forſitan & Priami fuerint quæ fata requiras.

Scio me adhuc prætermiſiſſe multas, uerborum, orationis, ſententiarum, figuras quæ ſunt innumerabiles, proprijs nominibus diſtinctæ: quam plurimas etiam quibus nomina definitioneſque nondum ne à Græcis quidem ſunt aſsignatæ. Omnem enim aut vnius literæ motum, aut ſyllabæ, aut uerbi, aut orationis, aut ſingula animi momenta, quarum eſt omnium infinita pene uarietas, & græci & nos figurarum nomine complexi ſumus. Nec nos terreat illud, quod eadem figura aliud apud auctores alios nomen habeat, aut nomini eidem, non eadem ſemper uis ſubiecta eſſe uideatur.

tur. Tulit enim aut uerbi natura, aut ſermonis conſuetudo, aut hominum doctorum auctoritas, ut ita fieret, nec in uerbis moroſi nos eſſe uolumus, & ijs in libris quos de rhetorica ſcripſimus, plura, magiſque diſtincta & (ut ſpero equidem) illuſtriora tradidimus. Nunc poſtremum ſit illud (quod cætera etiam ad præcepta grammaticæ omnia pertinere uolo) quæ à me ad figuras, aut alias omnino huius mei totius inſtituti partes afferuntur exempla, eò ſolum afferri quò infinita huiuſmodi apud auctores omnes cognoſci poſsint. Itaque legi hæc diligenter uolo, ſumpta à maximis utriuſque linguæ auctoribus, ſed ita, ut quamuis neceſſaria, non tamen ſatis ipſa per ſe credantur, quibus id ſolum efficere ſtudemus, ut rectè in auctorum illuſtrium ſcriptis exerceri poſsimus, non ut omnem hinc latinam linguam didiciſſe nos putemus. Obfuit enim ſtudijs eloquentiæ plurimum, quòd cuulſa nondum eſt ex animis quorundam hominum ea uel opinio uel ſegnities, aliquot ante ſæculis nata, quùm ſe adhuc latinitatis & ornatè loquendi ſcientiam de grammaticorum commentarijs conſequi poſſe uel cupiant, uel arbitrentur.

Q. MA-

Q. MARII CORRADI VRITANI, DE LINGVA LATINA, AD MARCELLVM FRATREM.

LIB. XIII.

DONATI CASTILIONIS, ARGVMENTVM.

RATIONEM uerſus faciendi tam oratoribus quam poetis ipſis probat eſſe neceſſariam. Hanc rationem Ariſtoteli, Platoni, M. Tullio, ac doctis omnibus tam cognitam ſemper fuiſſe, quam ſummis poetarum. Iterum ut in ſuperiore libro poetas ad argumenta religionis aliqua hortatur. Latinam linguam contra noſtri ſeculi inſolentiam defendit. Denique huius linguæ præcepta quùm omnia collegiſſet ad orationemque iam ſpectaret faciendam, ex iis ſimplicisſimis uerbis quæ ante tradidiſſet, pedes uſque ad πεντεσυλλάβους ad componendos uerſus conſtituit. Hinc omnia uerſuum genera à græcis & latinis omnibus, præcipuèque Horatio & Catullo colligit. Mox ordine ad ſolutæ orationis præcepta ex Diomedis, Valerii Probi, & ueterum grammaticorum exemplo deſcendens, imitationis etiam uias eleganter, dilucidè, ac breuiter exponit.

SILLABAS, & genera carminum cognoſcere ita coniunctæ res eſſe uidebantur, ut hæc ſtatim ſequi poſt illas cognitas deberent. Ego uero naturæ potius quam docendi ordinem ſum ſequutus, ut omnia ſuis in quibus nata ſint locis exponerem. Nec dici ſyllabarum tempora commodius potuiſſent quam ubi neceſſariò ipſis de ſyllabis dicendum erat. Nec de pedibus tractatio ad eum locum differri non debuit in quo pedes accommodari ad ipſa carminum genera oportebat. Nec de carminum generibus

neribus fieri uerbum neceſſe erat, niſi pedetẽtim à ſimplicibus uerbis & eorum tractatione ad locum orationis componendæ uentum eſſet. Quamobrem ſic à natura & auctoritate (ut à principio dixi) antiquorum, accidit, ut illa in primo, hæc autem in poſtremo libro tractari debuiſſent. Nunc illud moneo utraque hæc teneri diligentiſsimè ab omnibus debere qui non peregrini eſſe ac ſtulti ſemper in literis uolunt. Itaque ad faciendum carmen à ſubtili, & accurata ſyllabarum cognitione deſcendatur, quod qui negligit (etiam ſi in poetis uerſari haud nimium uelit) is profectò omnes literas contemnit, iamque ſibi uiam præcluſit ad maiora. Non dicam hoc loco pluribus, quanta ea res mihi eſſe uideatur. Nihil enim eſſe uolo iudicium, nihil ſententiam meam. Tantum dico ſiquis ulla ætate, ex omni orbe terrarum, ullo in genere doctrinæ clarus fuit, qui hoc ignorarit, ego à me ſtultè (ſiquis hoc vult) aliorum ignauiam reprehendi confitebor. Quare non poetas nomino, nec ſine ijs literas non poſſe conſtare diſputabo. Aſſentiar enim & concedam nunc quidem omnia, modò illud mihi concedatur neminem literas unquam attigiſſe, neminem aliqua in ſcientia præſtitiſſe, ex ijs quorũ latinè aut græcè ſcripta legimus, cui tu audeas dicere hæc non cognita fuiſſe. Qui ſe dicet literas non curare, ego non committam, ut cum illo diſputem; qui uerò ambitione literarum tenetur, quæro, cuius ad morem auctoris, atque exemplum conformare ſeſe uelit? Suum quoddam ſequi inſtitutum à cæteris omnibus alienum, hoc eſt, nolle unquam ad literas accedere & ſtultitiam ſequi pro literis. Nam quis tu es qui non ſequi ipſe literas, non literatorum hominum ſenſum imitari, ſed mutilatum genus literarum, ad tuam imperitiam ac tortuoſum ingenium, ſtudeas accommodare? Nolo ego literatus uideri neque putari aliquid opinionem meam, nec abutor nunc auctoritate (ut iam dixi) poetatarum, ſed Varro, Cicero, Ariſtoteles, Plato, ſummi uiri omnes qui Romæ aut in Græcia, aut uſquam aliquando fuerunt, uelim doceri, utrum huius doctrinæ, expertes fuerint, an curioſè ac ſtultè illos feciſſe dicas, ut hanc ſibi prætermittendam non putarint? Illud equidem ſcio quod nec ſtulti neſcire poſſunt, multa Ariſtotelis, omnia ferè M. Tullij, quamplurima Platonis ignorari ab ijs quibus hæc pars doctrinæ ſit ignorata. Nec præcepta enim faciendæ orationis quæ ſunt ab illis tradita nec artificioſè ſcripta intelligant: neceſſe eſt, qui hac in parte literarum non rectiſsimè ſunt exercitati. Verba enim coniungere ipſi non poſſunt, qui in eo quoq; errant

rant uehementer, quod rationem hanc ad componendos uerſus, magis neceſſariam, quam ad ſolutam orationem arbitrantur. Contra uerò ſi nullum ſcribendi genus eſt ſine hac ratione ſyllabarum, quod non poetæ ſolum, ſed ne oratores quidem exercere poſsint, iam ſtultè quis dubitet cur poſt literas inuentas nemo unquam uel ex barbaris gẽtibus extitit cui non cognita hæc fuerint æquè ac ſummis poetarum. Quamobrem hortor bonos adoleſcentes, literarum ſtudioſos, nullam ſibi illarum partem credant eſſe negligendam. Hanc uerò maximè ampleđantur, quam ſi relinquamus, nec uerſum nec orationem facere nos, nec ſcriptum ab aliis intelligere poterimus. Quid ergo in ſtudiis aliud eſt, in quo neglecto maiorem facias iacturam? Quumque duas res natura nobis dederit pulcherrimas quibus aut fallere tempus, aut recreare à miſerijs animũ poſsimus, ideſt muſicos cantus, & poeticos uerſus, longè mea quidem ſententia præſtat ea quæ ſemper nobiſcum, in frequentia in ſolitudine in rebus agendis in otio, & in ſilentio uerſatur, eſtque ad omne tempus, ætatem, ſexum, locum, ordinem accommodata. Vtinam hanc ut hactenus multi fecerunt ad illa tranferre pergamus, ut antiquorum exemplo, res celebrare perſonaſque diuinas poeticis numeris, eſſe nobis pulcherrimum credamus. Sed non deerunt, qui Actium ſyncerum, qui Heronimum Vidam, qui M. Antonium Flaminium, qui Baſilium Zanchium ſequentur. Luſerunt alia doctiſsimi uiri, Pontanus, Caſtillio, Varchius. Ioannes Baptiſta Arcucius, Cotta, Naugerius, Fracaſtorius, Amaltheus, Marullus, Gambara, Faſcitellus, quorum tamen ſcriptis non minus quam Virgilij, Horatij aliorumque ueterum, poſteritas omnis adiuuabitur. Nemo de quorundam ſtultitia hominum, ſuas ineptias, uel ſuorum ſcripta, uel barbariem cum his audeat conferre, quibus uti licet, præterea infinita ſcribendi uarietate ea ad quã iſti in ſua lingua ne aſpirare quidem poſſunt. Enumerent quæſo uerſuum genera in Horatio, Catullo, Anacreonte, Pindaro, in antiquis omnibus, & mecum repetant quotamquanque ſibi ex his partem liceat imitari. Caret enim illa barbaries, longarum & breuium diſcrimine ſyllabarum, quo fit ut pedes habere & carmen uariare non poſsint. Doluit hoc Triſsinus homo ex iſto grege ut ſibi uiſus eſt ingenioſus, qui ut huic uitio mederetur nouas literarum formas atque uoces, nouaſque ineptias excogitauit. Inuidit hanc nobis uarietatem Claudius Ptolemæius qui etiam ſine pedibus, capite, mente, ſapphicos, & paucorum generum uerſus quùm ſcribere cœpiſſet

piſſet, illum deniq; puduit leuitatis & audaciæ ſuæ. Quid ergo mi hi iſtorum natio inſolentiſsima linguæ nouitate iſtius gloriatur? Sed hæc, religio uiderit aliquando, & artes ingenuæ, & res publicæ orbis terrarum. Nunc ea dereliɛtio eſt rerum omnium, ut quùm di citur latiná linguam, æternam fore in ſcientijs, æternam in religionũ libris, ęternam in iudicijs, æternam in communicatione ſacrorũ, æternam in templis omnibus, uicturam ſemper in cunctis terris ubicunque religio fuerit, non turpe creditur, uel animaduerſione dignum, quod his rebus iſti, indoctorũ principum ignauiã, ſuamq; ipſorũ imperitiã, vulgi ſenſum, ac rumuſculos, ſuos amores, ſua ſcorta, ſuas adulationes, atque ineptiſsima omnia opponunt. Nobis uerò dubium non ſit Marcelle, quin aliquo in tempore facilius quoq; ſit futurũ, latini ſermonis uſum toto orbe terrarũ, à mulieribus etiã, pueris ac ruſticis teneri, quam peiorem in locum (ut iſti cupiunt) adducere. Sed iam nimis digredior, indoctorum inſulſitate hominum prouocatus. Pes eſt igitur ſublatio ac poſitio duarum pluriumue ſyllabarum ſpatio cõprehenſa. Ex ijs quatuor binas habent ſylla bas. Duabus.n.breuibus Pyrrhichius conſtat, ut celer: duabus longis, ſpondæus, ut Muſas: breui & longa Iambus, ut Feras: longa & breui Trocheus, ut Amnis, quem pedem ab aliis choreum eſſe dictũ Scio: Trochei uerò nomen tribracho dederunt, ſed modo intelliga tur quod uolo, & horum nominum quibus utor, aliquos tamen habeam auctores, non ero hac de re ſollicitus. Octo autem ternas continent ſyllabas, tres breues Tribrachus, ut Helena: tres longas Moloſſus, ut errores: longam duaſque breues Dactylus, ut Carmi na: duas breues & longam Anapæſtus, ut Alios: mediam breuem extremaſque longas, amphimacrus, ut literæ. Contrarius huic longam inter breues, amphibrachus, ut Pruina: breuem duas antecedentem longas bacchius ut ituros: duas longas conſequente breui antibacchius, ut Vinoſus. Tam quatuor ſuperiores illi, qui binas, quã cæteri octo qui ternas habent ſyllabas, plures eſſe pauciores q; non poſſunt. Vt enim ſyllaba nihil aliud quã breuis aut longa eſt, ita duabus è ſyllabis utraque aut longa eſt, aut breuis, aut ſequitur breuis, longam, aut longa breuem, nec patiebatur natura uel quin tum addi uel quartũ adimi pedem. Ratio eſt eadem eorum qui ternis conſtant ſyllabis, nec niſi aut breues eſſe omnes aut longæ poſſunt, aut breues duæ ſequente longa, aut breuis una ſequentibus longis, aut longa ſequente breui. aut longa & breuibus, aut breuis inter longas, aut longa inter breues. Igitur palam eſt hunc ſolum

lum eſſe numerum debere,utque duabus ſyllabis quatuor,tribus,octo pedes fiunt,ſic etiam quatuor ſexdecim,è quinque duo & uiginti,è ſex quatuor & ſexaginta,& ſemper deinceps ſyllabæ unius augmēto pedes duplicari.Neceſſe eſt igitur ut iā dixi qui ſequūtur ſexdecim eſſe pedes.E ſyllabis .n. quatuor breuibus fit proceleusmaticus,ut Valeria.Eſt ex totidē lōgis, diſpōdæus quē uocāt moloſſum, ut Oratores. Ex duobus iambis pedē nominā t diābū, ut uelocitas. Duobus ex Trocheis,uel ditrocheū dicunt uel Dichoreū, ut Cōſularis.Ex iambo & Trocheo, ideſt utrinq; duabus extremis breuibus duas concludentibus longas,antiſpaſtū,ut procelloſus.Ex trocheo & iambo,contrarium ſuperiori.Choriambū,ut Omnipotens. Duabus ex longis duas antecedentibus breues,ionicus maior, ut Prudētia. Contra,duabus ex breuibus quæ totidem præcurrant lōgas,ionicus minor,ut Leuitates.Reliqui ex octo pedibus quatuor ſunt Pæanes.Ex prima enim longa,tribuſque breuibus, Poean eſt primus,ut Legitimus. Secunda longa & cæteris breuibus, Poean ſecundus, ut Horatius.Sic tertia longa, tertius, ut Peregrinus: quarta quartus, ut Facilitas. His contrarij totidem epitriti adiunguntur.Nam breuis prima quum tres longas antecedit epitritus eſt primus, ut facultates: quum ſecunda breuis, ſecundus, ut conditores: quùm tertia tertius ut felicitates: quum quarta, quartus, ut libertate. Quinis uerò è ſyllabis, ut iam dixi uerba duos & triginta pedes efficiūt. Erit igitur Orthius,ex pyrrhichio & tribracho,ut beneficia. Contrarius huic moloſſoſpondeus,quinque è ſyllabis longis, ut inflammauiſſent. Probrachus ex iambo & moloſſo, ut trucidauiſti. Hyperbrachus è trocheo & moloſſo, ut Imperatores. Meſobrachus è ſpondeo & bacchio, ut orationes. Spondeocreticus, è ſpondeo & cretico, quem dicimus amphimacrum, ut prudentiſsimos. Calotibus, è ſpondeo & palimbacchio, ut conflagrauiſſet. Parapæan, è trocheo & tribracho, ut difficilibus. Periambus, ex iambo eodēque tribracho, ut probabilius. Meſomacrus, è pyrrhichio & dactylo, ut lacrimabilis. Hægemoſcolius, è pyrrhichio & amphibracho, ut agilitatis. Pyrrhichianapeſtus,è pyrrhichio & anapeſto, ut beneficijs.Diphyes,è pyrrhichio & moloſſo,ut gladiatores.Choreobacchius,è trocheo,& bacchio,ut præcipientes.Ameboeus,è ſpondeo,& anapeſto,ut circumſpicias.Spondeodactylus,è ſpōdeo ac dactylo, ut ardentiſsimus. Simplectus è ſpondeo & tribracho, ut mirabilibus. Iambodactylus, conſtat ex iambo,& dactylo,ut paratiſſimus. Muſicus ex pyrrhichio, & palimbacchio, ut animaduertis.

Daſius

Daſius è pyrrhichio & bacchio, ut cupiditates Choreodactylus, è choreo & dactylo, ut diligentia. Spondeoſchalius, è ſpondeo & amphibraco, ut illuſtriore. Periambodes, ex iambo, & bacchio, ut laborioſos. Cyprius, ex iambo, & anapæſto, ut probabilitas. Anticyprius, è trocheo & palimbacchio, ut contrucidatus. Iambocreticus, ex iambo, & amphimacro ut laborauerat. Doriſcus, è trocheo & amphibracho, ut inſinuare. Periodicus ex iambo & amphibracho, ut laborioſus. Antiperiodicus, è trocheo & cretico, ut negligentiæ. Strophius, è trocheo, & anapæſto, ut condolueras. Antiſtrophus, ex iambo & palimbacchio, ut relegauiſſet. Senis autem è ſyllabis ſi pedes fiant, erunt numero quatuor & ſexaginta: è ſeptenis uerò, centum & uiginti octo, ex octonis ducenti quinquaginta ſex. Verum, eò ſi progrediare, fortaſsis nec uerba ex noſtro ſermone ſuppeditabunt, unde ad ſingulos exépla ſumas, nec nomina, quibus diſtinguantur. Quamobrem, binis è ſyllabis uel ternis quouis modo inter ſe commiſti pedes, ut ſpondeus cum ſpondeo, iambus cum trocheo, pyrrhichius cum anapæſto, trocheus cum dactylo, cum poeanibus, cum epitritis (ita ſi placeat, aut neceſſe ſit) uel ſingulis in uerbis, uel ſimul in pluribus, quatuor & ſexaginta, uel centum uiginti octo, uel ducentorum quinquaginta ſex, uel aliorum quoque pedum loco eſſe poterunt. Sed perſequar cætera, quæ ſunt huius loci. Notum eſt breuem ſyllabam unius, longam duorum eſſe temporum. Item illud, pedum qui uel binis, uel ternis, uel quaternis conſtant ſyllabis, tria in genera partiri. Neceſſe enim eſt, ut M. Tullius ad Brutum ſcribit, partem pedis, aut æqualem eſſe alteri parti, aut altero tanto, aut ſeſqui eſſe maiorem. Ita, fit æqualis dactylus, duplex, iambus ſeſqui, poean. Aequalem, ut in pyrrhichio dicit, ſpondeo, dactylo, anapæſto, & quorum ſimiliter, æqua pars temporis in ſublatione eſt, & in poſitione. Sublatio, ἄρσις à ueterum doctis hominibus, poſitio θέσις nominatur. Quod autem dicimus tale eſt. Non modo pyrrhichius tantum habet in priore ſyllaba, quantum in ſecunda, cuius utraque eſt breuis, uel ſpondeus cui ambæ longæ ſunt, ſed anapæſtus etiam ac dactylus, quorum uel duæ correptæ ſyllabæ, uni longæ ſunt æquales, uel una producta duabus breuibus. Duplex ab eo dicitur, quùm pars, duplo partem ſuperat, ut in trocheo, iambo, duobuſque ionicis. Seſqui, ut in poeanibus quatuor, quorum una pars alteram, & eius dimidium continet, ut legitimus, Horatius, peregrinus, facilitas. Hæc M. Tullius

Tullius ex Ariſtotele mutuatus eſt. Nos uerò, qui præter duarum, trium, & quatuor ſyllabarum pedes, reliquos etiam πεντασυλλάβους tradidimus, cætera etiam de huiuſmodi proportionibus perſequamur. Amphibrachus igitur tripla dimenſione eſt, qua una breuis in ſublatione, & longa breuiſque in poſitione inter ſe conferuntur, ut pruina. Epitrita ratio eſt, quum pars una continet alterã & tertiam eius partem, ut in epitritis accidit, ut facultates, conditores, felicitates, libertates. Superbipartiens eſt quùm una pars alteram duaſque tertias continet, ut contrucidatus. Super quartam dicimus, quùm pars una continet alteram, & quartam eius partem, ut orationes. Super quintam uerò, quum una pars alteram & quintam eius partem continet, ut in eo pede quem Caniocreticum uocant, ſex ſyllabarum, à nobis prætermiſſo, ut declamatorios. Super ſextam denique quum maior pars continet minorem, bis & eius alteram partem, ut in muſico pede quinque ſyllabarum, ut animaduertis. Sed uenio iam ut carminum genera exponam, eaque attingam breuiter quibus ad poeticam, & faciendos uerſus aditum paremus. Hic primum eſt, dicere poeticam, artem eſſe ipſam poetarũ, & pangendi carmina. Poema autem & poeſis, nomine quidem ipſo ita differunt quemadmodum πρᾶγμα & πρᾶξις & huiuſmodi formæ nomina. Rhithmum noſtri numerum uerſusque imaginem eſſe dixerunt, qui à uerſu hoc differt quod hic ſpatio temporum & modulatione conſtat, ut;

Numeros memini ſi uerba tenerem,

Nàm Cyclopas etiam poeta idem bracchia tollere, & Faunus ludere ad numerum dixit. Verſus autem certis pedibus cõſtat. Eius plura ſunt genera quæ nos iam explicamus. De tragœdia.n.comœdia, ſatyra, elegia, odis, epigrammate, cæteriſque poematum generibus, & ipſo de artificio poetarum, non putaui mihi his quidem in libris eſſe diſſerendum. Sola igitur nunc metrorum genera cuique poematũ generi propria, ueteribus poetis uſitata deſcribam. Itaque à uerſu heroico incipiam. Hic ſex pedibus conſtat, primis quatuor ſpondeis dactyliſque, quoquo modo permiſtis, quinto dactylo, ſexto ſpondeo, uel (ſi poſtrema ſyllaba eueniat breuis) trocheo. Poterũt eſſe quatuor ſpondei, ut; *Verſus heroicus.*

Quùm Iuno æternum ſeruans ſub pectore uulnus, uel quatuor dactyli, ut;

Panditur interea domus omnipotentis Olympi.

Abundat hic uerſus interdum una ſyllaba, fitque is quem gramma-

tici ὑπέρμετρον uerſum uocant. Eam ſyllabam ſeu antecedat breuis, ut;

Inſeritur uerò ex fœtu nucis arbutus horrida,

Seu longa, ut;

Iamque iter emenſi turres ac tecta latinorum,

Sequens uerſus neceſſe eſt incipiat à uocali, quod his duobus, & alijs etiam in locis Virgilius fecit. Ita enim abſumpta ſuperiore, ſit in uerſu ut nihil ſuperſit. Varietatis gratia faciunt poetæ, ut quinto loco ponãt aliquando ſpondeum qualia ſunt eiuſmodi plurima,

Conſtitit atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:

Sic etiam Homerus & latini & græci omnes ut Heſiodus;

Μοῦσαι πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι

Δεῦτε δὴ ἐννέπετε σφέτερον πατέρ᾽ ὑμνείουσαι.

Rarò habet hic uerſus pro dactylo proceleuſmaticum, ut;

Velleraque ut folijs depectant tenuia ſeres:

rarius anapæſtum, ut;

Fluuiorum rex Heridanus.

Inciſa uocant quę à ueteribus grammaticorum πενθημιμερὴ, ἑφθημιμερὴ καὶ κατὰ τρίτον dicuntur. Tria hæc noſtris ſemiquinariam, ſemiſeptenariam, & trochaicam cæſuram placuit nominare. Inde priora duo nomen habuerunt quòd in pedum quinque, uel ſeptem, dimidia parte, ideſt dimidio pede poſt uel duos uel tres integros pedes, una ſyllaba remanet antecedentis uerbi, ad principium alterius pedis, ut;

Italiam fato profugus

Poſtrema enim ſyllaba in fato poſt ſpondeum, reliqua, principium eſt dactyli ſequentis. Datur hic auctoritati poetarum, ut ea ſi accidat breuis aliquando producere illam poſsint, ut;

Olli ſerua datur operum haud ignara Mineruæ, & ;

Omnia uincit amor & nos cedamus amori.

Non nihil enim uolunt in eo quoque eſſe momenti ad producendam uel corripiendam ſyllabam, ſi ea ad principium pedis uel finẽ locetur. Nam Cato, ut cætera huius formæ nomina, poſtrema longa Virgilius dixit, ut;

Quis te magne Cato tacitum, aut te Coſſe relinquat

Lucano autem, ut ſcriptum Probus reliquit, ad finem pedis poſitũ corripere licuit, ut;

Arcano ſacras reddit Cato pectore uoces

Ego-

ἑφθημιμερὴς huiuſmodi habet exempla;

Inferretque Deos Latio.

Ita.n.ſupereſt huic ſyllaba poſt tres pedes ex latio ut ante iam poſt duos ex fato. κατὰ τρίτον, quùm poſt duos primos pedes, trocheus quidam reliquus eſt à uerbo antecedentis pedis, ut;

Poſt habita coluiſſe Samo.

In uerbo enim coluiſſe duæ poſtremæ ſyllabæ trocheum faciũt unde trochaicam cæſuram dixi à quibuſdam eſſe nominatam. Ex tribus huiuſmodi inciſis uel unum ſi non adſit in uerſu, uitioſum putatur. Per quàm rarò enim ueteres poetæ fecerunt, ut ſingulos pedes ſingulis uerbis integris amplecterentur, ita prorſus ut eius uitij exẽplum non facile afferre poſsim. Contra uerò laudantur quæ huic ſimilia ſunt;

Inſignem pietate uirum tot adire labores:

Nullus.n.hic pes eſt qui integro uerbo finiatur. Præceperunt alij ante nos his de rebus multa, ſed ex noſtris ne Terentianus quidẽ Aldo plenius aut ſubtilius. Nos autem ea duntaxat perſequimur, ſine quibus ad maiora, ad imitationem, ad cognoſcenda poematum genera bonis ingenijs uia eſſe non poterat. Nec admonendum eſt duas in uerſu ſyllabas unam in ſyllabam coire, aut breues in longam, uti Nil, & Nĩ à, Nihil, & Niſi, & illud;

Quin protinus omnia

aut longam cùm ſequente breuí in alteram longam, ut

Fixerit æripedem ceruam Tirynthius heros:

aut longam unam in duas itidem longas, ut;

Aurai ſimplicis ignem:

aut longam poſt breuem in longam, ut;

Pleno ſe condidit alueo.

Multa ex illo etiam uerborum genere, Dehinc, Deinde, Deinceps, Proinde. Illud etiam ſane quam uidetur eſſe pucrile ex binis uocalibus antecedentium, conſequentiumque uerborum, ex ratione carminis euaneſcere priores, ut;

Conticuere omnes intentique ora tenebant:

idemque fieri ſi antecedat M, ut;

Littora multum ille, & terris iactatus & alto:

& utraſque ſimul interire. Hoc ipſum accidit inter principia ſineſq; uerſuum, ut;

Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem

Aut foliis undam tepidi deſpumat aheni.

cunque prius occurrat. Dehinc ſyllabam recipiunt longam, duos dactylos, & alteram longam ſyllabam, quæ ſuperiori annexa integrum pedem conſtituit. Verſum tamen ita ſi metiri uelis, ut quam dixi poſt duos primos pedes longam ſyllabam ſequenti adiungas, pedem hic ſpondeum feceris, ex alijs autem quæ ſuperſunt ſyllabis duos anapæſtos. Quunque duæ ſint rationes, utriuſque ſit exemplum;

Nil mihi reſcribas attamen ipſe ueni.

Iambici autem uerſus iambo tantum pede olim fiebant, ut;

Eamus omnis execratas ciuitas:

Deinde legitimo pedi quatuor ſunt alij adiecti pedes, tribrachus, dactylus, ſpondeus, anapæſtus locis imparibus attributi. Secundo autem & quarto loco tribrachus totidemque temporum iambus, ut apud Horatium;

Luxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem.

Sed mutant hanc ipſi etiam ueteres legem, ut ponant quarto loco Anapæſtum, ut in Pluto Ariſtophanes;

Μετέχειν ἀνάγκη τὸν θεράποντα τῶν κακῶν.

Tragędiarum ſcriptores in locis paribus præter iambum rarò pedibus alijs utuntur. Tribracho uſus eſt Euripides in Rheſo;

τῆς ἐνδόθεν τε ποταμοῦ σώμονος, φιλῶ λέγειν
τ' ἀληθές.

Sed parcius omnino faciunt, ut quos dixi mutent pedes. Terentius uerò & Plautus, & ſi eandem ſequantur uiam liberius tamen hos quinque pedes in locis omnibus admiſcent. Secundum pedem uides illo in uerſu ſpondeum

Vos iſthæc intro auferte abite Soſia:

Secundum & quartum infrà

Nempe, ut curentur rectè hæc: immo aliud: quid eſt.

Dactylum ſecundum;

Nihil iſthac opus eſt arte ad hanc rem quam paro:

Eundem quartum

Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus:

Trabachum ſecundum;

Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos:

Eundem quartum;

Dic ſodes quis heri Chryſidem habuit: nam Andriæ:

Secundum anapæſtum;

Fide & taciturnitate : expecto quid uelis.

Nec alia ratio eſt uerſuum illorũ quos in Tragœdia aut Comœdia μονομέτρους, διμέτρους, τριμέτρους, τετραμέτρους dicunt, uel duorũ, uel quatuor, uel ſex, uel octo pedum. Poſtremos duos noſtri ſenarios, octonarioſque uocant. Primi ſunt, ut;

Quid illud eſt

Alteri, ut;

Miſeram me quod uerbum audio :

Tertii, ut;

Venit Chremes poſtridie ad me clamitans :

Poſtremi, ut;

Quo pacto Danae miſiſſe aiunt in gremium imbrem aureum.

Sunt ex omnibus ſpondeis, ut;

Si te in germani fratris dilexi loco

Siue hæc te ſolum ſemper fecit maxumi.

Conflatur uerſus ex unius fine & alterius principio ſcenæ, ut;

Ne ad morbum hoc etiam : teneo : Qui ais Byrrhia?

Rarò admiſcent etiam his pedibus trocheum, ut;

Ad te uenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.

Trochaici uerò iiſdem quibus iambici conſtant pedibus, ita ut nullã tamen in ſedẽ recipiant iambum, ut nec iambici trocheũ. Hic uerò pes, uel tribrachus etiam, contra quã iambus tertio ferè & quinto loco datur. Si tamen octonarios uerſus ſcribas tribrachum ſeptimo loco non admittes. Itaque uerſus trochaici ex eo potiſsimũ genere quod καταληκτικὸν uocant, illud eſto Terentij exemplum.

Dum ſtudeo obſequi tibi, penè illuſi uitam filiæ.

Immo enim quã maxime abs te poſtulo atque oro Chremes,

Vt beneficium uerbis initum dudum, nunc re comprobes.

Vides hic nullam in ſedem recipi iambum, & præter legem quam dixi primo in uerſu, ſecundum pedem fieri trocheum. Pedibus conſtant ſeptem quibus addita ſyllaba, quæ ſuperat poſtrema, octonarium complet : eam ſyllabam ſemper trocheus antecedit, unde trochaici uerſus nominantur. ἀκατάληκτα dixerunt metra quibus nihil deeſt, ut;

Vos iſthæc intro auferte abite : Soſia

καταληκτα, quibus deeſt in fine ſyllaba, ut quæ trochaica dudum ex Terẽtio retuli exempla. Ὑπερκατάληκτα, quoties una uel duę ſyllabæ ſuperſunt. Βραχυκατάληκτα quibus integer pes abeſt, ut ſi dixeris.

Dum

Dum ætas, metus, magiſter prohibebant:

Deeſt enim Iambus qui ſenariũ abſoluat. Sotadeo in carmine quinque inſunt pedes, ionici duo à maiore, & tres, ut inhendecaſyllabo trochei, cuius talia exempla Terentianus dedit.

Nunc redde mihi quod uolo te tenere ſemper
Longam in geminas ſæpe breues ſolere ſolui.

Sotadei finis, Ithyphallicum tribus trocheis facit, ut;

Romuli nepotum
Maximas Catullus
Iunge Bacche tygres:

Nunc mihi operæ pretiũ uidetur his quæ dicta ſunt ea quoque metrorum genera adiungere quorum pulcherrima exempla Horatius reliquit. Eiuſmodi enim ſunt ut qui uel ſuperiore ætate, uel ſemper anteá fuerunt, uel qui noſtra memoria uiuunt homines doctiſsimi, nihil habeant, quod in ſuis ſcriptis imitari ſe exiſtiment poſſe excellentius. Itaque primum genus habet uerſus omnes Aſclepiadeos. Hi primo pede conſtant ſpondeo, ſecundo dactylo, poſt hunc longa ſyllaba, ut pentameter elegiacus, tũ duobus dactylis, & ſyllaba adhuc altera, quæ ſi longa eueniat erit cum ſuperiore pro ſpõdeo, ſin breuis pro trocheo. Erunt igitur hac quidem ratione pedes quinque. Poterunt enim eſſe quatuor, ſi poſt primum ſpondeum duos choriãbos fecerimus & iambum uel pyrrhichium, ut;

Mecœnas atauis edite Regibus:

Choriambum uerò diximus è quatuor fieri ſyllabis, quarum extremæ ſint productæ, mediæ breues, ut præſidiis. Huic, Atilius, Bacchij nomen ſcribit fuiſſe datum à muſicis.

Secundum ſapphico eſt uerſu, qui ex eo nomẽ inuenit quod eo puella Sapphò plurimum ſit uſa. Primum pedem trocheum habet, ſecundum ſpondeum, tertium dactylum, & duos trocheos. Porrò ſunt quæ μονόκωλα grammatici dixerunt, ideſt quæ ſuperior ode uno carminis genere decurrunt. Sunt que δίκωλα ut;

Sic te diua potens Cypri
Sic fratres Helenæ lucida ſydera.

Hinc ad primam rationẽ uerſus quia redeundum ſemper eſt δίκωλα δίστροφα dicũtur: quoties uerò ut in hac ipſa ode fit à quarto ad primũ, δίκωλα τετράστροφα Quartus quiſq uerſus dimeter eſt Adonius ex dactylo ac trócheo, ut;

Iam ſatis terris, niuis atque diræ
Grandinis, miſit pater, & rubente

Terruit urbem.

Data etiam uenia eſt poetis, ut interdum ſecundo loco uellent eſſe trocheum, ut, Catullus;

Seu Sacas, ſagittiferoſque Parthos

Pauca nunciate meæ puellæ.

Otium Catulle tibi moleſtum eſt.

Tertium δίκωλον δίστροφον, primo uerſu. Gliconico, tribus conſtante pedibus, ſpondeo, duobuſque dactylis, uel ſpondeo choriambo, & pyrrhichio poſtremo: altero Aſclepiadeo uerſu, ſicut;

Mecęnas atauis edite Regibus;

ut;

Sic te diua potens Cypri

Sic fratres Helenæ lucida ſydera:

Quartum δίκωλον δίστροφον, binis uerſibus factum primis quibuſque bucolico generi ſimilibus, ideſt (ut ſupra dixi) ut quarta in ſede uerba ipſa cum dactylis finiantur, tribus reliquis pedibus trocheis: ſecundi uerſus, erunt eiuſmodi, ut primo pede ſint uel iambo, uel trocheo, uel ſpondeo, ſecundo, iambo, & cæſura longa, tribus ſequentibus trocheis, ut;

Soluitur acris hyems grata uice ueris & Fauoni

Trahuntque ſiccas machinæ carinas;

Quintum, quaternis uerſibus incedit, duobus Aſclepiadeis, tertio Pherecratio, ex fine heroici uerſus ſpondeo, dactylo, iterum ſpondeo, uel propter indifferentem ultimam, trocheo: tertium uerſum, habet Gliconium qui ſpondeo conſtat duobuſque dactylis, hunc in modum;

Quis multa gracilis te puer in roſa

Perfuſus liquidis urget odoribus

Grato Pyrrha ſub antro

Cui flauam religas comam:

Sextum genus totidem ideſt quaternis fit uerſibus, tribus Aſclepiadeis, quarto Gliconio ſic;

Scriberis Vario, fortis & hoſtium

Victor, Męonij carminis alite

Quam rem cumque ferox nauibus aut equis

Miles te duce geſſerit:

Septimum binis uerſibus totum ad finem uſque perducitur, primis ex Archilochio metro heroico, alteris ex fine uerſus heroici. Quatuor enim ſunt pedes, primi duo uel ſpondei uel dactyli, uel alterni

tertius

tertius dactylus, quartus uel ſpondeus, uel trocheus, ut;

Laudabunt alij claram Rhodum aut Mitylenem
Aut Epheſum bimarisue Corinthi.

Octauum, bimembre quidem (ut ſic dicam) eſt quomodo ſuperius, ſed nihil habent inter ſe aliud ſimile. Nanq; hic, primus uerſiculus eſt ex dactylo & duobus trocheis, uel choriambo, & Bacchio: deinde alius ex epitrito, ſecundo, duobus chori ambis, & Bacchio, uel Amphibracho, ut;

Lydia dic per omnes
Te deos oro Sybarim cur properes amando.

Nonum Alcaico metro conſtat. Quaternis id uerſibus abſoluitur. Primi duo ſpondeum habent & Iambum, uel duos Iambos & longam ut uocant cæſuram, quam dactyli duo ſequuntur: tertius, ſpondeum & iambum, & iterum duos eoſdem repetitos pedes, & alteram ſeu longam ſeu breuem cæſuram: quartus, duos dactylos & totidem trocheos, ſic;

Vides ut alta ſtet niue candidum
Soracte: iam nec ſuſtineant onus
Syluæ laborantes, geluq;
Flumina conſtiterint acuto:

Decimum, unius tantum eſt formæ. Pedes habet primos ſpondeos, deinde tres choriambos & Pyrrhichium, uel Iambum, ita;

Tu ne quæſieris ſcire nefas quem mihi quem tibi.

De hoc ita admonuit Atilius, ad carmen Aſclepiadeum, altero adhuc, loco tertij pedis, addito choriambo, hunc uerſum fieri. Tolle enim hinc duo uerba, SCIRE NEFAS, in quibus choriambus eſt is quem dixi, & uerſus manebit Aſclepiadeus.

Vndecimum, binis uerſibus currit. Habet enim dimetrum trochaicum, in ſecundis uerò trimetrum Iambicum. Abeſt utriq; tamen ſyllaba à fine, quod genus καταληκτικὸν appellari diximus hoc pacto;

Non ebur neq; aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Duodecimum, uno tantum uerſus genere incedit, ſed primi quiq; duo uerſus ternis tribus Ionicis à minore conſtant, tertij quaternis, ſic;

Miſerarum eſt, neq; amori dare ludum,
Neq; dulci mala uino lauere aut ex-

Animari

Animari metuentis patrue uerbere linguæ.

Huius carminis au&ctor primus, Horatius fuit, ſi Atilio credimus qui præterea hunc poetam accuſat parum ſanctè, quod Alceum non rectè ſit imitatus.

Decimum tertium primos uerſus heroicos habet, alteros ex fine pentametri elegiaci, duobus uidelicet dactylis, & ſuperante longa ſyllaba, quale eſt;

Diffugere niues, redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comæ.

Decimum quartum ἐπῳδὸν, grammatici dixerunt, ſed uiſum eſt peritioribus, hanc óden quinti libri eſſe principium. Eſt autem δίκωλον δίστροφον. Priores uerſus trimetros, alteros dimetros habet iambicos. Prima, tertia & quinta in ſede poteſt habere ſpōdeos: exēplū ſit

Ibis Liburnis, inter alta nauium,
Amice propugnacula.

Decimum quintum, priores uerſus, habet eoſdem, cum ſuperiore: alteros ex duobus dactylis, & longa ſyllaba: duobus Iambis ſpōdeo, & iterum iambo, hoc exemplo;

Pecti, nihil me ſicut antea iuuat
Scribere uerſiculos, amore percuſſum graui.

Decimum ſextum, primós habet uerſus omnino heroicos: alterós ex dimetris iambicis, & fine pentametri uerſus elegiaci, cuius tale exemplum eſt;

Horrida tempeſtas cœlum contraxit, & imbres:
Niuesq; deducunt Iouem, nunc mare, nunc ſyluæ.

Decimum ſeptimum, δίκωλον δίστροφον, heroico uerſu & dimetro iambico, ut;

Mollis inertia, cur tantam diffuderit imis
Obliuionem ſenſibus.

Decimum octauum, alternis eſt uerſibus heroicis, & ſenarijs iambicis, quemadmodum ſupra, ut;

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipſa Roma uiribus ruit.

Decimumnonum, ratione iambica totum eſt, ſenisq; pedibus, ut ſecundam in ſedem & quartam, pro iambo æqualem temporibus tribrachum poſsit recipere, ut;

Iam iam efficaci do manus ſcientiæ:

& quod hinc ſupra attuli

Luxere matres Iliæ addictum feris

Alitibus,

Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem.

Hæc ſunt quorum aliqua ratio apud hunc poetam reddenda mihi ui debatur, quæ ut non contemnerem, aliorum quoq; non indoctorum hominum, Diomediſq;, & Cæſij Baſsi in primis antiquiſsimi grammatici, eiuſdemq; poetę optimi auctoritas me induxit. Quamobrem nunc redeo ut Catulli etiam quæ prodeſſe poterunt exempla, ijs qui noui ad poeticam accedunt breuiter exponam. Itaq; tria epigrammata quæ prima ſunt, & quæcunq; ſimilia his erunt quid habeant rationis, quod ad pedes attinet intelligi ſic poteſt. Verſus habent quos ipſi etiam ueteres poetæ hendecaſyllabos dixerunt. Primi ſunt pedes uel ſpondei, uel trochei, uel iambi, ſecundo loco dactyli, tribus ſequentibus trocheis, ut;

Quoi dono lepidum nouum libellum
Arida modo pumice expolitum?

Hoc genus carminis, Phalæcium ſcribit nominatũ eſſe Atilius Fortunatianus, quod Phalæcus id plurimum ſuis in ſcriptis uſurparit. Secundum genus conſtat uerſibus iambicis trimetris quorum ſupra nonnulla ſignificata ratio eſt. Exemplum ſit huiuſmodi;

Faſelus ille quem uidetis hoſpites
Ait fuiſſe nauium celerrimus:

Tertium dimenſione trochaica eſt quod nomen inuenit à trocheo quem habet in fine, cæteris quinque pedibus iambis, & locis imparibus aliquando tribrachis, uel ſpondeis, in hunc modum;

Miſer Catulle deſinas ineptire
Et quod uides perijſſe, perditum ducas:

Quartum genus Priapeium uocant. Imaginem habet quandam heroici uerſus, prima tamen & quarta in ſede ſpondeo mutato in trocheum. Ea enim ſeruatur lex, ut primi tres pedes tanquam ſeparati ſint à ſequentibus utraq; pars à trocheo incipiat, qua de ratione ſic Terentianus Priapeio utens uerſu præcipit;

Scimus: uſque adeo hoc genus lex heroica pellit
Vt ſit utraque portio cœpta ſæpe trocheis
Nam diſcrimine nullo ponit hinc uel iambum:

Tertio loco poterit eſſe pro dactylo, uel ſpondeus, uel trocheus, uel iambus, uel tribrachus. Ita enim eodem à Terentiano accepimus;

Nec mirabere ſyllabæ finem commate primo
Tanquam de pede dactylo fiat tertia longa,

Speciem

Speciem aiunt Priapeij carminis habere quoties heroico in uerſu idem eſt finis uerbi, tertijq; pedis, ut;

Cui non dictus Hylas puer, & latonia Delos.

Paulo diſsimiliora ſunt quæ ita ſcribuntur;

Fronde ſuper uiridi, ſunt nobis mitia poma:

Si enim ſententia pateretur, ut quartum uerbum antecedētibus annecti poſſet, tres pedes ita caderent, ut;

Cui non dictus Hylas puer.

Sed ipſius hic deſcribam Terentiani locum;

Verſus ergo magiſtri uocant hos Priapeios
Et Maro dat tales: ſed quia diſtinctio, uerba
Diſſociat, nectitq; aliter, nec partibus æquis
Diſtingui patitur pedes, ſonus effugit aurem
Fronde ſuper uiridi, ſunt nobis mitia poma
Caſtaneæ molles & preſsi copia lactis
Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam deſpectare uidentur
Si diſtinctio ſepararet, Nobis mitia poma
Preſsi copia lactis, terras ordine longo
Deſpectare uidentur fient ſic reſonantes
Vt uerſus ſonat alter quem diſtinctio nudat
Cui non dictus Hylas puer & latonia Delos
Siquis ſic quoq; findat prima, commatis inſtar
Ex uno choriambicho
De quo diſſerui modo
Verſus ſtare uidebitur
Cui non dictus Hylas puer
Thebis læta dies adeſt
Carmina Pierides dabunt
Vſque autem duo commata
Poſsis credere rectius
Hæc ipſa ut uideas dari
Non hoc commodo ſunt ſitu
Verſa ſed uice priſtina
Nanque his commatibus Flaccus Horatius
Metrum compoſuit, ſed choriambicos
Ex binis pedibus præpoſuit duos
Tunc hos iungit epodos
Partes ut modo duas

Ipſo

Ipſo carmine iam tibi fiet regula plana
Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urget odoribus
Grato Pyrrha ſub antro
Cui flauam religas comam
Pergant cætera poſt conſimili ſtrophe
Verſus hic igitur ſunt pariles duo
Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urget odoribus
Poſt hos quæ ueniunt commata perſpicis
Grato Pyrrha ſub antro
Cui flauam religas comam
Cui flauam religas comam, prima parte locetur
Fiat comma ſecundum, Grato Pyrrha ſub antro,
Verſum non dubium fore quem dicunt Priapeium
Cui flauam religas comam grato Pyrrha ſub antro.

Sed redeo ad Catullum. Habent hi uerſus prima etiam in ſede aliquando ſpondeum, ut;

Tantundem omnia ſentiens, quam ſi nulla ſit uſquam

Secundo in loco anapæſtum, ut;

Hunc ego uolo de tuo ponte mittere pronum

Illo autem in uerſu

Si pote ſtolidum repente excitare ueternum.

Primam ſecundi pedis produxit ſyllabam, ex ui duarum conſonantium quæ tertio in uerbo ſequuntur

Quartum genus eſt huiuſmodi;

O colonia quem cupis ponte ludere longo
En ſalire paratum habes, ſed ueteris inepta

Ad Catullum referunt illud etiam generis eiuſdem ex Priapeio carmine;

Hunc ego iuuenes locum uillulamq; paluſtrem.

Quintum ſeptenarios habet uerſus, ut ſextum ad pedem iambici ſenarij, (quæ ex Terentio ſupra oſtendimus) alia adhuc ſyllaba & trocheus in hunc modum apponatur;

Cynæde Thalle mollior cuniculi capillo
Vel anſeris medullula, uel hinnula tenella.

Sextum genus rationem ſeruat exametri uerſus primum ſpondeo, poſt hunc dactylo, iterum ſpondeo, quarta in ſede anapæſto, quinta & poſtrema dactylis.

Alphene

Alphene immemor, atque unanimis fulſe ſodalibus,
Iam te nil miſeret, dure tui dulcis amiculi?

Septimum quaternis conficitur uerſiculis quorum primi tres, primis conſtāt pedibus, uel iambis, uel trocheis, dehinc, dactyli duo ſuccedunt, quarti iambo dactylo, & ſpondeo fiunt, uel trocheo tribracho, & ſpondeo, ſic

Dianæ ſumus infide
Puellæ & pueri integri
Dianam pueri integri
Puellæque canamus
O Latonia maximi
Magna progenies Iouis
Quam mater prope Deliam
Depoſuit oliuam.

Octauum unius tantum pedis inſolentia facit, ut à primo diſtinguam. Eſt enim endecaſyllabum ut ſuperiora, ſed hoc ſolum in epigrammate permittit ſibi ut ſecundo loco ſpondeum pro dactylo ſæpius accommodet, ut;

Oramus ſi forte non moleſtum eſt,
Demonſtres ubi ſint tuæ latebræ
Te quæſiuimus in minore campo;
Te in circo, te in omnibus tabernis,
Te in templo, ſupero Ioui ſacrato,
In Magni ſimul ambulatione.
Femellas omnes amice prendi,
Quas uultu uidi tamen ſerenas
Has te ſic tantum ipſe flagitabam,
Camerium mihi peſsimæ puellæ
Quædam inquit, nitidum ſinum reducens,
En hic in roſeis latet papillis;
Non cuſtos ſi fingar ille Cretum
Non ſi Ladas pennipesue Perſeus,
Non ſi Pegaſeo ferar uolatu,
Non Rheſi niueis, citisque bigis.
Adde huc plumipedas, uolatileſque,
Ventorumque ſimul require curſum,
Quos iunctos Cameri mihi dicaris,
Defeſſus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus pereſus

Eſſem

Eſſem, te mihi amice quæritando:
Sed te quærere iam Herculis labos eſt
Tanto ten faſtu negas amice:
Dic nobis ubi ſis futurus, ede
Audacter, comiti licenter ede:
Num te lacteolæ tenent puellæ
Si linguam clauſo tenes in ore;
Fructus proijcies amoris omnes
Verboſa gaudet Venus loquela
Vel ſi uis licet obſeres palatum,
Dum ueſtri ſim ego particeps amoris.

Nonum eodem eſt uerſuum genere iſdemq; pedibus omnibus, quibus ſeptimum. Solum intereſt, quod illud quaternis, (ut iam dixi) hoc uero, quinis uerſibus decurrit, ut;

Collis ô Heliconij
Cultor Vraniæ genus
Qui rapis tenerum uirum
Virginem, ô Hymenæe Hymen
Hymen ô Hymenæe.

Decimum nominatur Galliambum quòd eo Galli in ſacris Deæ Cybeles uterentur. Hoc de metri genere ſic Terentianus admonuit.

Sonat hoc ſubinde metro Cybeleium nemus
Nomen Galliambis memoratur hinc datum
Tremulos quod eſſe Gallis habiles putant modos.

Verſus hi, primis in ſedibus anapæſtos habent uel ſpondeos, uel temporibus æquales proceleusmaticos, tum duos iambos & longam ſyllabam: quarto loco iterum anapæſtos, quinto iambos, uel tribrachos, ſexto deniq; iambos. Sæpe etiam ſecunda in ſede tribrachos in quarta proceleusmaticos uidemus:

Super alta uectus Attis celeri rate maria
Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit
Adijt opaca ſyluis redimita loca Deæ
Stimulatus ut furenti rabie, uagus animi
Deuoluit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Sed plura non perſequar. In his enim qui rectè fuerit uerſatus, per ſe ipſum cætera cognoſcet. Nam genus quodcunq; oblatum carminis, quũ ex ratione æſtimabit, facile animaduertet qui pedes quaque in ſede uel ſemper, uel ſæpius occurrant. Quamobrem in Theocriti

criti hala, aut ſecuri, ſtatim choriambicos eſſe pedes iudicabit. Nulla pedum uarietas in Pindaro eſſe tanta poterit quin deniq; adhibita huiuſmodi ratione, ac diligentia, cognoſcatur. Nec ullius erit negotij trochaicos, dimetros Anacreontis metiri, ut;

Ἐρσέῳ φέροντα τέξον
πτέρυγάς τε καὶ φαρέτρην

Aut illius καταληκτικὰ ἰαμβεῖα, ut;

θέλω λέγειν Ἀτρείδας
θέλω δὲ κάδμον ᾄδειν.

aut Sophoclis Euripidi ſimilia, ut;

Ἀεὶ μὲν ὦ παῖ Λαρτιάδη δέδορκά σε
πεῖραν τιν' ἐχθρῶν ἁρπάσαι θηρώμενον.

aut quas uel Tragici poetæ, uel Comici pedum crebras mutationes inducunt. Quoniam uerò ad componendos uerſus (quod naturæ ordine prius erat) uidemur ſatis multa & ſubtilia eſſe perſequuti, nunc mihi ſolutam quoque orationem eſſe tractandam breuiter exiſtimaui. Non enim tot labores docendæ grammaticæ & latinitatis mihi, aut alijs etiam, eo ſuſceptos eſſe arbitrabimur, ſolum, ut latinis adoleſcentibus pangendi carminis ratio non deeſſet, ſed ut cognita ſyllabarum natura, dimenſione pedum, & generibus poetarum, quaſi gradus quidam aditusq; fiat ad ea quæ ſequuntur. Hæc etſi non utilia modo, uerum etiam neceſſaria ad hunc locum eſſe intelligam, non tamen ab his qui literas nunc docent mihi conceſſum iri ſum arbitratus, niſi ea re uictis, quod olim doctiſsimi (ut ex Diomede & Valerio Probo cognitum eſt) ad præcepta grammaticæ, & latinitatis, ſolutæ etiam orationis componendæ uiam adiungere ſolerent. Quumque hoc de genere multa ſint in rhetorum ac doctorum hominum libris diſputata, ego ut potero breuiſsimè communiora præcepta, & magis uſitata, magiſq; utilia complectar. Tria ſunt igitur, quæ componenda oratione potiſsimum cuſtodienda præcipiunt, primum ut res & uerba rectè diſponas, alterum ut ſuauiter copules, tertium ut numeroſè concludas. Itaque res conſtat ordine, iunctura, numero. Ordinis eſt ut nequid inuerſè ac perturbatè dicamus, & contra quam uel naturæ uel amplificandi ratio poſtulet, quæ minima ſunt ad extremum ſeruemus. Eſto enim illud M. Tullij exemplum; Facinus eſt uincire ciuem Romanum, ſcelus uerberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Rectè hic à uinculis ad uerbera, à uerberibus ad necem, & hinc ad crucem aſcenditur, quæ ſi retrorſum impellas, ut à maximo crimine ad minimum

primum delabare, non languens modo, & fracta, ſed ridicula prorſus oratio uidebitur. Deniq; adhibere diligentiam oportet, ut quę ſunt priora ne ignoremus, & ut primum quicq; in uerbis ac ſententijs per naturam eſt, ita primo loco ponatur. Hic mihi Salluſtiani cuiuſdam exempli uenit in mentē; Hiempſal inquit, reperitur, occultans ſe in tugurio mulieris ancillæ. Verba duo poſtrema ſi ita inuertas ut mulier poſt ancillam dicatur, ordine peccatum fuerit & ridiculè peccatum. In fine autem ſententiæ uerbum collocare, ſi compoſitionis ratio patiatur, ideo putant ſæpius conuenire quod ſi acrior quidam ſit in eo ſenſus, non obſcurari media in ſententia debet, ſed relinqui in animo atq; ad nouiſsima reſeruari. Hæc tamen ſi obſeruanda ratio eſt, quicquid in oratione uehementiſsimum eſt, ſi fieri quidem poſsit poſtremo loco dandum erit, ut; In conſpectu Pop. Rom. uomere poſtridie: quāuis aliter fiat ſæpe, & poſsit interdum aliud compoſitio poſtulare, & uis, atque impetus non grauior unius uerbi, quam alterius exiſtimari. Prorſus uerò perfecta & feliciſsima oratio eſt, quæ & recto ordine & ſuaui iunctura, & aptè cadente numero decurrit. Copulatio ſequitur uerborum, cui iuncturæ nomen dederunt. Hæc magis etiam quam ordo ſuperior, præter inciſa, membra, & periodos in literis ac ſyllabis etiam ſpectatur. Clara enim & perſpicua & leniter fluens ubiq; oratio eſſe debet, ut neque uerba inter ſe neque literæ uſquam, aut ſyllabæ collidantur, & contra iucundiſsimum quo ad fieri poteſt ſonum reddant. Itaque uitia primum cauenda ſunt, quæ his uirtutibus repugnent, ut uocalium concurſus ex fine antecedentis, & principio ſequentis uerbi, quibus hiatu uaſta compoſitio efficitur, ad loquendum, audiendumq; permoleſta, ut;

Conticuere omnes

Affine huic, illud uitium eſt quoties uocalem, alterius uerbi ſecunda ex liquidis præit, ut;

Venturum excidio Libiæ.

Caret hoc uitio græcorum lingua, ubi nullum ea litera uerbū claudit. Concurſiones autem ut dixi uocalium niſi ſtudio inani quodā ac puerili adhibito, prorſus uitari neutro in ſermone poſſunt. Omnino tamen & hoc fugiendum erit quoties licebit, & eædem conſonantes, aut inter ſe ſimiles, in principio ac fine uerborum, quantum uel pudor, uel grauitas, uel rebus maioribus impedita cogitatio feret, non uitandæ quidem ut nunquam eueniant, ſed prouidendum ne ſæpius occurrant, ut; In hac cogitatione fuit: ab his ſtudijs ſuis

ſe ſeiunxit: ad hæc quærenda ſe conuertit. Quæ ſimiliter deſinunt, cadunt,uel incipiunt loco poſita laudantur,ut leuium græcorũ, aut immanium barbarorum:frequentior tamen eorum uſus reprehenditur. Hoc.n.fuit unum ex ijs quæ Iſocrates (ut Cicero tradit) iam ſenex in ſe ipſo ut nimium correxit. Sed uenio iam ad numeros. Oratio omnis aut numero conſtat aut metro. De metris metrorumque generibus,uidetur mihi ſatis eſſe dictum. Nec illud arbitror admonendum quod ſcire omnes poſſunt, & hæc & numeros dimenſione pedũ contineri. Ea re tamen differunt, quod non ut in metris, una & certa lex eſt, ordoq; numerorum, neq; in illis ita libera ſunt ſpatia,ut in his,qui tum longius duci,tum breuius contrahi,pro natura loci cuiuſq; poſſunt,nec metra,ut numeri alios pedes pro alijs ferũt. Nunc deniq; illud meminerimus,& quæ adhuc de ordine,iuncturas, numero dicta ſunt,& quæ iam ſequentur ad illa pertinere, quæ tres ſunt partes compoſitionis,inciſa mẽbra, periodos. Inciſum eſt pars membri,membrum periodi. Eſt.n.inciſum κόμμα, ſæpius nihil per ſe efficiens, ut ſi dicam; Si quantum in agro locisq; deſertis: altero hic adiecto inciſo membrum eſſe incipit,quum dicitur; Si quantum in agro locisq; deſertis audacia poteſt. Adde huc tria membra quæ ſequuntur, & periodum feceris, ut; Si quantum in agris locisq; deſertis audacia poteſt, tantum in foro atq; in iudicijs impudentia ualeret, non minus in cauſa cederet A. Cæcina Sext. Aebutij impudentiæ, quam tum in ui facienda ceſsit audaciæ. Membra ſingula binis inciſis conſtant, periodus uerò hoc in exemplo membris quatuor, alibi minore,alibi maiore numero,perinde ut magnitudo fert periodi, quæ uti iam dixi certis definitisque ſpatijs non tenentur. M.quidem Tullius quatuor ſenarijs uerſibus hanc terminauit,aut quantum una contentione ſpiritus humani pronunciari poſſet. Ipſe tamen utrunque modum exceſsit, quem ne Demoſthenes quidem, uel cæteri ita cuſtodiuere, ut ſe intra quatuor ſenarios continerent. Duo periodi genera eſſe uoluerunt, unum ſimplex, quum ſenſus unus longiore circuitu uſq; ad finem trahitur, ut; Credo ego uos iudices mirari quid ſit quod quũm tot ſummi oratores hominesque nobiliſsimi ſedeant, ego potiſsimum ſurrexerim, is qui neque ætate, neque ingenio, neque auctoritate ſim cum his qui ſedeant comparandus. Alterum eſt genus quod pluribus conſtet membris, quam ſuperius neceſſe eſt, quorum ſingula ſingulos ſenſus complectuntur, ut; Aderat ianitor carceris,carnifex prætoris, mors terrorq; ſociorum & ciuium,lictor Seſtius,& quæ ſequuntur. Sententias denique

omnes

omnes aut inciſim frangimus ubi tenuitas rerum, aut breuitas poſtulat, ut;

-Funus interim
Procedit: ſequimur: ad ſepulchrum uenimus.
In ignem poſita eſt: fletur:

aut membratim partimur, ut;

-Paruula
Hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua:
Soror eſt dicta: cupio adducere, ut reddam ſuis:

aut circumductè concludimus, ut; Remp. Quirites uitam omniũ ueſtrum, bona, fortunas, cõiuges, liberos ueſtros atq; hoc domicilium clariſsimi imperij, fortunatiſsimam pulcherrimamq; urbem, hodierno die, Deorum immortalium ſummo erga uos amore, laboribus, conſilijs, periculisq; meis ex flamma atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & uobis conſeruatam & reſtitutam uidetis. Quod ſi ipſis nominibus, rerum cognitiones adiuuantur, minima pars compoſitionis inciſum (ut dixi) & κόμμα nominatur, altera membrum & κῶλον, poſtrema ambitus, uel circuitus, uel comprehenſio, uel continuatio, uel circumſcriptio, uel magis recepto nomine periodus. Hæc omnia pedibus conſtare non dubium eſt, quibus uerò pedibus, dici uniuersè non poteſt, nec multis generibus una ratio conuenit. Varia.n.oratio eſt, ſubtilis, temperata, magnifica, uarij motus animorum, triſtes, læti, minaces, timidi, alacres, iracundi, in quibus ut orationis ipſius habitus ac norma ita numeri & pedes mutantur. Quocirca apparet etiam quanto ſit res difficilior ſoluta oratione quam uerſu ſcribere. Dicam tamen quæ mihi neniunt in mentem, quæque attenta inſpectione, uel naturæ, uel numerorum didici, uel multa lectione oratorum cognoui. Quanquam res eſt eiuſmodi quę tradi alijs poſsit facilius, quam ſeruari. Quoniam uerò quicquid loquimur, è ſyllabis eſt breuibus, aut longis, unde ſunt pedes, fieri non poteſt quin pedibus oĩs oratio conſtet, ſponte naturæ. Itaq; uerſu, etiã ſine ſtudio noſtro facti in orationẽ incurrant neceſſe eſt diuerſorũ generum, tamet ſi uerſum facere quis non didicerit. Quare nõ tã id laborandũ nobis erit quo numerus in oratione fiat, ſed quo potius (ut loci natura poſtulabit) hoc aut illo modo tẽperetur. Quoq; tota oratio, parteſq; illius oẽs, ſtudiũ requirant, maior clauſulis diligentia debetur: curam ſibi principia ſecundam uendicant media poſtremam. De his pręcipi illud generaliter poteſt, ut media quę inter principia & clauſulas intericcta ſunt, cohæreant inter ſe & aptè cõ-

ponantur, neue aſperè concurrant, neue cõtinuatione breuium ſyllabarum leuius fluant, aut longarum tardius incedere uideantur. Illud cauendum in primis ne ulla in parte orationis uerſum facias. Quare pedes etiã aliquot, & uerſus particulam, oratores uitant. Nã in principijs quidẽ uel in medijs principiũ aut aliquid apparere ex uerſu nemo tulit, ſed in clauſulis finẽ heroici præſertim inter prima & fœda compoſitionis uitia poſuere. Nec imitandum erit quod nõ Ciceroni modo uerum etiam Demoſtheni aliquando non cogitanti uerſus exciderunt, ut; in epiſtola Philippi; οὓς βοηθήσειν αὐτοῖς ἤλπιζον ἐκεῖνοι. Idem infrà Demoſthenes; ἔνδειγμα τῇ πόλει γεγενῆσθαι. Eodem loco: προύλαβε καὶ κατέσχε Φίλιππος ἐάσω. Idem infra πλεονέκτημα ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι μέγα ὑπῆρξε, Φιλίππῳ: Philippica etiam ſecunda integrum abſoluit heroicũ uerſum; τοσούτῳ τὸ τί χρὴ ποιεῖν συμβουλεῦσαι χαλεπώτερον εἶναι. Tit. Liuius principium heroici uerſus principio dedit orationis, ut; Facturusne operæ pretium ſim. Eodem Cornelius Tacitus principio eſt uſus qui integrum abſoluit heroicum, quo nec poeta quidem uidetur facere poſſe meliorem, ut; Vrbem Romam à principio Reges habuere. In clauſulis autem raro componendi legem deſerit: ut; Fœdus inter Romam Lauiniumq; urbes renouatum eſt: & paulo poſt; Is alteri populo cũ bona pace imperitaret. Huius rei Salluſtius quoque meretur laudem, niſi quod ſæpius in uerſum cadit, ut; Ne ego meliores liberos ſumpſiſſe uidear quã genuiſſe. Deinde uerò; Nã per ea tẽpora confectum annis Micipſam, parũ animo ualuiſſe. Tũ poſtea; Per dolum Hiempſal caperetur. Paulo infra; Et maxima inuidia, in gratiam & fauorem nobilitatis Iugurtha ueniret. Poſt hæc ipſa; Ne grauius in eum conſuleretur. Hinc ad paucos uerſus; Exercitum, diuitias, munimenta regni me habiturum. Sunt hæc omnia ex bello Iugurthino exempla. Sed auctorem elegantiſsimum excuſat uetus conſuetudo ſermonis. Conſtat. n. antiquitatis eum amãtiſsimum, & M. Catonis librorũ, cui numeri defuerunt ſtudioſiſsimũ fuiſſe. Iambici uerò trimetri, uel quadrati, propter ſimilitudinẽ quæ illis cum ſoluta oratione eſt, in ſcriptis dictorum hominum plures uidentur, non quod illos quærant, ſed quod interdum ſponte ſequutos ferant. Quid? Nõne ſtatim pro P. Quintio M. Tullius prima in ſentẽtia totum ſenarium fecit? Quę res inquit in ciuitate duæ plurimum poſſunt ea contra nos ambæ faciunt hoc tempore ſumma gratia & eloquentia. Sex in uerbis quæ poſtrema ſunt uerſus eſt trimeter, cui duo ſi annumeres alia quæ præcedunt, uerſu quadrato ſententiam concludes.

Credibile

Credibile eſt multo ſæpius hoc illos ferre aut neceſſario etiam ferre in media,aut oriente ſententia,ut;Erat ei pecuaria res ampla, & ruſtica,ſanè bene culta. Hic ad ſeptimum uſq; uerbum ſenarius excurrit,qui ut ne ad membri finem eſſet expreſsior tria addidit uerba quę ſequuntur,ſanè bene culta. Sed uenio iã ad pedes quorũ ſatis eſſe diſtincta à nobis & explicata ratio uidetur. Illorum igitur nullus eſt qui in oratione cadere nõ poſsit. Qui longis è ſyllabis conſtant grauiorem faciunt orationem,ac proinde ſententijs grauioribus conueniunt, qualis eſt uel ſpondeus, uel moloſſus,uel diſpondeus,ut Muſas,iratos,Oratores,qui autem breuibus, leuiorem ſtructurã reddũt è quibus eſt pyrrhichius,tribrachus,procleuſmaticus,ut Celer,Helena,facilia. Quare miſcẽdi ſunt pedes ut nec longarũ,nec breuium concurſu plurimarũ nimis uel tarda,uel ſubſultans oratio fiat, & illi potius eligẽdi qui ſunt longis,breuibuſq; temperati, ut bacchius, trocheus,amphimacrus. Vtendum quoque iudicio eſt ut quibus locis quod genus pedum, uel orationis conueniat,ne ignoremus. Principijs amphimacrum dare ſolet Cicero,ut;Quod precatus à Dijs immortalibus: & anapæſtũ,ut;Animaduerti iudices,Pæanes,ut; Quod erat optandum,&;Venio nũc,& Credo ego uos iudices mirari:ſpondeos,ut;Quæ res in ciuitate,Moloſſos, ut; Eſt hoc in more, Epitritos,ut;Siquid eſt in me ingenij iudices,Dactylos,ut;Principio huius belli. Iambi autem fieri non poteſt ut ne ſæpius incurrant, ſed natura inuectiuo generi conueniunt,ut;Frequentia ueſtrum incredibilis Quirites. Medijs uerò in ſententijs conueniunt (ſi quis per ſe obſeruet) epitriti,dactyli, ſpondei, ditrochei. In clauſulis deniq; aptiſsimi putantur, Ionicus à maiore,ut;Officio coactus ad accuſandũ traducerer. Ionicus à minore,ut; Me actorẽ cauſę totius eſſe uoluerũt. Antiſpęſtus,ut;Me incolumi nemini ſupplices eſſe oporteret. Choriambus,ut;Homines idonei atq; integri cauſam reip.legumq; ſuſciperent. Vtiles habentur pæanes. Nuſquam.n.primus ex ijs non occurrit,ut; Ne in opinione quidem cuiuſquam relinquo me omnibus patronis eſſe præpoſitum. Item ſecundus,ut;Siculis petentibus. De tertio autem dubitari poſſet. Nam ſi longa illum antecedat caueri finis heroici uerſus non poterit, ut in illo accidit exemplo; Veterem iudiciorum uim grauitatemq; requirit. Quartus pæan optime concludit,ut;Quo nomine,abs te ſeſtertium millies ex lege repeto. Herous fiet etiam,ſi poſt Ionicum à maiore, duæ longæ, aut breuis & longa ſuccedat. Ditrocheus & laudatur maxime, à M. Tullio, & in ſcriptis omnibus frequentiſsime uſurpatur, ut; Ego

potiſsimum ſurrexerim, is qui neq; ætate, neque ingenio, neque autoritate ſim cum his qui ſedeant comparandus. Epitriti quoq; omnes orationem claudunt, ut; Non ſalutis ſpem, ſed exitij ſolatium quærunt. Secundus, ut C. Panſa propinquus meus auſus eſt cõfiteri. Tertius, ut; Qui accuſare poſſunt iudiciorum ſeueritatem deſiderãt. Quartus, ut; Siculos omnes, auctorem ſuæ cauſæ contra illius iniurias quæſiſſe. Exempla ſunt hæc ferè de M. Tullij Diuinatione ſumpta. Pedes uerò ſunt omnes tetraſyllabi, ut Varro loqui ſolet, in quibus etiam diſſyllabi inſint neceſſe eſt. Vt enim antiſpaſto, ſpondeus, & pyrrhichius continentur, pæane primo trocheus & pyrrhichius, ſic cæteri omnes, binos in pedes reſoluuntur, ut ſi primum epitritum clauſulis idoneum cognoueris, dubitatio de iambo & ſpondeo ne relinquatur. Sed pergam dicere quæ ſequuntur. Probatur in fine ſpondeus quem præcurrat amphimacrus, cui cretico nomen dederunt, ut; Depellendi criminis cauſa. Hunc pedem laſciuientẽ reddit minuſque fortem antecedens tribrachus. Aegre patitur ante ſe anapæſtum, ut; Muliere non ſolum nobili, uerum etiam nota. Rarò ſpondeum ſequitur iambus, uel pyrrhichius, nunquam ſpondeus, uel trocheus dactylum, quæ foret uerſus exametri concluſio. Rectè duo ſe bacchij ſequuntur, ut; Venenum timeres. Ipſe bacchius iambum, trocheus pyrrhichium ſequitur. Sed quando uerſum aut finem uerſus cauere neceſſe eſt, illud intelligere omnes arbitror laudari quidem in fine choriambum, ſed hunc pedem ſi dactylus antecedat, elegi uerſus fine compoſitionem deformare. Bini dactyli carmen Aſclepiadeum terminabunt, ut poſt dactylos bini trochei ſapphicũ, terni hendecaſyllabum, uel ſotadeum, bini dactyli præcurrente ſpondeo Gliconium. Itaque omnium ratio carminum tenenda eſt, eorum quæ ſupra demonſtraui, prouidendumque ne uel bini pedes illorum ad cadentes, uel terni pluresue ad medias periodos uel membra incurrant. Dictum eſt ſupra ad res ipſas accommodandam eſſe compoſitionem, & iucundis iucundos, aſperis aſperos, grauibus graues, triſtibus triſtes, magnis magnos numeros conuenire. In membra uero & inciſa oratio comminuenda eſt quum altercando, aut interrogando, acriter pugnandum eſt, aut breuiter aliquid narrandum, quale eſt (ut iterem ſuperiora)

Funus interim
Procedit: ſequimur: ad ſepulchrum uenimus.
In ignem poſita eſt: fletur.

At ſi non tam docendi quam ornandi cauſa narrandum erit, ut in

Verrem de Segeſtana Diana & raptu Proſerpinę, tum periodis elegantibus ſuauiterque currentibus numeris utemur. Adhibenda eadem compoſitio eſt ad magnos motus animorum, ſolicitudines, cõmendationes, miſerationes, gratiarum actiones, ut poſt reditum ad Quirites & in Senatu ad gratulationes, ad principia illuſtrium cauſarum, quæ natura nihil tam reſpuunt quam conciſæ tenuitatẽ orationis. Similiter ac ſuperiora perorationes tractari & amplificationes debẽt, ſed oratione tamen fortiore in accuſando, leniore in laudando. Loci etiam communes ijſdem comprehenſionibus ducuntur, ubi & paria paribus, & contraria contrarijs reddere, & ſimiliter cadentia, ſeu deſinentia ponere licebit. Paria reddidit paribus, quum alibi ſæpe tum in Miloniana M. Tullius; Eſt enim hæc iudices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, uerum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſsimus: ad quam non docti, ſed facti, nõ inſtituti, ſed imbuti ſumus. Reddita primum ſunt hoc loco paria paribus, ideſt unũ uni, ut ſcripta & nata: dehinc tria, arripuimus, hauſimus, expreſsimus, quæ tribus reſpondent ſuperioribus: tum ſingula ſingulis: docti & facti, inſtituti & imbuti. Poſtremo ſimiliter cadunt tria inferiora cum ſuperioribus, didicimus, accepimus, legimus. Singula etiam relata ſingulis illa ſunt pro Sex. Roſcio; Etenim quid tam eſt commune quam ſpiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus eiectis. Opponimus aceruatim aliquando inferiora ſuperioribus, ut ſpiritui, terræ, mari, littori, uiuos, mortuos, fluctuantes eiectos. Contrapoſita Cicero ſcribit eſſe quæ ἀντίθετα nominantur, feliciſsimeq; ijs fieri ut nõ quæſiti numeri, ſed ſponte ſequuti eſſe uideantur, ut in quarto accuſationis in Verrem; Conferte hanc pacem cum illo bello; huius cohortem impuram; cũ illius exercitu inuicto: huius libidines cũ illius continentia: ab illo q cepit cõditas, ab hoc qui cõſtitutas accepit, captas dicetis Syracuſas. Præcipiũt rhetores quod eſt oratoribus conſtãtiſsime ſeruatũ, ut nè longius huiuſmodi in ſtudio concinnitatis ac ueluti orationis cantu quodam immoremur. Obeſt.n. ſi auditori faſtidiũ creet, & prodere ſe affectatione incipiat. Quare ſæpius etiã quæ natura nimium cadũt numeroſè & longius uidentur ſequutura, ea nos dedita opera frangimus, quo ſimplices in dicendo potius negligentesq; uideamur. In genere tamen demonſtratiuo poſſunt hæc oĩa eſſe crebriora, in deliberatiuo autẽ, & iudiciali, ut res ipſæ de quibus agitur, uaria cõponendi ratio eſſe debet. Quam ob rem quæ ſunt in rebus leuia concitata, ſublimia, pugnacia, grauia, & his contraria,

& aliorum quoq; generum uidendum erit. Quæ grauiter.n.ac magnificè dicenda ſunt, pedes eos deſiderant qui longioribus conſtant ſyllabis: leuia autem amplioribus ducuntur ſpatijs. Ornata & ſublimia ſplendorem quoque uerborum poſtulant, cõcitata, pugnaciaq;, & acutè dicta, & iocoſa, & argumenta, & partitiones, & ſermo communis, ut pauca in uerba conferenda ſunt, ita ſpatijs minoribus, membris, & inciſis, & paucarum & breuium ſyllabarum pedibus arctantur. Res tota omnino uaria eſt ut motus animorum ad quos aptari cõpoſitio debet. Quis.n.hanc non uidet, uel ipſis in prooemijs, aliam ſoliciti, aliam ſecuri, aliam ſupplicis, aliam cõminantis, aliam gratias agentis, aliam interrogantis, reſpondentisq; eſſe oportere? atq; ut modeſti, acres, graues, blandi, miſerabiles eſſe uolumus, ad ſingula animi momenta commutandam eſſe? Narratio tardiores, & magis temperatos habebit numeros. Lente enim egreditur ut quæ docere & in animos audientium res infigere conatur, id quod celeritate orationis & numerorum fieri non poteſt, & rectè Quintilianus præcipit eam longioribus membris, breuioribus circumductis componendam eſſe. iam ſatis multa de numeris, niſi hiſtoria dubitationẽ afferre poſsit quo genere cõpoſitionis eſſe debeat. Mihi uerò placet quæ hactenus dicta ſunt, iudicio tamen adhibito, ad hiſtoriã, ad epiſtolam, ad ſermonem, resq; cæteras omnes transferri. Quis .n.dubitet eoſdem utrobiq; numeros eſſe oportere in ijs quæ ſimilia ſunt & communia utriſq;? Nam de concionibus quæ ſunt in hiſtorijs multæ ſiquis me interroget, huic non aliud præcipere queam (breuitate excepta) niſi quæ de oratione iam dixi. Vbi uerò ſimpliciter narranda res eſt, quibus iam dixi, narrationum præceptis utemur, niſi quod hiſtoriarum narratio ſolum docendi gratia ſuſcepta eſt; oratorũ uerò etiam ſuſpiciones aliquando iaciendi totaq; ad fidem faciendam accõmodatur, & arbitror iam eſſe cognitum ad minima momẽta orationis, etiam numeros paulo aliter mutari, & optimam componendi magiſtram eſſe imitationem. In ijs autem quæ alia prorſus atq; in oratore ſunt, & in genere demonſtratiuo, placet inquit M.Tullius omnia Iſocrateo, Theopompeoq; more dicere, illa circumſcriptione ambituq;, ut tãquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat, in ſingulis perfectis abſolutisq; ſententijs. Epiſtola uerò, cuius gratia in his libris de compoſitione mihi ſcribendum fuit, propius abeſt à componenda oratione quam hiſtoria. Media.n. eſt inter ſermonem & ſubtile genus orationis, cui accedit aliquando ſi paululum aſſurgat; ſin familiarius loquatur, ſermoni propior

aut

aut ſermo iudicabitur. Ita enim ſcribenda epiſtola eſt, ut loquimur. Quare debet genus hoc familiare, epiſtolis, ad Atticum, ad Quintum fratrem, Terentij quoque & Plauti lectione adiuuari. Rarius hic utendum circumductis. Nam ſæpius membra & inciſa plebeio ſermoni ſatis erunt. Vitia præſertim fugienda quæ alii in generibus. Pura ſit epiſtola & latina, & ſimplex. Hoc ipſo ornatiſsima uideatur, ut ornatu careat quæſito. Vbi autem res erit grauior de qua ſcribere ſit neceſſe, tum ita compoſitio tractabitur ut natura, dignitaſque rerum poſtulabit. Numeros & ornamenta cætera quibus epiſtola concinnior fiat aut illuſtrior, ex oratorum compoſitione mutuabitur. Modus tamen erit quidam, ut numeri quos in oratione etiam quoad eius fieri poteſt, diſsimulare oportet, multo in epiſtola rariores eſſe tectioreſque uideantur. Omnino autem ut cæterorum quoque generum, ſic epiſtolæ etiam componendæ, maximam ſibi partem uendicat imitatio. Hæc ſi ad præcepta quæ dedimus rectiſsime adiungetur non mediocrem ſentient ſtudioſi fructum laboris mei. Illud extremum ſit, compoſitionis eſſe tria munera debere ſuauitatis, ut delectet, uarietatis, ne faſtidium pariat, uerecundiæ ne affectatio deprehendatur. Sed ponam hoc loco Demetrij Phalerei in pauca redactam de epiſtola componenda ſententiam. Scribit is auctor grauiſsimus, Artemoni placuiſſe homini multum in Ariſtotelicis epiſtolis uerſato, hoc totum genus, eodem quo dialogum ſtilo ſcribi oportere. Illa re autem hæc duo uoluit eſſe diſcreta, quod epiſtola debeat eſſe accuratior. Dialogus enim ex tempore diſputantem imitatur, hanc uerò, etiam loco muneris cuiuſdam amico eſſe uolumus. Vitare nimium cultum nos præcipit, & ſimilem generi demonſtratiuo, ornatum orationis, & quas λύσεις uocat diſſolutioneſque uerborum. Morata autem oratione vult eſſe compoſitam, id quod habet ita cum dialogis commune, & nullo tamen ex alio genere ſcribendi, imago animi noſtri quædam cognoſci debeat illuſtrius. Vt nimis elaborata, ſic & nimis longa illi non probatur. Hoc ſi rectè non ſeruatum ſit, illud ſolum ex epiſtola, Salutem, Plurimam, Dicit, retinebimus. Quo circa Thucydidis quædam, & Platonis multa uellet eſſe meliora. Nos tamen ſic interpretabimur, ut nihil eſſe nimis longum putemus, niſi unde quùm detraxeris quædam, melius eſſe factum uidebitur. Mihi enim ſæpius uenit in mentem, ſi quod Ciceronis argumentũ nobis proponatur, quod ab eo epiſtola ſcriptum eſſe ignoremus, uerboſiſsimam nos illis de rebus atque inep-

tiſsimam epiſtolam eſſe facturos. Vti autem ampla compoſitione, & circunductis includere ſententias,ita prorſus tanquam ſi oratio ſcribatur,& ridiculum eſſe,& ab amici officio alienũ putat.Atq; hic nõ oratio tantum & ſtilus,uerũ etiã ipſæ res, aliæ quam cæteris in ſcribendi generibus eſſe debent.Ariſtoteles enim,à quo is auctor putat cæteros oẽs in ea re eſſe ſuperatos, illud ſæpius in ore habebat quùm ſcriberet epiſtolã, τοῦτο δὲ, ὃ γράφω σοι, οὐ γὰρ ἐπιστολικόν & M.Tulliũ ſciũt omnes, multa uarijs modis reijcere ſolere. Nã ſi uerborum captiunculę agitentur,uel de rerum natura ſermo,uel affinehis aliquid introducatur, aliud quam epiſtolã ſcribere iudicabimur in qua amoris tantum ſignificationes ac notæ breues,& ſimpliciũ rerum,ſimplicibus uerbis facta expoſitio apparere debet.Scriptio.n. hæc uenuſtatẽ habet omnẽ,in ſuauitate,& alloquutionibus poſitã, nec ſententiarum nimis magna grauitas,nec denique ultra prouerbia quorũ ſalibus crebris condienda eſt, aliquid ei magis exquiſitũ conuenit.Ariſtoteles uerò probationibus quidem utitur interdum, ſed ijs quæ huic generi ſint accõmodatæ, ut quum probare uoluit, æque nos benemereri de paruis atque magnis ciuitatibus oportere, propterea quod magni Dij, magnas atque paruas urbes tuentur. Quoniam uerò & ciuitatibus aliquando & Regibus, rebuſque publicis ſcribendum erit,eſto ſanè tum ſcriptio pro conditione perſonarũ quibus cũ agitur paulo grauior,inſtar uoluminis tamẽ fieri epiſtola non debebit, quales à Platone ad propinquos Dionis, aut ab Ariſtotele ad Alexandrũ fuerũt. Quod aũt ad ſtilũ attinet, uenuſtè ſimul & ſubtiliter cõpoſitam eſſe epiſtolã decebit.Hæc ſunt quæ de epiſtola ſcribenda utiliter,ac lepide præcepta à Demetrio putaui. Sed quoniã ſatis iam arbitror eſſe à me præceptum tranſeo ut imitationis dicam breuiter ſiqua certa ratio eſſe poteſt. Illud quidem omnes confitentur hac, ut res cæteras ita omnẽ orationem quoque adiuuari. Ac primum quid eſt in rebus omnibus,quod nõ uel ſolo, uel adiuncto ad præceptiones exẽplo diſcamus? Non puto mihi ad ſingula eſſe ueniendũ.Quid.n.de pingendi,ſcribendi,canẽdi, ſaltandi,aut aliarũ artificijs rerũ in artibus,in uita, & in moribus loquar, ſi difficilius eſt inuenire ubi locus non ſit imitationi? In oratione autem, niſi hæc acceſſerit, fruſtra ea didiceris omnia quæ rhetores præceperunt.Eſt ergo imitandum omnino,ſed imitãdi ea prima cura eſt ut ſimiles ſimus ijs quos imitamur: altera,ut ſtudeamus aliquã do ijſdem eſſe meliores; tertia ut optimis ex auctoribus tantum optima ſequamur. Non enim caſu factum eſt, ut M. Tullius præſtaret

omnibus

omnibus qui ante ſe fuerunt,ſed quia operā dedit,ut Gracchos,Catonē,& qui tum primi erant arte,ingenio,& omni orationis facultate ſuperaret.Sic Virgilius Enniū,ſic Terentius Plautū, ſic alij alios uicerunt,quibus auctoribus utebantur.Efficiet hoc ſtudiū,ut uel ſuperiores aliquando ſimus, uel pares, uel ſi id non contingat, minus longo ſaltem interuallo relicti eſſe uideamur. Denique ſummo labore ad ſumma omnia contendendum eſt; nec mediocrē nobis gradū proponemus quo aſcendēdum ſit, ac ne certus quidē eius rei terminus eſſe debet conſtitutus, ſed altiſsimus quicunque ille ſit, quē non uidemus. Mediocria eſſe ſpectanda præciperē,ſi tantū ſemper, uel nō multo minus aſſequeremur in his,quā eſt illud quod ſpectamus.Tertium erat propoſitum, ut ratio eſſet quædā ac delectus uel auctorum,uel rerum quas imitari uelimus.Neque.n. auctores ætatum omniū (quod ad latinitatem pertinet) omnes perfecti fuerunt neque in prętantiſsimis,nō uitari aliqua oportebit.Qui aūt ſe in dicendo exercēt,multa ſumere ex omnibus,imitari paucos,& quæ imitati ſunt ea omnium perfectiſsimo uni fieri ſimilia debebūt. At,qui ſolam ſermonis latini formam quærunt,nec multum ſupra epiſtolā aſcendere conantur, & ſi latium nobis dederit plurimos in eo genere perfectos,& ex omnibus,loquendi figuras ac mēbra quædam orationis mutuari ſit pulcherrimū, ipſa tamen oratio & quaſi corpus quod fit ex membris,ad M.Tullij dictionē, uel ſolius,uel potiſsimū conformari uelim.Neque me ad hanc uoluntatē induxit,quod ſentiā hoc ſplēdore ſaltem latinitatis illi pares non fuiſſe inter multos Terentium,Catonem,Plautum,Varronem,Saluſtiū,Cæſarē,& qui illius Octauijque Cæſaris ætate ſcripſerunt, ſed quod huius copiā & uarietatem ſcriptorum ſciant omnes,ad hoc eſſe magis accōmodatam.Siqua uerò tradi certa ratio poteſt imitandi, illā uideo probatam à doctiſsimis ueterum,quamplurimis de illorum exēplis cognitam,à bonis ingenijs animaduerſam,ut uel ordo mutetur,uel pluribus uerbis,uel paucioribus,uel mutatis, uel cōtrario, uel ſimili mōres dicatur. Eſto.n.ex M.Tullio,principiū illud epiſtolæ ad Varronē; Ex ijs literis,quas Atticus à te miſſas mihi legit, quid ageres & ubi eſſes cognoui. Inuerſione ordinis cauendum eſt,nequid perturbatè dicamus.Permiſſum eſt hoc igitur, quoties non repugnet natura,ut; Qua ualetudine, quibuſue in locis eſſes certior ſum factus ex ijs literis quas à te Atticus accepit. Nihil obeſt imitationi,ſiquod uerbum aut ſui æ pars relinquatur. Explicare aūt hæc pluribus, nihil erit negotij quū ſingulis ēt ex uerbis ſingula uel plura argumēta

ducere

ducere ſoleamus, ut; Ex proximis tuis literis quas Atticus familiaris meus: ad ſe amantiſsimè ſcriptas, ex mandato tuo mihi legit, id quod uehementer ſcire cupiebam, ubi locorum eſſes & qua ualetudine uterere cognoui. Poterat hoc, etiam dici plenius: uerum ſolet hoc genus in uitium incidere ineptiarum, ſi pluribus uerbis, uel maiore numero ac ſono orationis quam par eſt ſententia oneretur. Contraria huic illa ratio eſt, ſi multa in pauciora contrahimus, ut; Ex tuis ad Atticum literis de te cognoui. Nec una eſt uia, qua ex multis pauca, ex paucis multa facere poſsimus. Inter alias numerantur, quum uel totum, uel genus in partes formaſq; diuidimus, uel quum pro his contra, ipſum genus uel totum ponimus. Illa quoque eſt ratio Ariſtotelis, ut breuiter quum dicere uolumus nomen pro definitione, quum uerò placet idem uberius explicare, unius loco nominis tota nobis & plenior definitio repetenda ſit. Alijs uerbis idem uariabimus hoc pacto; Ex epiſtola quã Atticus à te accepit ad quæ loca ueneris, ac de tuo ſtatu ſum admonitus. Mille modis eandem ſententiam licebit immutare qua ex re, imitatori, ex optimis auctoribus optimæ ſententiæ ſuppeditare poterunt: quod apud animum cuiuſque multo maioris debebit eſſe momenti quam de uerbis laborare. Eſto enim in uerbis, & concinnitate orationis plurimum ponatur, ſæpius tamen fit ut quum adſint hæc duo inepta ſint & ridicula quæ ſcribuntur. Itaque prior cura ac diligentia, ſententiarum, ſecunda ſit uerborũ, tertia componendæ orationis. In prima quis non uidet quantum ueteres & M. Tullius præcipuè ac Virgilius laborauerint? Hoc maximè Cicero à Demoſthene, Platone, ac cæteris, hoc propè ſolum Virgilius ab Homero, ſuiſque auctoribus ſibi imitandum putauit. Quare non ſumptis de medio, ac de triuio ſententijs agendum, ſed urbanis, acutis, & plurimum in ſcriptis ueterum conſuetis aſſueſcendũ erit. Vertere in contrarium ſententias quum opus eſt, quiuis facile poterit, ut; Nec literas à te, mihi, Atticus legit ullas, nec ego de te ac rebus tuis, quibuſue in locis eſſes à quoquam ſcire potui. Similia denique ſunt, quoties, non eadem ſed paria de propoſito nobis exemplo, ad rem accommodamus, quale eſt: Ex ijs quæ mihi tuo nomine Dolabellæ pueri nunciauerunt, mei de aduentu fratris, & communium ſtatu rerum, omnia cognoui. In hac exercitatione, memoria opus eſt illuſtrium, ex M. Tullio cæteriſque magnis auctoribus locorum, quæ pueri loquendo uel ſcribendo recordentur, & aliquo ex his quibus dixi modis in ſuam orationẽ,

ſuumque

ſuumque ius aptiſsimè conuertant. Fiet enim ut (quemadmodũ omni in ſermonis genere diſcendo accidit) quæ dicimus non furto ac per iniuriam ab alijs ſurrepta, ſed noſtra & nobiſcum eſſe nata uideantur. Quunque ſex ea ſint quæ imitando ſpectari oporteat, inuerſio, additio, detractio, immutatio, contrarium, ſimile, poſſunt eadem nos grauioribus etiam in rebus adiuuare. Siue enim carmen, ſiue hiſtoria ſcribatur, ſiue oratio, ſeu quicquid literis mandari ſolet, locos etiam integros & argumenta librorum, quibimus imitari. Ac ne fieri quidē poteſt quin ſæpiſsime tractemus quæ ante nos alij ſcripſerunt. An ſummi uiri ſuumæque uirtutis imaginem ſibi Virgilius non deſcribendam putauiſſet quia, idem, Homerus antea feciſſet? Non agrorum cultus, non item alia, propter Heſiodũ ac Theocritum attigiſſet? Idem cæteris de rebus deque philoſophia, & omni ſcriptorum genere dici poteſt, ſed nobis manendum eſt intra fines & exempla Oratorum ac poetarum. Plautus igitur & Terentius græcorum fabulas in latinum ſic uertebant, ut ſibi hanc ipſam rationem quæ demonſtrata eſt, ſequendam putarent. Immo etiam non aliter latini ipſi latinos, & græci græcos imitati ſunt, & nos ipſi tractantes noſtra his modis unum atque idem argumentũ in res plures uariabimus, ut Menander apud Terentium ex Andria Perinthiam fecit quæ duæ fabulæ inter ſe oratione tantum ac ſtylo differrent. Noſtri autem græcos imitati, ſine controuerſia, id præſtiterunt quod M. Tullius ueriſsimè ſcripſit, noſtros aut per ſe ipſos inueniſſe ſapientius quam græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora. Sed iam ſatis hæc ſint, ijs qui ſe primis in literis exercent. In rhetoricis uerò noſtris libris commemorauimus plura, de quibus non putaui nunc eſſe dicendi locum. Prorſus autem, ne leuiſsimis in rebus uidear laborare ita diſertus eſſe uellem, ut illum ex animis hominum uel errorem uel ignauiam potius euellerem qui nullũ in oratione ſtudium eſſe patiuntur. Poſſem iſtos rationibus refellere, poſſem quoque noſtram doctiſsimorumque hominum ſententiã non ſolum iniquis uerum etiam ſtultis hominibus probare, ſed non debeo hic eſſe longior. Illud ſaltem per ſe ipſos mihi cogitent qui hæc ſtudia contemnunt, libros doctiſsimorum hominum grauiſsimis de rebus intermortuos eſſe quam plurimos quia ſolum inquinato ſermone loquerentur: alios uerò quanquam leuiſsimo, interdũ etiam turpis exempli argumento, nullis tamen incendiis unquam auferri uel rerum omnium euerſionibus potuiſſe, tantum quia propter ſermonis elegantiã ipſę Muſæ eos conſeruare in ſuis bibliothecis,

cis, rerumque diuinarum theſauris ad infinitum tempus debere uindicantur.

Hæc habui Marcelle frater quæ hoc tempore, de lingua latina præcipienda mihi tuo rogatu fuerunt. Nec ut cæteri noſtræ, aut paulo ſuperioris ætatis docti homines putaui lucubrationes huiuſmodi ad puerorum, ſed potius ad eorum qui literas docent institutionem accommodatas eſſe oportere. Nam & ſi hactenus ita plurimi ſcripſerunt, ut eorum gratia qui noui ad literas ueniunt, nullum barbariæ, aut ineptiarum genus uitarent, omnino tamen fieri non potuit, ut præceptoris opera neceſſaria non eſſet, & nemo unquam eſt uiſus, qui prorſus, literarum expers, aut undecunque, aut ex illorum libris grammaticam per ſe diſcere potuerit. Præclare etiam cum literis ageretur, ſi tantum ijs neceſſaria institutio eſſet, qui literas nunquam attigerunt. Vides ergo tu conſilium meum, quod utrum ex parte aliqua ſim aſſequutus, aliorum eſto, & tuæ potiſsimum doctrinæ ac prudentiæ iudicare.

FINIS.

Q. MARII CORRADI VRITANI, EPISTOLAE, QVIBVS EI CASV ACCIDIT APVD MVLTOS, VT CONTRA FALSAS OPINIONES *INDOCTORVM HOMINVM*, LATINI SERMONIS CAVSAM TVERETVR.

PIO IIII. PONT. MAX.

MAGNA ſum lętitia affectus ex auctoritate conſilij uoluntatiſque tuę epiſtolas de rebus apud Indos, in latinum transferendi. Etenim hinc acceſsio aliqua facta eſt Romanæ linguæ,& maximam in ſpem uenio, fore ut maiora poſthac latinis literis illuſtrari uelis & cæteri pulcherrimum hoc tuum exemplum ſequãtur. Nam ſermonis latini ſtudium,quod temere quidam hodie, & inductione tantũ animi,ac libidine,ſuperuacaneũ eſſe cauillantur,ego ratione ſumma iudico apud omnes eſſe ſanctiſsimum debere, & à rebus publicis & ijs qui in regna, aut in populos habent imperium, & à cũctis mortalibus ad maxima,minima,omnia adhiberi. Vt ne dicã .n.hoc tantum ſermone factũ eſſe,ut barbariem à Græcis illam,uniuerſis gentibus obiectã exeruerimus, & Græcos ipſos, amplitudine linguæ,ſuauitate ſermonis,copia ſcriptorum,& eloquentia prouocemus,illud profectò uerè poſſum dicere, illud ſoleo apud oẽs homines prædicare illud apud te,quod nihil eſt maius in terris audeo profiteri, hũc latini ſermonis uſũ hodie ſeruari auguſtius quã olim ſtante republica & Romanorũ imperio oportere. Si quidẽ nũc & religionis cõicatio, & iuris Pontificij,& ſacrorum omnium, infinitis partibus grauior apud nos eſſe debet, quã illis tẽporibus, maieſtas illa Pop. Romani uoluntaſq; maiorum, ut cum externis gentibus latinè tantum loqueretur,ſuamq; linguam ualde profectò ad leges

arteſq;

arteſque cæteras commodam, ſed commoda ſi non eſſet nominis, ta men Romani cauſa, illam à cunctis mortalibus teneri uellent. Quamobrem ſi recte uolumus exiſtimare, hanc linguam olim ad gloriam & exiſtimationem imperij, hominibus traditam, à nobis ad religionem uel ampliandam, uel retinendam, in omne tempus, parteſque omnes orbis terrarum putabimus eſſe propagandam, & in prouincias tum ab Romanis ciuibus, ui & metu, nunc ab ipſo Deo ac diuinis auctoribus cum denunciatione ocij paciſque ſempi ternæ ſolitam afferri. Errant enim profectò qui religionem, qui iura, qui diſciplinas, putant non uniuerſis cum gentibus communicandas eſſe, uel inter diuerſarum homines regionum, atque terrarum; poſſe conſiſtere exiſtimant, niſi una lingua traditas, quæ omnium communis habeatur multoque inſaniunt magis, qui uam aut aliam de nouis Europæ linguis tanto huic muneri uel ad minimam illius partem ſatis eſſe arbitrantur. Eſt namque latinitas ſto tempore ab alijs neglecta, ab alijs fanaticis hominibus exagitata, ijs præſertim qui aiunt, mirabilem ſe iam nunc uoluptatem capere, quod certiſsima ſpe ſibi eſſe uidentur fore ut poſterum in tem pus Italia, nouæ linguæ ſcriptoribus referta, nihil erit amplius cur in Latina & Græca lingua ſibi putet eſſe laborandum. Sed imprudentia ſeu peruerſitas hæc obeſt latinitati, ſolum apud ſtultos, ac fæcem Italiæ, qui molles effeminatique homines, ad latinæ linguæ cauſam & hac robuſtiorem antiquitatis rationem ſi adiuncti eſſent, magnam latinitati iniuſtam eſſe maculam ac dedecus putare. Quare mihi ſatis eſſe debet, in ſermonem latinum conſenſio totius Eu ropæ, ſatis iudicium clariſsimorum uirorum omnium temporum, ſatis quod res humanæ ac diuinæ omnes luce ſolis carere, magis quam latinitate poſſunt, ſatis denique tua non Pontificis modo omnium maximi, uerum doctiſsimi quoque ac ſapientiſsimi uiri auctoritas, quam ego omnium hominum iudicijs, rebuſque omnibus antepono. Itaque te nunc latinæ literæ expectant, omnes docti homines precantur, religio me hercule ipſa ingenuęque artes uniuerſæ rogant, ſuam ut linguam tibi, maioribus quibuſdam adhuc exemplis ornandam putes, eam, quam toto etiam genere humano repugnante, neceſſe eſt cum Chriſti legibus eſſe ſempiternam. Suſcipe igitur, aut ſuſceptam potius tene cauſam latinitatis, id eſt rerum omnium quæ literis continentur, & quod Pontifices Maximi qui hoc nomine digni erunt omnes imitabuntur, ipſe tuum exemplum tibi rectiſsime ſequendum exiſtima. Cogitare.n.

te cu-

pio nunc maiora, quæ lumine hoc Romanæ linguæ illuſtrentur, ut quemadmodum Romæ quondam xij. tab. per decemuiros conſcriptæ, Afri, Magonis libri ex S.C. Latinè & Ptolomei Philadelphi, per ſeptuaginta interpretes religio antiqua Iudeorum Græcè conuerſa eſt, ſic tu pergas etiam auctoritate ut cœpiſti tua, multorum hominum eloquentia, atque ingenijs, uel humana quædam, uel diuina cumulare. Neque uerò nos aliquid huiuſmodi à ſtudijs retardare debet, quod nihil tale maiores noſtri fecerunt, quorum profectò ſanctiſsimorum hominũ hoc loco tantis in laboribus docendæ paulo ante natæ religionis, tanta uarietate rerum, turbulentiſque temporibus, auctoritas nulla extare potuit. Quid enim aut Cletus, aut Linus, aut Xixtus, aut cæteri longo etiam interuallo ſequuti, efficere potuiſſent, quorum non modo nullum erat imperium, nulla res, nulla poteſtas, ſed ne ſtatus quidem, aut uita, niſi quæ inter hoſtes, tela, flammas, exilia, quotidianas cædes, crudeliſsimumque interitum uerſabatur? Deinde uerò quùm religio iam recepta, & ſuperiorum ſanguine Pontificum ſtabilita eſſet, externa, Getarum bella, aliarumque gentium Barbararum, latinitatis nomen, ex hominum memoria penè deleuerunt. Ac denique tamen tanta maieſtate huius imperij, multis ante annis ampliſsimè conſtituta, ſplẽdor etiam Romanæ linguæ auorum memoria per inuolucra quædam cognoſci cæptus, noſtra ætate à doctis hominibus ita omninò explicatus eſt, ut iam tibi, ad omnia maxima quæ uolueris, & quæ uota facio ut uelis, neque Tulij, neque Varrones neque prorſus ueterum perfectiſsima ſcribendi ratio deeſſe uideatur. Quid enim? utrum Fumano, Lollio, Manutio, Bruto, Sigonio, Abſtenio, Galeſinio, Ferrario, Pogiano, uel cæteris de quibus à Gulielmo Sirlæto, iuſſu tuo ſum admonitus, uel quam plurimis Italiæ & Europæ doctiſsimis uiris eloquentiam deeſſe perfectam dicimus, an res Chriſtianorum, cultu hoc orationis, dignas non eſſe arbitramur. Sed quoniam tu ipſe ita perſuaſum te eſſe oſtendis neque his hominibus deeſſe eloquentiam, neque fore unquam ut religio latinitate carere poſsit, aut latinitas eloquentiſsimis uiris, neque plus ad intelligendum barbariæ tenebras adiuuare, quam latinæ linguæ ſplendorem, age oro te, eiuſmodi hominibus plurima in latinum uertendi ſis auctor, & munus grauiſsimum perge exiſtimare, omnium quidem eſſe principum, & rerum publicarum, ſed Romani Principis, Pontificiſque Maximi præcipue, & minorum ubicunq; Pontificum, Romanæ linguæ ſtudium tueri. Nunc latina fieri il-

lorum acta uoluiſti hominum,qui ſunt ex Europa ad Indos, & regionis orbis terrarum uſque ad memoriam noſtram incognitas,ad religionem docendam & barbaras immaneſque gentes ad humanũ uitæ cultum adducendas,paulo ante uiginti annos profecti ut quos ij labores pro Chriſti nomine adhuc ſuſceptos habẽt non modo intra Italiæ,aut Hiſpaniæ fines legerentur,ſed ubicunque ad illorum exempla ſeſe pro religione deuouendi, quam plurimos accendere interſit.Hanc te partẽ uehementer urgere & illi ipſi & omniũ gentium Chriſtiani homines precantur,ad cauſam ampliandæ religionis ut incũbas & inſtar Chriſti,ad ultimas terras & inauditas uſq; ad memoriam noſtram Oceani inſulas nouumque orbem terræ,animũ inducas tuum, alios quoſdam Paulos, alios Thomas, alios Philippos,uel Barptolomeos mittere.Quid enim ſedemus,aut ſibi tantum ſacerdotes uel religioſi homines,ex omnium ordinum collegijs uiuunt,quũm diſſeminari ſuam legem Chriſtus apud mortales omnes iubeat,eique parendum ſit quanquam religionis iacturam aliquando nullã feciſſemus? An præmia quoque nobis ab illo,ob religionẽ recte atque ordine apud Byzantium,Antiochiam,Alexandriã, Carthaginem,& uniuerſa in Thracia,Helleſponto,Syria, Aegypto, & Africa geſtam deberi putamus? Mihi enim de tot ſanctiſsimorum hominum literis ac nuncijs, extrema ex India allatis,cogitanti uenit in mentẽ,nos hic & in Oceani Atlantici ultimis terris, æquè magnas uel ut ipſi ueriſsimè prædicant etiam ampliores Chriſto & regioni ſedes poſſe collocare.Qua propter,mitte auxilia,affer opem, ijs qui tam piè ad religionem accenſi, & ampla in meſſe, operarum paucitate laborantes,extimis à terminis Auroræ,uel Occidentis,ad te potiſsimùm accurrunt, & ſupplices tuam potiſsimùm fidem implorant. Vni tibi enim Chriſtus mandauit latiſsimè patens,& ſummum imperium orbis terrarum, ita prorſus ut apud inferos etiam & in Cœlo partem uoluerit eſſe poteſtatis. Hoc te imperium alijs ex tuis rebus geſtis quam plurimis, & ſtudio in eos quorum acta apud Indos à doctiſsimis hominibus Italiæ in latinum conuerti iuſſiſti,ita gerere cognouimus ut maieſtatem illius, & religionem, & Romanæ linguæ uſum, quæ à religione diuelli non poteſt, cupias non terrarum ſed cœli regionibus quæ tibi ſunt attributæ diuinitus contineri. Vale.

IOAN-

IOANNI ANGELO CROTTAE, PERVSIAM.

QVOD profectus nõ es, gaudeo: meis. n. de rebus pridie factus erã certior, eodẽ die Mãtua literæ ad Bartolemæũ Stellã, quales prædicebã fore quare illa quidẽ cura ſum liberatus. Nũc habebã multa, q̃ ad te ſcribẽda erãt. Cęteris ergo in literis fuit mihi per neceſſaria pueri manus hoc ſcis, me quoq; ſæpius tibi ſolere ignoſcere. Hęc uerò Epiſt. lucubranda mihi uni tota fuit, & hercule ſõnũ ea nocte nõ uiderã. Accipe ergo ad ea, quæ petis, quæque ego de Alexandri amici tui non recta ſentẽtia, ſuperioribus literis reſpondere uelle me dicebam. Doleo, quod ſcribis, ei ſubitum iter fuiſſe in Galliã. Quum uero dicas, reditum illius intra paucos dies eſſe neceſſarium; fac, intelligat hanc Epiſtolã ad ſe quoq; ſcriptã fuiſſe. Igitur, quantũ ego de libro illius, quẽ miſiſti, intelligerẽ, quantũ ille deſcriptis aliorum oĩum in hanc rẽ conferre potuit; quatuor in partes hæc omnis diſputatio diſtributa eſt. Aiunt. n. primo, ſua potius, quam Latina lingua ſcribendum eſſe, quia nobis hæc externa ſit, neque amplius vulgari in conſuetudine teneatur. Deinde in Italia duas hodie eſſe linguas, & ſuam in Latinæ locum ſucceſsiſſe; Et Latinam ea conditione eſſe apud nos, qua Græcam olim tenebamus; atque, ut à Latina Græcam, ita noſtram ab illa ſua eiectam fuiſſe. Præterea ſuæ linguæ copiam eſſe maiorem, quam latinæ & Græcæ: & ſiqua nobis copia ſit, illam iam minime noſtram, ſed alienam uideri. Denique noſtra lingua diſcenda, moram, & inexpiabile damnum maioribus ſtudijs inferri, idque malum à nobis nutriri; & ex duabus linguis, tollendam eſſe noſtram, nec debere nos duas linguas inſtituere, & exemplo ſe maiorum facere, ut ſuam linguam potius illuſtrent, quam externam; & res omnes, & artes, & quicquid eſt in uita, ſermone eo, quo loquimur, ſcribi oportere quod ſi fiat, neque Theophraſtos, neque Ariſtoteles, neque Platones in ſua lingua eſſe defuturos. Multa præterea ſolent enumerare, quæ tamen ad quadripartitã hanc diuiſionem referri poſſunt, & ego efficiã, ut ex ijs, quæ dicunt, nihil prætermiſsũ eſſe uideatur. Ac ſcio te, Crotta, illud memoria tenere, qđ ſuperioribus literis dicebã, nõ utra potius lingua ſcribẽdũ ſit, me uelle oſtẽdere, qđ nõ exiſtimo ſani hoĩs eſſe dubitare: ſed, q̃ ſint inania, atq; nulla, q̃ iſti maxima, ſuæ diſputatiõis & ineptiarũ firmamẽta crediderũt: ut cognita hinc hoĩm prudẽtia, reliqs

ueterē,quòd illi alteram,atq; nouam linguam ſubſtitutā dicant,nec de ſermone græco tale aliquid unquam in Latio factum ſit, immo ēt multis poſt ſeculis,quàm latinè loqui homines cœpiſſent, græcā linguam & græca ſtudia in hanc urbē inducta ſunt;omnino contrà, quā ab iſtis dicitur neceſſe eſt nō ueterē habitā eſſe illis tēporibus eā linguā,ſed iſta quidē rōne nouā potius confiteri,ēt ſi à latinis ho minibus græcæ literæ ante urbē cōditam receptæ fuiſſent.Intelligi, opinor mi Crotta,me nō latinā linguā defendere,quę ſe perſe ipſam tuetur.Sed proferre nūc & patefacere,quā rudes homines,nō argumentādi ſolū,cuius rei nullā artē norunt,ſed rerū inueſtigādarū,& ueritatis indagandæ,illi ſint,à quibus latinitas oppugnatur.Nā,ſi latinæ linguæ nihil prodeſt, quòd græca Romanis ciuibus noua, aut certe non uetus fuerit : ne illud quidem noceret, ſi uetus fuiſſet. Volunt ſibi contra nos licere dicere, in eo eſſe ſtatu hodie apud nos latinam linguam, quo græca olim optimis illis temporibus fuit:nobis mendacium negare, & nos ipſos etiam tanta iniuria laceſsitos,defendere nō licebit? Ego uero iterū,& ſæpius nego,id eſſe cōtra nos:nego eſſe uerū.Interrogo.n. tā recepta aliquādo à Romanis Græca fuit,uel tā relicta hodie Latina eſt, ut ea cōditione ſit noſtra hæc latina apud nos,qua trāſmarina illa,Romæ,hoc eſt apud externos fuit ? Quis tā rudis eſt, ut neſciat,aut tā pertinax, ut non fateatur, Græcæ nullo unquā tēpore tantum apud nos fuiſſe uſum,quātus nunc eſt Romanæ linguæ?Quid.n.aliud maiores Græcè ſcriptum habuerūt,quā Græcorum libros? Quid ipſi Græcè ſcripſerunt? an iura?an hiſtorias,& monumēta tēporū? an cærimonias? Profectò nihil horum,ſed latinè omnia,ius Pōtificium,annales,ſaliorū carmina,ritus,libros,augurales,rationes,&quicquid ad leges ad mores,ad diſciplinas, & ad bene uiuēdum pertinere credebatur. Similiter & nunc fit : & omnia,quæ huiuſmodi ſunt & quæ à ueteribus ipſis accepimus,& quæ ad religionē,& quæ ad ſacra quæ ad omnē uitā ſpectant,aliter quàm Latinè ſcribere,nec ſolemus,nec poſſumus.Quò fit,ut noſtræ linguæ cōditio una,atq; eadem ſemper,& à cōditione linguæ græcę ſeparata omnino uideri debeat. Ita.n.inter has duas fortunæ cuiuſdā ſimilitudo foret,ſi quæ dicta ſunt,ueteres illi Græcè ſcripta habuiſſent: aut certè nos hoc tēpore aliter, quàm Latinè. Suā quoq; linguā in eo eſſe honore iudicātes, quo Romana quondā fuit: ridiculi ſunt ſimilitudinū ſpectatores,qui tā diuerſa,ac tā diſsimilia non diſcernant.Niſi fortè in ſua lingua ſatis multa,pręclara,egregieq; ſcripta habere ſe arbitrātur,unde eam,Latinæ illo-

rũ tẽporum ſimilẽ eſſe cõcẽdunt. Scilicet multi illorũ excellẽtiſsimi in oĩ ſcĩa uiri, ſe oẽs diſciplinas ea lingua illuſtraturos nobis minitãtur; & quę hactenus illi ſcripſere, nõ modo intra Italiã, ſed toto etiã orbe terrarũ leguntur, & mortales oẽs ex cuncta ſaltẽ Europa, nihil tã expectãt, q̃ ut iſta lingua diſciplinæ reliquæ ſcribãtur. Iã uerò, ꝙ latinã linguã fuiſſe dicũt nouã, atq; illis tẽporibus loquutos eſſe homines latinè, eumq; ſermonẽ habitũ patriũ, ut lingua noſtri ſeculi propria nũc eſt Italiæ totius, oĩum hominũ, & ruſticorũ & muliercularũ, ꝙ duas prædicãt nobis eſſe linguas: dico hæc ab illis imperitè iactata, dico eſſe parũ diſtincta, obſcura, & inuoluta, dico eſſe partim falſa, partim inutilia ad efficiẽdũ quod uolũt. Vtrũ.n. hoc dicũt in oĩbus prouincijs Po. Ro. latinè oẽs hoĩes loquutos eſſe: an potius latinè diſcere, ut hodie fit, illos cõſueuiſſe? Diſtinguere hæc neceſſe erat: quod ſi feciſſent, multa ẽt cõtra ſe pro nobis inueniſſent. Vtrũ uerò oĩbus in angulis, ac uicis Italiæ, plebs quoq; infima, latinè loquebatur: an Romæ, atq; in Latio tm̃ hoc dicãt eſſe factũ, ut pueri atq; infantes, primã ſtatim, ſemper, & ſolã ſermonis latini uocem à ruſticis parẽtibus audirẽt? Si uniuerſam Italiã dicũt, ab illis hoc aptiùs audire uoluiſſem, & hic fortaſſe mihi aliquid ſermonis eſſet. Sin mõ Romã, atq; Latiũ, faciunt iniquiſsimè, ut toto ex orbe terrarum hãc linguã dicant eſſe tollendã, ꝙ una ciuitas, aut una regio Italiæ, eaq; minima, latinè loqui deſierit. Sed recordaris tu Crotta, qualis inter me, & Paulũ Iouiũ, te præſente, ſermo hac de re tota, ante obitũ Badiæ Cardinalis, fuerit, tũ uidiſti, q̃ hæc facilè, ac ſua ſpõte corruãt oĩa. Quare nũc illud uideamus, quale ſit, quod latinã linguã dicũt eſſe externã. Vñ.n. allata eſt? in quibus alijs terrarũ oris nata eſt? per quos, aut quõ in Italiã nobis importata? Dices me illis in uerbo facere cõtrouerſiam, nec id eos uelle dicere, quod latinè externũ appellatur. Ita ne uerbũ nullũ in latina lingua eſt, cui ſubiecta ſit eã uis, quã ipſi intelligũt? Dicamus externã, dicamus peregrinam, dicamus aduentitiã, dicamus hoſpitã, exulẽ, quid horum eſſe hãc linguã putãt acuti, ac diſerti hoĩes? Leuiſsima quidẽ hæc ſunt, Crotta: ſed libet mihi, patefacta imperitia illorũ, qui iſtã in nos pugnã concitarũt, oſtẽdere tãtis de rebus, iudicio indoctorũ hominũ, qui neq; rerũ intelligentiã, neq; dicendi, aut loquẽdi facultatẽ ullã tenẽt, credi nõ dẽre. Ac trãſeo iam, ut de illo dicã, ꝙ aiunt, ſuã linguã ſuffectam Romanæ, quẽadmodũ Romana in Gręcę locũ dicũt eſſe ſubſtitutã. Quõ.n. eã linguã noſtræ ſucceſsiſſe arbitrantur? Qua rõne ſuccedere quid in locũ alterius põt, illo permanente adhuc cui ſucceſsũ eſt?

No-

Nouã ſucceſsionis formã,nomnq; occupãdi genus introducũt,dẽq;
numero eorũ,quę fieri nõ pñt.Siue.n.ſuccedere,ſiue occupare,ſiue
ſubmittere,ſiue ſubſtituere,ſiue aliud eſt uerbũ, qđ illi malint dice
re,à cognitione tã rerũ,q̃ uerborũ lõgiſsimè abſunt.Nã nõ ſimplici
ter dñt illã huic eſſe ſubſtitutã;ſed illo ipſo mõ ſubſtitutã, quo Lati
nã in Græcæ locũ repoſitã arbitrãtur.Ego uerò nõ uideo, quẽ Ro-
mana Græcæ,aut recẽs hęc Romanę locũ occupauerit.Si.n. (ut uo
lũt) hãc noſtrã,ſua illa recẽs de uulgari cõſuetudine deiecit,in qua
ipſa nũc ſit.noſtra uerò gręcã uñ,aut quo maiore gradu extruſit,ip-
ſaq; ĩ eũ recepta eſt? Magnis anguſtijs tenẽtur;hærẽt in ſalebra;nec
hñt,quò ſe uertãt.Tantũ.n.abeſt, ut ſe in aliquẽ Græcę locũ inſi-
nuarit Romana,ut hęc illã potius ex Græcia ad ſocietatẽ ineundã,
cõitatẽq; honoris in hãc urbẽ uocauerit.Suã uerò linguã in Roma-
næ locũ eſſe receptã, ideo dicũt, ꝙ latinitatẽ prorſus de ſtudiis, ac
rebus oĩbus uolũt eſſe repudiatã. Dictitare.n.illi cõſueuere id, qđ
ẽt literis mãdauerũt,quõ à latina gręcã,ſic à ſua latinã eſſe ſublatã.
O pręclarã ſniam,& dignã,quã iuuẽtus Italiæ ſequatur.Amiſſæ igi
tur ſunt latinæ literæ,earũq; locũ noua hæc lingua occupauit . Ac
miror,quãobrẽ nõ ſtatim hoc dixerũt;neq; per ſe ad efficiẽ lum,qđ
uolũt,ſatis eſſe putauerũt.Nã cur dicere illa quoq; uoluere , nobis
duas eſſe linguas.Latinã eſſe ueterẽ,deinde externã,deinde ſucceſ-
ſum illi à ſua,deinde illius cãm cõiungere cũ græca, & iã multa pu
gnãtia cõferre;ſi hoc ad poſtremũ dicere uolebãt? Ne græcã quidẽ
(ut dixi) oportuit ullo mõ nominare,cuius oĩno eſt rõ diuerſa.Ita
.n.loquũtur,ac ſi uel peregrina græca nõ fuerit,uel Romanã alibi ,
q̃ apud nos,credãt eſſe natã . Deniq, latinitatẽ (ut dixi) nõ à vulgi
conſuetudine,ut dicere prius inſtituerãt;ſed penitus à cõmercio &
finibus humanæ naturæ eiectã,atq; exterminatã uolũt.His.n.cõuul
ſis,ac fractis gradibus,eò peruenire ſtudebãt,quò deniq; præcipita
uerũt,ut nobis Romanã linguã hodie nullam eſſe dicerẽt,qñ hanc à
ſua putant eſſe deiectã.Verũ ego non linguam latinam defendere,
eamq; eſſe æternam probare mihi propoſui:ſed arrogantiſsimorũ
hoĩum ſtultitiã reprehendere.Illã uerò defendã poſt , ſi te ita uelle
cognoſcam.Redeo nũc igitur ad copiam, qua dicũt noſtrã à ſua lin
gua eſſe ſuperatam.Primùm,mi Crotta,per fidem,illud etiam,atque
etiam uide;qualis,& quã magna eius linguæ copia ſit,quæ ſua, neq;
uerba,neq; literas habeat. Statuamus,quæſo te,quibus tandẽ rebus,
cuiuſq; linguæ copiam terminandam putemus.Hercule ſi quibuſcũ
que rebus,aut uerbis abũdare,copia eſt,ut alijs rebus uincamur,co-

ac perinde quantum in lingua noſtra luminis, quantum in noua iſta tenebrarum, ac difficultatis inſit. Etenim hæc ſi negligantur, omnis uerborum intelligentia pereat, & ferè totius linguæ interitus conſequatur, uel ad ſolos amatorum cantus, & in cauponis, tabernis, ac ſutorum, tonſorumque officinis, teneatur, neceſſe eſt. Contra uerò, qui hanc rationem ſequuntur à ſapientiſsimis inſtitutam, & à doctiſsimis explicatam, facillimè diſciplinarum quoque omnium, & rerum naturalium ſcientiam conſequuntur. Optimè enim Socrates ille, qui eſt in Cratylo Platonis, quùm de uerbis, de ſyllabis de literis, & ijs etiam quæ apud Homerum ſunt rectè poſita, diſſerit; antiquiſsimos illos mortales, nomina ad rerum naturam accommodauiſſe, & ſummos ac ſapiẽtiſsimos uiros illos fuiſſe comprobat. nam rectè & propriè noua rebus nomina imponere, & ſermonem locupletando exornare, is tantùm poteſt, qui labore & ſtudio, omnem ſermonis, & rerum naturam ſit conſequutus: ita ut quum facultas hæc, & perfecta explicandi ratio, atque nominum inſtitutio, definitioni cognata eſſe uideatur; de ſententia Socratis, non barbaris, aut aboriginum temeritati, aut imperitis hominibus, aut multitudini; ſed prudentiſsimis uiris, ac dialecticis potiſsimum, ſit aſsignata. Iſti uero nouę linguę inſtituẽdę cupiditate tenẽtur, quę laus propria eſt Athenienſium, & Romanorum. Solis enim, aut præcipuè ijs licuit ea in re laborare: qui illis temporibus hoc fecerunt, quum ualde opportunum & neceſſarium fuit; & alia lingua nondum erat, quam omnes gentes tenerent; nec deſperandum uidebatur fore, ut ſuam linguam in omnes terrarum oras mittere, eamque, uel inuitis populis, poſſent tradere diſcendam. Nunc uerò iſti quid faciunt, quibuſcum præclarè agitur, ſi aliarum nationum barbaras linguas recipere ipſi non cogantur: & Græca, & Romana lingua ex cuncta Europa eijci amplius non poteſt? Scilicet eo ſaltem nomine illorum ſcripta in omnibus terrarum finibus legentur, quòd ſermonis copia, linguas omnes, etiam Græcam antecellunt. O iocularem impudentiam. Nam primùm, quæ illum ſermonem recipient exteræ nationes? quomodo ad alias terras mittent? per ſocios? per municipia? per colonias? per exercitus? per prouincias atque imperia? an curari hoc non debet; & ſatis eſt, quòd hic ſermo à cantatoribus, & ſymphoniacis, in compitorum, ac tonſtrinarum regnis quotidie magis diuulgetur? Deinde, qualis hic ſermo eſt, quo tantopere glorian[illegible] [illegible] eſſe meliorem? Qui putant illum noſtro [illegible]

[illegible]

linguæ, ac ne ſuæ quidem, partem unquam attigiſſe. Nec mihi uacat in epiſtola dicere, quanta ſit res latinitas, quæ tot ſeculis, clariſſimorum uirorum ingenia, & ſcientiam exercuit, Aelij Donati, M. Valerij Probi, Feſti Pompeij, Non. Marcelli, aliorumq; innumerabilium, & doctiſsimorum hominum. Fuerunt & in hoc numero, Terentianus, Macrobius, A. Gellius, C. Plinius, Aſinius Capito, Terentius Scaurus, P. Nigidius, Tinca Placentinus, Palæmon, Cornelius Fronto. Dignus præterea hic ſermo fuit ſapientiſsimis illis, ac maximis auctoribus, M. Varrone, M. Meſſala, C. Cæſare, & huius filio Octauiano Auguſto, & M. etiam Tullio, qui multis in locis de latinis literis, & Latina lingua tractare diuinitùs conſueuit. Nunquam defuere nec ætate noſtra deſunt, qui magna cum laude ſermonis latini copiam perquirere, & proferre ſtudeant; neque ullis ſeculis defuturi ſunt, qui in ea ſuſcipiant laborem, quæ exhauriri tota à nullis unquam ingenijs potuit. Verba etiam huius linguę, tanta iam uetuſtate, & clariſsimis diſciplinarum, atque rerum omnium monumentis, per ſapientiſsimos auctores, ad omnem ſunt poſteritatis memoriam conſecrata; & à Grammaticis, & doctiſsimis uiris, quos nominaui, definita adeò, ut nihil dubium in his occurrat, quin à multis rectiſsimè explicetur. At lingua iſtorum, præter alia multa, quibus deformatur, noua eſt: ſi tamen ipſi intelligunt, quanti hoc refert, neque auctores habet, niſi paucos, nec dicam cætera. Scribantur ergò iſta lingua libri Philoſophorum, ſcribantur ſacra omnia; ſcribatur ius Pontificium; ius ciuile, cæteraq; artes ingenuæ; incidant quæſtiones, & graues in uerbis controuerſiæ, ad quos auctores, aut linguæ interpretes confugiendum erit, quorum ſententiæ ſtari conueniat? ubi erunt illa, ueluti quædam oracula, de antiquorum, ac ſapientum libris prolata, ut noſtri auctores, quum Seruij, quum Scæuolæ, quum Galli, aut Aelij, aut cæterorum explicationes ad uerba obſcura, ac res dubias afferre conſueuerunt? Hic ſudant, quod reſpondeant non habent, & tantum illos opponunt, ſummum tres, de quibus equidem in præſentia iudicare nihil uolo, tantum affirmo illos, quamquam ſatis multi forent, nullum tamen ad eam rem adiumentum afferre poſſe. Nobis autem in Romana lingua, primum uix eſt, quod dubitare poſsimus: deinde, ſi quid accidat, ſunt quàm plurimi auctores admirandi, ac certiſsimi, quorum ex uſu loquendi dubitationes omnes auferantur. Habet enim lingua noſtra lumen, & eloquentiam M. Tullij, C. Cæſaris, M. Catonis, T. Liuij, M. Varronis,

ronis, ueterum Iuriſconſultorum; item Virgilij, Catulli, Horatij, Lucretij, Tibulli, Terentij, Plauti, cæterorumque innumerabilium; & eorum, qui Philoſophiam, Theologiam, Aſtrologiam, & numerandi, metiendi, cauendi, loquendi, ac dicendi, aliarumque rerum pulcherrimarum ſcientiam purè, & eleganter ſcripſerunt. Iſtorum autem ſi omnium ingenia, quæ ſunt, quæq; ſe habituros eſſe minitantur, quùm ſui uènerint illi Platones, Ariſtoteles, Theophraſti in unũ conferas, horum qui dicti ſunt uel uni, quamuis minimo, paria eſſe illa nòn poſſent. Sed redeo iam ad literas. iſti enim, qui Latini eſſe nolunt, & literati in noua lingua haberi cupiunt, cur non ſuas habent literas, ad ſuam linguam accommodatas? An fortaſſe ne id quidem ſciunt, non ſuæ linguæ eſſe literas, quibus utantur, ſed Latinæ? Quæ igitur lingua illa eſt, quæ nec literas habet ſuas? Qualis eſt ſermo, aut quàm concinnus eſſe poteſt, qui alienis aget literis? Quin ergo nouas etiam literas, ad nouæ linguæ naturam quærunt? Malè namque conuenit linguæ barbaræ cum latinis literis, & maximè illos pudere debet literarum, eius linguæ præſertim, quam ipſi contemnunt. Quæ enim lingua, digna modò, quæ inter linguas numeretur, ſine proprijs literis unquam fuit? Aſiæ enim ciuitates quondam à Græcis cum ſermone, literas etiam græcas acceperunt. Tot populi, tot prouinciæ à Romanis non prius Romanam linguam didicere, quam literas. Gentes innumeræ, quum linguam externam acciperent, ſuas etiam literas, quibus antè uſæ fuerant, reliquerunt. Intelligebant enim fieri non debere, ac ne poſſe quidem omnino, ut alienis à ſermone literis uterentur, neq; ignorabãt illas de proprietate linguæ natas eſſe oportere. Betica igitur, & tota Hiſpania (ut accepimus) multo antè quam Prouincia eſſet populi Rom. ueterem, ad diuerſum ſcribendi uſum tenuit. Galliam quoq; ipſe C. Cæſar, alijq; multi, Græcis literis uſam tradiderunt. Deinde uerò cum cæteris prouincijs, Romanum Imperium, Romanam linguam, & literas, priore literarum uſu prorſus relicto, acceperunt. Nulla de exteris nationibus, linguam ſine literis, aut ipſa ſibi comparauit, ut ab aliis accepit: nec ulla gens tam barbara, & inculta hoc fecit ut alterius linguæ literas uſurparet. Quod ſi qua in barbarie factum ſit; ipſi tamen, qui uberiorem, ac præſtantiorem iactant ſuam eſſe linguam, facere non debent, ut noſtris literis abutantur. Adeone tardi ſunt, atque hebetes, ut hoc non intelligant, quantum illæ uel corruptæ, uel peregrinæ uoces à noſtrarum literarum ſono diſcordent? Quando.n. primo de literis inueniendis cogitare

homines

homines cœperunt, credibile eſt illos totius linguæ ſuæ naturam inſpexiſſe, per nominum, ac ſyllabarum uoces decurriſſe, eumque ſonum literis dediſſe, quem in uerbis agnoſcerent. Quæ uero gentes nouum ſermonem aliquem acceperunt, ſermonis etiam illius (ut dixi) literas diſcere uoluerunt. hoc intra fines quoque Italiæ ſcimus contigiſſe. Sicilia enim, & tota regio ea, quæ Siculo, & Ionio mari, & ſinus Adriatici magna parte cingitur, adeo literas græcas coluit, ut maximos philoſophos Græcorum tulerit, & magna tum Græcia diceretur. Hæc igitur & Italia, & omnis penè Europa, & bona pars Africæ, quum ad Latinam linguam, non alijs, quàm Latinis literis, & omnes gentes toto ferè orbe terrarum ad Græcam non alijs, quam Græcis uſæ fuerint; iſti præter morem aliarum nationum, & barbarè, atque incommodè faciunt, qui alienas, ac diſsidentes à ſermone literas tenent. Cogitent enim, ac iudicent, quàm frequenter binas uocales in unam cogant ſyllabam, quæ coire ſimul nequeant, repugnante uocalium natura. Recolant, quàm ſæpe cõſonantes iungant, quæ iungi nulla ratione poſſunt: quam crebrò natiuos literarum ſonos, & illas geminent, quæ dupplices uocantur. Quùm enim aſperrimæ quædam uoces haud quaquam noſtri efferri literis poſsint, geminatione dupplicium quatuor uni ſyllabæ ſubijciunt conſonantes: quod ut maximè barbarum, ita apud eos eſt frequentiſsimum. Innumerabilia in ea lingua ſunt, quæ noſtris literis comprehendi non poſſunt. Si enim (ut dixi) duplices geminare non oportet, quomodo Celeritatem, uel Magnitudinem, uel Debilitatem in ſua lingua ſcribant, nunquam inuenient. Infinita huiuſmodi uerborum turba eſt, in quibus eſt & Longitudo & Latitudo ac talia multa, quorum ſcribere, nec ſecundam ab ultima ſyllabam poſſunt. nam quæ ſeptima apud nos litera eſt, nec ſequi, nec antecedere ſe aſpirationem patitur: nec ſi pateretur, illum ſonum redderet, quem ipſi uolunt. Quòd ſi Diuitem, & Feſſum, & Siccũ dicunt; numero tamen multitudinis, neque Diuites, neque Feſſos, neque Siccos, neque innumera huiuſmodi poſſunt dicere. Tum Quis, & Quæ, & Quoniam, & Filios, & Oculos, & Senectutem, qui aptè ſcribi noſtris literis arbitrantur literatorum omnium iudicio, illi has literas ne legere quidem ſciunt. Flores etiam, & Flamma, & Planum, & Flumen, atque id genus multa, alias prorſus, quàm literas noſtras quærunt. Sed quid ego de tanta infinitate uerborum, quæ ſcribere iſti nequeunt, pauca colligo? tu ipſe hoc æſtimato mi Crotta. Intelliges enim id, quod mea diſputatione

non

non eget, quodque minime tacita uel obſcura confeſsione de iſtis quidam confirmarunt. Nam Triſsinum (illum ut arbitror noſti) qui ad Clementem VII. Pont. Max. de iſta lingua librum ſcripſit; omnia quæ à me dicta ſunt, aliter ſcribenda eſſe cenſuit, atque ab iſtis conſueuere. nouas etiam aliquot literarum formas excogitauit, quibus uteretur in ijs, quæ Romanis literis dici non poſſunt. itaque exiſtit de iſto grege, qui de ſua lingua barbariem tollere, & illius copiam probare uolens, homo ſanè ſtultus, & ne à ſuis quidem probatus, unus omnium, ſtultitiam, & iſtius linguæ pauperiem confeſſus eſt. Quibus ergo illam rebus affluere dicunt, quæ nec uerba, nec literas habet ſuas? Intelligis, opinor, quàm barbaram eſſe neceſſe eſt eam linguam, cui, ut multa non dicam, literæ, hoc eſt uerborum ſpiritus, atque anima quædam deſit. Nulla tanta barbaries, tam crebra, & moleſta in ſermone eſſe poteſt, quàm quæ in literis uerſatur. Quicquid loquimur, aut ſcribimus; hoc tam paruo literarum numero, tanquam orbe quodam, recurrit, ac uoluitur. Quòd ſi quùm una tantum, aut altera illarum uitiosè profertur, in ſingulis penè uerbis id uitium auditur; quid ſi ferè omnes corruptè pronunciantur? Quem enim chordæ in muſicis, cum in oratione locum tenent literæ. Nam, ut illarum ſi uel una diſſonet, quanquam infiniti uarientur numeri, in ſingulis tamen percuſsionibus eadem inconcinnitas offendet aures: ita, quod in literis peccatur, nullo penè in uerbo fieri poteſt quin peccetur. Eant nunc igitur iſti, & quum tanta ſua, ac tam nitida & eleganti copia, ad illud etiam reuertantur, ut dicant, ſuam linguam eo loco nunc haberi, quo apud nos latina quondam fuit. Sed me quin diu iſta perſequar, præterquam quod epiſtola non patitur, præter illud etiam impedit, quòd propè infinitum eſſet iſtius barbariæ uitia, atque hominum ineptias colligere. Habes igitur nunc mi Crotta quæ non ad latinam linguam defendendam, ſed potius ad imperitiam quorundam hominum, & linguæ uitia illorum detegenda pertinere uidebantur. Reliqua uerò, quæ ſtultiſsimè ab ijs iactata ſunt, ſua lingua ſcribi omnia, & latinam relinqui omnino oportere, quæ nobis externa ſit, peſſimèque nos de ſtudij atque omni literarum genere mereri, qui id in Italia malum nutriamus, in aliud tempus reſeruare uolui.

lui. Alexandrum ſaluta meis uerbis, quùm redierit, amicum tuum, atque (ut ſpero) meum, ſed ita ut ſe contra nomen latinum ad nouæ linguæ cauſam adiuncto, treis mihi Alexandros intelligat, minime eſſe metuendos: uictoriam tamen fore non faciliorem modo, ſi illum non uidero in pugna uerum etiam iucundiorem. Vale, Romæ.

IOANNI ANGELO CROTTAE, PERVSIAM.

QVAE mandas apud Aſcanium Baſſum, ſcito eo loci eſſe omnia, quo is antea ad te ſcripſit. Mihi ualde probata eſt fides, & amor illius in utrumque noſtrum. Quare non dubitaris illa quoque ſpiſsiora, quæ proximè ſcripſiſti, amantiſsime eum, diligentiſsimeq; facturum. Sed cæteris etiam de rebus oro te, mi Crotta patere me nihil nunc quidem ſcribere. Hanc.n. epiſtolam,& meam de amici tui ſcriptis, atque opinione ſententiam debere tibi diutius non potui. Reliqua igitur de Vincentio Vimercato, de reſponſo Brunori & Virginiæ, de negotio Stellæ, qui fore ait, ut impediatur Poli uoluntate, poſtea ad te perſcribam omnia. Nunc uideamus illa præclara, quibus iſti noui præceptores nouam eloquentiam proponunt, ueterem criminantur. Nota uerò ſunt omnibus, quæ ad linguam Latinam ex Italia auferendam rectiſsimè à ſapientibus ac doctis hominibus quotidie afferuntur. Primo enim ita diſputant; peſsimè nos, qui Latinam linguam Dijs hominibuſque inuitis, retinere conamur non neceſſariam, abeuntem, ac rebus humanis perfunctam, de ingenuis artibus mereri; quod illa diſcenda non pueritiam noſtri hominis, primoſque annos infantiæ, ut ante; ſed omnem quoque ætatem grauioribus ſtudijs idoneam, conſumant: eamque eſſe cauſſam, cur nullo in genere doctrinæ antiquis hominibus quiſquam hactenus par eſſe potuerit. Deinde, eam linguam eſſe in literis omnibus debere, quæ in ſermone ſit populi, ac multitudinis: neque ſtudio & labore, ſed ex mulierum quoque à prima iam infantia, ac ruſticorum uſu diſcatur. Item pulchriora, ueterem ſe huius urbis morem, illorumque doctorum hominum ſtudia imitari, ut ſuas potius, quam externa lingua ſibi ſcribendum putent, & duabus ex linguis, eam quæ noſtra non ſit, eſſe relinquendam, & noua lingua ſcribi omnia oportere. Hic ego, mi Crotta temperabo me; neque de iſtis hominibus ita loquar, ut eiuſmodi opiniones uehementius eſſe refellendas putem. Quòd ſi quid à me interdum, acerbe tamen, dictum eſſe uidebitur, caue putes, me boni uiri cuiuſquam, ideſt eorum, qui non cupidè, obſtinatè, petulanter, his de rebus loquuntur, exiſtimationē lædere, aut ſententiam labefactare, aut orationem corrigere uoluiſſe. iſtorum.n. ſcripta omnia, quũ legerim, unũ uideo Speronem excellenti ingenio

ingenio, multaque doctrina hominem, ſatis hac de re commodè ſcripſiſſe. Siue enim Lazari Bonamici, quem in eo dialogo diſputantem induxit, rationem ſibi eſſe habendam putauit; ſiue (quod magis credam à ſuis moribus, natura, grauitate, rectoque iudicio nunquam diſcedit; de ſua ſententia, quam mihi quidem, aut illi ex doctis hominibus probare non potuit, ita diſſeruit, ut boni ſaltem diſputatoris, ac nouæ linguæ laudatoris grauitatem, & modeſtiam ſeruarit. Si quis igitur alius, aut quamuis multi hoc in numero haberi poſſunt; eos uelim ſcire, diuerſam me quidem ſententiam tenere, hanc uerò diſputationem contra ſe non eſſe ſuſceptam. Quare ad illos iam uenio, qui ita dictitant, magnam per nos, qui latinè ſcribimus, omnium diſciplinarum in Italia perniciem nutriri. Interrogo enim, ſi nos, & omnes penè ex Europa docti homines, à tam immani ſcelere latinè ſcribendi abſtinebimus, intermorientur latinæ literæ? Religio ergo nonne illas teneat ſemper neceſſe eſt? Hærent hic temerarij homines;& quæ uellent, ea dicere non audent, niſi apud leues, & ſtultos auditores; dolentq; niti Romanam linguam non ſcriptis tantum noſtris,ſed ſua ui ſtare potius; & inter mala numerari,niſi à malis, & rerum omnium ignaris hominibus, non poſſe, illam,qua nihil eſt diuinius, magiſque in uita neceſſarium; & proprijs,atq; altiſsimis fixam radicibus,nullis unquam poſſe ſeculorum ætatibus conuelli. Quod ſi non hanc linguam, ſed duas tenere linguas, dicunt eſſe malum, & alteram ex his tolli oportere: non ſtatim tamen impetus fieri in latinam debuiſſet; ſed rectè prius cogitandum erat, utram putemus eiiciendam: hoc eſt, utra minus incommodi afferat eiecta,aut eijci facilius queat;& utra eſſe abſq; altera non poſsit. Non dubium, Crotta, quin iam per teipſum intelligas, quærendum eſſe etiam, utra antiquior, expreſſior,multis cum populis communior;& cętera multa,quæ noſſe conuenit ante,quàm immanis hæc ſententia feratur. Ac uide primum, quanti apud me ſis, qui ſolus ad hæc tam leuia inducere me potueris, quæ ſemper ego rectiſsimè contempſi: tametſi neque meam ipſe, neq; aliorum hominum doctiſsimorum patientiam laudare poſſim. Nam quis poſſet non interdum grauius commoueri,tanta hominum inſolentia prouocatus? quis enim illos in nos concitauit? unde prius controuerſiæ huiuſmodi cœperunt? quis uſque ad hodiernum diem illos, aut linguam illorum inſectatus eſt? Annos iam ducentos quinquaginta amplius, homines qui ſe Latinam linguam uitio temporum non rectiſsimè adeptos, aut conſequuturos

confiderent

conſiderent meliorem, noua iſtac lingua ſcribere cœperunt, multique poſtea ſunt inſequuti, quos nemo de noſtris unquam re, aut uerbo uiolauit: de ipſis autem hac ætate plurimi, & ſcriptis libris, & fœda impuritate ſermonis, effutire audent, nos, & ſuperuacuum Latinæ linguæ ſtudium, cauſſam eſſe, cur homines doctiſsimi euadere non poſsint. qua in re confutanda haud equidem diu immorabor. utrum enim obſit hæc lingua ſtudijs, poſtea reſpondebo: utrum auferri debeat, uel poſsit, facillime cognoſces. Nam ſi commodè fieret, ut Romanam linguam homines relinquerent, illam externæ gentes nunquam recepiſſent. Neque uelim te illas hic gentes intelligere, quæ cum imperio illam acceperunt, & magnam partem latinè adhuc loquuntur: ſed, quæ nunquam uulgo illam uſurparunt, nec Romanis diu paruere. Dicant enim, cur Britanni, Cantabri, Celtiberi, Germani, Cimbri, Heluetij, Sarmatæ, Pannones, multæque nationes aliæ noua iſta lingua carere poſſunt, non poſſunt autem Latina: & poſtquam ſe in libertatem uindicarunt, illam ultro acceperunt, quamquam uulgò illis uſurpanda non foret? cur illam tenent, quamquam in ea uerbum nullum ſit, quo in ſermone uulgari utantur? cur relinquere nec uellent nec poſſent? Si rectè conſideraremus, quam graues cauſſæ tot exteras nationes impulerint ad illam recipiendam, quum eſſet aliena; intelligimus profectò etiam quid nos cogat illam retinere quum ſit noſtra. Illis enim maximarum rerum incommodis neceſſe eſt afficiamur, ſermonis Latini uſum relinquentes, quibus hæ nationes, antequam illam recepiſſent. Illa uerò maxima fuiſſe incommoda omnes intelligunt, nec ualde opus eſt hoc loco ea omnia numerare. Iſtos autem ſi interroges, nouane ipſorum, an Latina lingua, minore cum damno relinqui poſsit: non tanti apud eos erunt diſciplinæ omnes, aut ſacra, aut humanæ, diuinæque leges, aut plurimi illuſtres auctores, aut omnium populorum conſenſus, aut linguæ in cuncta Europa cum omnibus gentibus communio; quanti unius Buccaccij fabellæ, & amatorij cantus, & ſermo uulgaris, qui & his omnibus caret, & uix tam exiguis Italiæ finibus continetur. Commercia igitur, & omnium ſocietates hominum inter ſe, & ſtudia ſapientiæ, & diſciplinarum tractatio, & literatorum cœtus, ac ſodalitates, & gymnaſia in ciuitatibus, non amplius inter omnes gentes communia erunt? Profectò enim, qui linguam Latinam eſſe nobis relinquendam

cenſent, ij uidentur nolle cum alijs nationibus de ulla doctrina communicare: quos audire ſi uolumus, hanc linguam à prouincijs etiam omnibus, in quibus tenetur, & toto orbe terrarum expellemus. Nam, ſi Galli, Hiſpani, Dalmatę, Germani, aut cæteræ nationes illam eijcerent; ſaltem apud eos, quorum propria eſt, maneret. nos uerò ipſi noſtram linguam repudiantes, nonne aperte ſuademus, ut illam mortales omnes contemnant, & exagitent? Qui enim à reliquis gentibus, ac populis eam uelimus retineri; ſi nobis relinquendam eſſe contendimus? quum præſertim illæ rationes, & argumenta, quibus probare conantur eijci debere, ſi uera eſſent, apud externas gentes, magis, quàm apud nos ualerent? Ergo, quùm delere ex omnium hominum memoria, atque ex omnibus terris latinitatem uelint; quæ inde, & quàm intolerabilia mala, & incommoda ſequantur, uides. Non enim amplius à nobis exteræ nationes, neque uiciſsim nos ab illis aliquid diſcemus, neque ſe mutuò ullæ gentes in literis adiuuabunt; neque in Italiam ex omni Europa, neque ex Italia ad alias terras, neque alijs ad alios populos, capeſcendarum artium gratia, tranſire poterunt: quod maximum eſſe malum iſti non ſentiunt, hominum, & ſtudiorum, quæ in tanta diuerſitate linguarum, à ſingulis dumtaxat, in una uerò lingua ſimul ab uniuerſis gentibus coli, & illuſtrari poſſunt. quanta ſtupiditas eſt, hæc non intelligere, pertinacia non confiteri, peruerſitas aliter ſuadere, ſocordia non curare? Ego quidem certè, quoties Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Italiæ, aliarumque nationum clariſsimas urbes, in quibus omnium ingenuarum artium ſtudia tenentur, & tantam in literis, doctriniſque omnibus communionem recordor; in ea cogitatione ſum, ut putem beneficio Latinæ linguæ, & maiorum diligentia, tanquam ex omnibus terris unam factam eſſe ciuitatem: qua communione ſublata, infinita quædam uis tenebrarum in rebus humanis conſequatur. Quamobrem gratias habendas cenſeo ſemper Dijs immortalibus, qui ex tot maximis operibus huius urbis, Rep. & imperio orbis terrarum linguam Romanam ſaltem ſupereſſe, & quotidie magis florere uoluerunt. Nam, ſi una lingua non ſit, quam omnes gentes intelligant, nulla non modo ſtudiorum, ſed ne religionis quidem in tam multis nationibus, certa ratio teneri poſſet. Quotidie enim undique, ac de ultimis terris Romam ad hunc Pontificem Max. ac Senatum de illa referunt; quotidie ultrò citroque

legationes

legationes mittuntur: ſæpe conuentus, & omnium terrarum concilia conuocanda ſunt, in quibus de imperij, religionis, & rerum omnium ſumma agendum ſit. iſtorumne lingua inter diuerſarum regionum homines, longeque terris diſiunctos, tractari hæc poſſunt? ſemper hoc forum externis gentibus refertum uidemus: quotidie hic ſenatus de ſacris, de Deo, ac rebus diuinis, de cultu religionis, de ritibus, de ſacerdotijs, de iure Pontificio, reſponſa dat omnibus mortalibus gentium remotiſsimarum. Sæpe grauiſsimis in rebus leges componit, quæ ad omnium terrarum homines pertinent, à quibus hæc religio colitur. An fortaſſe ne hæc quidem curari amplius debent; atque, ut iſtis nouæ linguæ auctoribus gratum fiat, generis quoque humani ſocietas deſerenda eſt? An huic etiam ſenatui, & Pontifici Max. orbis terræ, & religionis imperium diuinitus illi traditum, & leges, ac iudicia, tantarumque rerum adminiſtrationem auferendam putamus? Minimè uerò inquiunt. At ſi hæc lingua tollatur omnium rerum, quas dixi, euerſio, atque interitus conſequatur, neceſſe eſt. Ergo, ſi ſtudia conſeruanda ſunt, ſi diuinas, humanasque leges diſſolui nolumus, ſi hæc religio tenenda eſt, ſi ad eam omnes gentes inſtitui, ac retineri debent, ſi hunc ſtatum rerum, & ſacrorum, Chriſto auctore inſtitutum, nefas deteſtandum, ac ſempiternum malum eſſet aliqua ex parte conuelli: aut hæc una tenenda eſt, aut omnes omnium gentium linguæ omnibus perdiſcendæ. Nunc uerò utram credunt ſine altera non poſſe conſiſtere. hoc enim prætermittendum non fuit. Nam, ſi res eo loco foret, ut alterutra auferri poſſet, temereque hic fieret aliquid; periculum eſſet ne utraque auferatur. Res tamen aperta eſt, neque argumentis, aut longiore diſputatione indiget. Quum etenim iſtorum noua barbaries à Latina lingua nata ſit, qui eam uolet intelligere, neceſſe eſt nunquam diſcedat à Latina. tametſi hoc effeminatos iſtos, & rudes homines pudeat confiteri: ea tamen lingua abſque noſtra, neque intelligi, neque ullo modo tractari, neque retineri poteſt, quin breui extinguatur. Si enim rectè inſpiciant, & ſingula uerba enumerent totius linguæ ſuæ; inuenient, quod ſæpe olim pueri ſumus experti, uix centeſimum quoque uerbum non eſſe latinum, aut à Latina lingua natum, aut indidem aliquo modo ultima origine deprauatum. Quomodo ergò poterunt Latina uerba ſi-

ne Latina lingua, intelligere? Si enim eam quoque linguam non ignorarent, quam ineptiſsimè, ſtultiſsimeque à nemine adhuc læſam defendunt: ſcirent profectò non poſſe unquam in ea barbarie aliquem rectè ſcribere, aut loqui, aut uerba interpretari, niſi idem ſit linguam Latinam rectiſsimè conſequutus. An uerò illi auctores, quos ipſi tantopere admirantur, Latinæ linguæ rudes fuerunt? An poſſunt aliquem oſtendere ignarum Latinitatis, cuius in ea barbarie ſcripta ipſi laudare queant? Hoc ſi non poſſunt quam eſſe cauſam arbitrantur? Nempe, quia ſermo ille, qui Latinis ferè omnibus conſtet uerbis, prætermiſſo Latino tractari ullo modo poteſt. Nam, ſi in Romana lingua nemo unquam ſcribendo præſtitit, niſi Græcas etiam literas tenuerit, quia nos aliqua à Græcis accepimus: quid, per fidem, iſti in ſua, quæ Latinis uerbis, & literis tantum nititur, efficere queunt, ſi latinitatem ignorent? Quid hic, mi Crotta, dicimus? nobis qui Latinè ſcribimus, neceſſaria eſt omnino Græca lingua, paucorum cauſa, quæ inde tranſtulimus: Iſti autem propter tam multa, ne dicam omnia, ita ſibi neceſſariam eſſe noſtram non uident, ut ea neglecta, ſuam intelligere non poſsint; Nam, ſi Græcis auctoribus in Latinam conuerſis, id conſequi non potuimus unquam, ne Græcis literis egeremus; Quid iſtis illæ ſordes, quid noſtri auctores in ſuam linguam tranſlati afferunt, ut carere noſtra lingua rectè poſsint? An non potius id faciunt ut iuuentutem, & ſtolidam Italiæ multitudinem à cunctis bonis artibus retrahant; &, quod in ipſis eſt, linguam utramque auferant? Quo circa iam te arbitror intelligere. Crotta, quorſum hæc eſſent euaſura; & quid efficerent, ſi iſtorum hominum ſententiæ audiantur; Itaque illis anguſtijs etiam (ut ſuperioribus ad te literis dicebam) doctores iſti tenerentur, quod quum uerba interpretari nolint ad rationem latinitatis quam etiam tolli debere aiunt: linguam ſuam non modo obſcuram tenent & inexplicatam; uerum etiam temere, neque aduertentes, cum Latina auferre conantur. Denique, ſi duas tenere linguas, malum eſſe dicunt, intelligere debebant à quibus illæ teneantur, neque ſuam in alios culpam transferre. Sed, quia erant ſex propoſita, quæ dementes homines à Latinis literis inſectandis deterrere debuiſſent; & dictum ferè de primis: etiam ſequitur, ut de reliquis tribus dicendum eſſe uideatur. Illa uerò ſunt hæc ſpectandum

dum eſſe utra lingua ſit expreſsior, utra antiquior, utra multis cum gentibus communior. Ac de primo ſatis arbitror eſſe dictum ſuperioribus literis: alterum uerò habet nihil quod in dubium reuocari poſsit; niſi ſi antiquitatem ipſam nihil conferre ad linguæ amplitudinem, ſtupidi homines arbitrentur? Ego uero, ut taceam ueteres linguas uincere cunctarum infinita rerum copia, maioreque hominum, & ſeculorum penè omnium conſenſu, quæ linguarum certiſsima lex, minimeque dubia æternitas habetur; dico noſtra lingua, præſertim diſciplinas, iura, myſteria, totamque religionem tenente, fieri etiam ut noua hæc nullis unquam ſeculis, linguæ numero haberi poſsit. Verum hac de re plura non dicam; redeoque ad id, quod poſtremo loco poſui, ea potius lingua ſcribi oportere, ea ſemper doctiſsimis, ac ſapientiſsimis omnium uel nationum, uel temporum iure optimo eſſe delectatos, quæ præter illum ſplendorem, & multa illa commoda, quæ dixi, maiore etjam in parte orbis terrarum ſcribendi, & legendi publica, & priuata conſuetudine teneatur. Quod ſi Germani, Cimbri, Pannones, uniuerſæque nationes à Britannia ad Tanaim, ſeptentrionisque terminos, ac denique omnis Europa noſtra eſt, & gentes, quæcunque religionem Chriſti colunt, ſocietate Latinæ linguæ nobis coniunctæ ſunt; quas iſti indoctorum, ſtultorumque hominum opiniones, quæ amatorum carmina, quos mulierum cœtus, quæ lupanaria tanta, cum Romana lingua conferre audebunt? Vtrum igitur hæc non pateat latiſsime linguarum omnium; an hoc potiſsimum non ſpectare in linguis debet, ut ijs utamur potius, quæ ſunt multis cum gentibus communes? Ac uide, obſecro te, mi Crotta, uideant criminatores iſti, quantum inter ſuam, ac doctorum omnium opinionem interſit. Qui genus aliquod doctrinæ attigerunt, omnes relicto ſermone patrio, communiore lingua ſcribere maluerunt, quamuis ea eſſet peregrina: iſti uerò eam ſequi nos uolunt, quæ profectò barbara eſt, & uix intra ſuos fines intelligitur; quæ uerò noſtra eſt, & amplius iam duobus millibus annorum à tam multis clariſſimiſque nationibus tenetur, prorſus clamitant eſſe relinquendam. Non hoc ſenſerunt de ultimis terris quamplurimi, neque hoc fecerunt, qui mirabili ſapientia, doctrinæ & ſcriptorum fama, illuſtres fuerunt. Confer enim ſimul uniuerſos, qui Græcè magna cum laude hanc ipſam rationem ſequuti ſcri-

pſerunt: neceſſe eſt, mihi confiteare, iſtorum barbariem nullis unquam ſeculis, tot uel mulierum, uel amorum, uel Thraſonum cantores habituram eſſe ſuos; quot habuit philoſophos, poetas, oratores, & quarumcunque literarum ſtudioſos, ex omnibus terris Græca lingua peregrinos. Nam quid Anacharſim, quid Ageſiam, quid Aratum, quid Carneadem, quid Arceſilam, quid Clytomachum, quid Apollonium commemorem? Quid Ariſtarchum, Antipatrum, Callimachum, Ariſtippum, Daretem, Ariſtobulum, Chryſippum? ſuæ ne gentis linguam ſequuti ſunt, Beroſus, Epictetus, Diodorus, Aeſopus, Dioſcorides, Lucianus, Porphyrius, Eraclitus, Hermodorus, Hipparchus? Alios adhuc poſſem referre quàm plurimos, quorum ſententia, nobis latinè ſcribendum eſt; tametſi Latina lingua, ne antea quidem noſtra fuiſſet unquam. Cur enim hi, quos dixi, & multa adhuc millia doctiſsimorum, ſapientiſsimorumque hominum hoc non fecerunt, ut alius Chaldeorum, alius Charthaginenſium, alius Aſsiriorum, alius Cyrenenſium, aut Alexandrinorum, aut Phrigum, aut Scytharum, ideſt ſuam quiſque in ſtudijs linguam, ac literas teneret? Credo hic te intelligere, mi Crotta, quanta ſit res mota; quanta ſint, quæ hoc loco dici poſſunt. Verùm ego non perſequar, ut ſingulis de hominibus dicam. ipſas enim urbes poſſum, totaque regna nominare. Neque tamen aut ciuitates dicam Italiæ Græcas, & oram magnæ Græciæ uſque Rhegium ac Siciliam; & in Campania uel Cumas, uel Neapolim; extraque Italiæ fines, Maſsiliam, totamque uel Aetoliam, uel Aſiam, uel Ioniam; uel ſi quibus alijs in terris, aut colonias Græci habuerunt, aut nouas urbes condiderunt: ſed longè diſsitas regiones, ad quas lingua Græca, non à Græcis importata eſt; ſed ab ipſis gentibus, quæ illam ſibi neceſſariam cognouiſſent, accerſita. Etenim ante Latinam liguam apud quoſdam Hiſpaniæ populos, & Heduos, & magna in parte Galliarum Græcæ literæ fuerunt. Præter Thraſimachum, pluresque alios, Annibalem & Hannonem Carthaginenſium duces, inuenio Græcè libros, illum de re militari, hunc de Africæ ambitu, conſcripſiſſe. nullam ergo dicemus Carthagine Græcam linguam fuiſſe? Non ergo mihi utendum eſt amplius argumento Cappadociæ, Siriæ, Antiochiæ, Bithyniæ, Pergami, Tharſenſium, & Damaſcenorum hominum. Habeo enim Alexandriæ quoque, & Cyrenes, & Aegypti,

pti,

pti, & Hieroſolymorum uetus, clariſsimumque exemplum. Poſſuntne iſti amici tui numerare eos, qui ex his terris omnibus, Græcorum doctrina, ac literis clariſsimi fuerunt? Poſſunt, illa doctrina, ac literis ſua mente, & illo iudicio, æſtimare unum illud argumentum, quod tibi ſæpius dicebam, de bibliotheca Alexendrina, de æmulatione Ptolemæi Philadelphi cum Pergami Regibus, de ſeptuaginta ijs Hieroſolymitanis hominibus, qui Regis Ptolemæi rogatu ueteris Theologiæ libros in Græcum uerterunt? Non hæc intelligunt arrogantes, atque indocti homines. Quare mihi ſatis erit à te ſi rectiſsimè æſtimentur, qui cum ſunt à me ſæpe communicata. Cupio enim tibi ſatisfacere, nec uideri ſine grauiſsima cauſa tamdiu repugnauiſſe opinioni tuæ. Nunc uides, quanta manus doctorum hominum, quantæ in orbe terrarum ſcholæ ac ſedes, domiciliaque publica ſermonis Græci, quantum illius ſtudium apud remotiſsimas gentes, quanta ſcriptio quondam fuerit, non quia (ut iſti ratiocinantur) ſermone quo loquimur ſcribendum ſit, ſed quia nulla putari debent ea ſcripta, nulla prorſus ea lingua eſt, quæ tantum à ſuis, aut ne à ſuis quidem, rectiſsimè intelligatur. Quare hac ipſa ratione mea Diogenes etiam, Antiochus, Eraclides, Theodorus Gadareus, Philo, Menodorus, Philagrius, Hermogenes, innumerabileſque uiri illuſtres, adducti ſunt, non ut ſuam, quæ ipſis tantum eſſet cognita, ſed Græcam linguam anteponerent, quam ſcirent multis cum gentibus eſſe communem. Ergo mi Crotta, ſi extra Europam, cunctis mortalibus omnium temporum qui ſe ad literas dederant, aliena lingua diſcenda fuit, qua ad ſummos doctrinarum gradus peruenerunt, nobis Græcè etiam ſcire neceſſe eſt, neque omnibus Iudæorum, Chaldæorum, uel Arabum lingua prorſus omittenda eſt, & ſcientias omnes pro ſermonis latini modo, hominibus, ipſiſque ſeculis, uel mediocri, uel ſupremo, uel minimo, uel nullo, uel ſordido, uel illuſtri nouimus multorum exemplo, & hominum & ſeculorum, ſupremas, mediocres, minimas, nullas, ſordidas, aut illuſtres contigiſſe. Intelligis quanta ſit eorum inſania, qui in nos, noſtramque linguam, nullis noſtrorum hominum iniurijs laceſsiti debacchantur. Illud etiam non dubito quin intelligas, quibusnam rebus linguæ cernantur: Vtrum mul-

 titudinis,

titudinis, ac uulgi, an plurimarum nationum, & clariſsimarum gentium conſuetudine, quod unius eſt proprium Latinæ linguæ. Ad illam præterea cogitationem adducere te uolui, quod rerum omnium maximè refert uidere, utrum carere Latina lingua diuinæ humanæque res poſſent, & utra lingua ſublata, alteram ſit neceſſe interire. Vale,

Romæ.

IOANNI ANGELO CROTTAE, PERVSIAM.

QVAE ſuperioribus ad te binis egeram literis, ut uera eſſe omnia fateare; ſcribis non poſſe tamen cuiuſquam argumentis fieri, ut longiſsimi temporis iactura, ſermonis Latini perdiſcendi, tibi non uideatur eſſe grauiſsima. Sed parum ne tibi, Crotta, uideor hac de re etiam reſpondiſſe, quum dicerem, toto ex orbe terrarum doctis hominibus diuturniore ſtudio, atque opera, linguam Græcam fuiſſe diſcendam? Mihi quidem ſatis eſt, ſi doceo, contra quam delicati ſentiunt iſti amici tui, Latinam linguam, ita eſſe ad ſtudia, ad religionem, ad humanas, diuinaſque res, neceſſariam; ut omnia hæc ſine illa conſtare non poſsint. Qui igitur poſſe hanc linguam, niſi cum ſole, atque mundo, auferri putant; ut profectò multi putant, idque ſperant, contenduntque oportere, & quo facilius fiat, opem accommodant ſcriptorum ſuorum; hi nequid grauius dicam, tota de re imprudentiſsimè ratiocinantur. Equidem ſic reſpondere iſtis potuiſſem, ut nobis duas eſſe linguas, & Latinam eſſe eo loci, quo olim Græca, & in terris omnibus uulgò teneri deſitam, & recte pronunciari, uel diſci multorum annorum ſtudio, uel prodeſſe ad doctrinas conſequendas non poſſe, immo etiam nocere quàm plurimum, & nouæ ipſorum linguæ copiam, ſplendorem, & omnia eſſe denique meliora, quam Latinæ, & tantum incommodi, quantum ipſi dicunt, confiterer; adiuuare tamen hæc illos minimè poſſent, quum Romanam linguam neceſſe ſit cum rebus humanis, ac diuinis omnibus in ſempiternum tempus eſſe coniunctam: quid ſi, ut ſæpius iam dixi, tum falſa ſunt omnino, tum inutilia ad efficiendum, quod uolunt? Quod ſi hac lingua diſcenda, tantum detraheretur à cæteris diſciplinis, quantum iſti cupiunt uideri: ſtatimne religio etiam tollenda eſt, ut integrum pueritiæ tempus omnemque potius ætatem, canticis amatorum demus? Aut quid aliud eſt hanc linguam tollere, quàm ſublata rerum communicatione, cum cæteris gentibus ſilentium, obliuionemque, religioni, diſciplinis, & ſacris omnibus inducere? Quare non modo, quia doctrinis omnibus lumen affert, Latina lingua ſeruari debet: Sed, quamquam his magna ex parte noceret, nullis tamen ſeculis, nulla in poſteritate hominum poterit conuelli. Itaque patiantur do-

cti ac ſtudioſi homines iſtam,quam dicunt,æquo animo iacturam;
Sciantq; ſibi non modo latinitatẽ,ſed uitia quoq; illius,inuitis eſſe
perferenda. Sed ô me doctum hominem,qui de re tam graui,& du-
bia,tam multis diſputem.Redeo igitur, ut illa proferam occultio-
ra,nouum ſcilicet, atq; à ſtudijs alienum minimè uideri, in Latina
uel Græca lingua diu etiam laborare, in qua nati non ſimus: ſed
vſitatum,uetus, neceſſarium. Si enim quibus aliena lingua diſcen-
da eſt, ij nec diſcere illam rectè, nec maturè ad diſciplinas poſſunt
accedere; iam neque Ennius neq; Pacuuius, neque multi de anti-
quiſsimis poetarum ſatis Latini, uel docti, iſtorum ſententia fue-
runt.Verum ego de his omittam dicere, uideo enim ad quam iſti la
tebram,tergiuerſationemque fugient. Quid tamen de illis reſpon-
debunt,qui minime bonis temporibus Romanæ linguæ, extra Ita-
liam nati,linguæ tamen, & ſcientiarum facultate omnium præſti-
terunt? Quot enim Africa (ut Apuleios non dicam) Leptimios,Ar-
nobios,Cyprianos,Aurelioſque miſit Romam,ad Italiam,ad Euro-
pam ſanctiſsimos homines, tanquam cœlo demiſſos,ad religionem
Chriſti, doctrina, & eloquentia tuendam? Verum ego,mi Crotta,
inique abſte, ad huiuſmodi etiam argumenta, totamque hanc epi-
ſtolam ſum adductus.Quos enim ſuperioribus literis dicebam,Scy
thas quoque, Phrygios, Iudæos, Aegyptios, totaque ex orbe cla-
riſsimos uiros,Græcis literis Philoſophiam,cæteraſque diſciplinas
tractauiſſe: ijdem ſatis iſtorum hominum ſtultitiam exemplo ſuo
damnare potuerunt. Illos nominaui contra id, quod ſua cuiq; lin-
gua ſcribendũ eſſe iactabatur: prodeſſe tamen apud te mihi in eo
quoq; debuerunt,ꝙ ſtudio nõ ſuæ,ſed Græcę linguæ adiuti ſunt,ad
perfectè,ac celeriter omnia conſequenda. Sed quid noſtræ memo-
riæ doctos homines taceo? utrum non à præceptoribus illam, quæ
temporibus optimis Reip.fuit, Latinam linguam, & ſummam rerũ
omnium ſcientiam, acceperunt? Illi uerò & aliam à pueritia lin-
guam tenuerunt, & Romanam didicere, non ante cognitam; & li-
teris, doctrina, facultate orationis, multis etiam de ueteribus uiris
ampliſsimis præſtiterunt. Quamobrem expectet iſta natio ueſtra
ſuos, ut aiunt, in ea lingua Platones, Ariſtoteles, Theophraſtos:
ipſi interim in Romana Flaminijs, Perionijs, Sadoletis, Victo-
rijs, Manutijs, Bonamicis, Romulis atque huiuſmodi hominibus
contenti ſimus. Quod ſi latina lingua noſtra amplius non eſſet,
quæ profectò uel ſola religionis cauſſa magis noſtra hodie eſt, quã
olim Romanorum; tamen ſummorum hominum exemplo, clariſ-

ſimarum

ſimarum ciuitatum toto penè ex orbe terrarum, ut ſuperioribus ad te literis dicebam; inſtituto ualde etiam neceſſario facere uideremur, ut ea lingua ſcribamus, quæ apud nationes plurimas teneretur. Nec de colonijs, aut ciuitatibus Græcorum dico, aut ijs gentibus Aſiaticis, quæ ſunt ad maritimam oram Thracij Boſphori, & Helleſponti, Lampſacenis, Clazomenijs, Epheſijs, ac cæteris longiſsimo tractu uſque ad Gnidum, Ciprumque, & Tharſum, & plurimas Ciliciæ, Pamphiliæque ciuitates. Paulus enim, & Ioannes, collegæque cæteri, primi religionis magiſtri, Iudæi homines, & quibuſcunque ultimis in terris, niſi apud eos, ubi literæ cultæ nullæ ſunt, uel quorum omnis memoria extincta eſt, omnes Græcè ſcripſerunt. Recordare etiam Maſsiliæ, Antiochiæ, Pergami, Hieroſolymis, Alexandriæ, in Gallijs, Sicilia, Africa, Aegypto, & cunctis in gentibus, quæ non, quemadmodum nos legum, uel religionis cauſa cogebantur, quantum linguæ græcæ ſtudium, quanta manus doctiſsimorum hominum fuerit. Sed quid externis de gentibus loquor? ipſi mehercule Romani ciues, an ſtatim ut fari, ingredique pueri cæpiſſent, quia, ut aiunt, ſine ſtudio Latina lingua diſcebatur, illos ad præcepta Rhetorum, ad Philoſophiam, aut ius ciuile tradebant? Nonne ijs quoque, præterquam Grammatici Latini eſſent audiendi; lingua etiam Græca diſcenda erat, antequam ullis ex diſciplinis aliquid attigiſſent? Dicant enim uel ex ijs unum, qui ſine Græcis literis, ad genus aliquod acceſſerit doctrinæ, & literatorum in numero habeatur; per me quidem uicerint, cedam, neque his amplius repugnabo. Vides igitur, mi Crotta, qui nouum eſſe dicunt aliquod in linguis diſcendis tempus conſumere, quanto errore teneantur. Quare ſæpius mihi cogitanti de opinionibus iſtorum hominum, quæ Italiam his triginta annis peruaſerunt, atque à ſtultis tenentur, nulla à ratione, & recta ſententia, ſed errore, & nouarum cupiditate rerum, contra diſciplinas, & religionem profectæ, ſolet in mentem illud uenire, ut uerear, ne ſint hæ in nos ab iratis Diis immortalibus immiſſæ. Etenim, quæ impiè fiunt à nobis, aut nefariè cogitantur, illa ut metuam puniri à Deo hoc genere ſupplicij, & diuiſione linguarum, admoneor uetere exemplo: quum ij, qui in Babylone turrim ædificarent, quæ cœlum attingeret, non alias, quàm mutatæ plura in genera linguæ pœnas dederunt. Nemo præterea illud ignorare poteſt, quod uiri ſan-

ſanctiſsimi, diuinoque ſpiritu afflati, diris execrationibus, ſuis hoſtibus, ac nefarijs hominibus imprecati ſunt; ut confuſa inter eos lingua, cœpti eorum conatus, & conſilia frangerentur. Eſt ergo genus ſupplicij, quum uetus, tum graue: nec iam mirari quiſquam poteſt, quod ſentiam, per nos ipſos diuino quodam, ac ſecreto inſtinctu nos in huiuſmodi pœnas conijcere, quibus tanta hominum, ac totius generis humani temeritas olim uindicata eſt. Auertat hoc tamen Deus, & hanc linguam totiuſque Europæ in bonis artibus, & religione ſocietatem, ſempiternam eſſe uelit,

Ne uetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri iubeat, Teucroſque uocari,
Aut uocem mutare uiros, aut uertere ueſtes.

Ita enim hæc lingua ſummis cum rebus, & ſumma cum religione coniuncta eſt; ut, qui eam auferre ſtudent, ipſum me hercule ſolē de mūdo tollere uideantur. Sed, q̃ hoc ſtultè cupiant, q̃ furiosè, præcipiant arbitror tibi ſatis iam his, & ſuperioribus literis eſſe demonſtratum; ſic ut, ſi fateri neceſſe ſit multis partibus eſſe non melius tantum, uerum etiam facilius, Latinam linguam introducere etiam ad pueros, ad mulieres, communemque ad vulgarem totius Italiæ conſuetudinem loquendi; quàm illi ſtatum, in quo nunc eſt uel mediocriter labefactare.

Vale.

PAVLO MANVTIO ALDI FILIO, VENETIAS.

Consilium meum ſæpius ad te ſcribendi, nolim putes uoluntate aut negligentia intermiſſum: ſed quod antea ſcire cupiebam, an redditæ tibi ſint ſuperiores literæ meæ, quas Aſtuneo ad te ſcripſeram. Nunc uerò de ijs, quùm diu iam nihil poſſem intelligere, atque eas non eſſe perlatas inciperem ſuſpicari: Scipioni Granapheio, mihi in primis caro, & nobili adoleſcenti has ad te dare uolui, quibus (redditæ ſi eſſent ſuperiores) me & memorem promiſsi atque inſtituti mei, & tui cupidiſsimum, ac uirtutis tuæ ſtudioſiſsimum eſſe cognoſceres. Nam, quod totum ad hoc tempus attinet, quo nihil ad te dedi literarum, illud etiam acceſsit, quod (ut antè oſtendi) me Vriam, id eſt ad uacuam negotiatoribus urbem, & à maritimis longe remotam recepi, & quod dolore impeditus ex immatura morte Mediani Corradi optimi, & iucundiſsimi fratris, nihil aliud, quàm de meo luctu poteram cogitare. Illo enim amiſſo, in quo ſpes omnes otij, rei domeſticæ, familiariſque, & ſuauitatum omnium locatas habebam, ipſa etiam ſtudia literarum fugiebam: ut ægroti quidam minus patienter aduerſam ferentes ualetudinem, medicinas maximè ſalutares aſpernantur. Nunc uerò ſimul atque me aliquantulum collegi, & in mœrore adhuc, & diſperatione rerum omnium, quarum ex illo fructus capiebam, cum literis in gratiam redij; Scipionem ipſum Patauium iuris ciuilis, & literarum gratia proficiſcentem rogaui ad te uenire: ut, quemadmodum anno ſuperiore Marcellum fratrem meum miſi, qui te meo nomine ſalutaret; ita nunc mihi coniunctiſsimum, & ornatiſsimum adoleſcentem cum literis ad te, mandatiſque mitterem. At, quoniam fore etiam uidebatur, ut fortaſſe nondum literas meas acceperis, quùm is ad te ueniret; mandaui ut coràm, de tota in te uoluntate mea plenius loqueretur; & ſuperioris epiſtolæ exemplum ad te mitteret, quum Patauium perueniſſet. Interim uerò de me, & ſententia de te mea ſic habeto, neminem eſſe hac ætate, ac ne fuiſſe quidem iam mille quingentos annos amplius, quem latinis literis illuſtrandis tantum, quantum te unum contuliſſe putem; Si ad ea præſertim, quæ ſunt à te ſcripta diuinitus, anti-

quitates etiam acceſſerint, & quæ habes in manibus monumenta pulcherrima ingenij & ſcientiæ tuæ. Hæc tamen opera, & in omnes homines beneficium tuum, quantum ſit, nemo ſatis poteſt intelligere, niſi qui rectè cogitet artes omnes, ac diſciplinas, diuinas humanaſque leges, ſacra, ritus, religiones, inſtituta maiorum, & quicquid literis continetur, unius cum Latinæ linguæ cultu manere, & illius interitu interire. Neque id eo dico ſolum, quod ſine hac lingua, harum quoque rerum, cum reliquis gentibus, atque omni Europa communicationem tolli neceſſe ſit; quocirca nulla eſſet hominum uita: ſed quod ſiue ratione aliqua, ſiue caſu, aut fato quodam, illarum cognitio ſemper apud nos cum ſermone Latino aut floruit, aut labefactata eſt, aut extincta, aut reſtituta, neque hactenus contigiſſe ſcimus, ut illius conditio, quæcunque ea fuerit, non ad cæteras quoque artes uniuerſas permanarit. Quamobrem, ut te ſemper ſum admiratus iſta mente hominem, qui tuis tantis laboribus, & excellentiſsimis ſcriptis, ad ea nos ſtudia inuitas, quæ multo ſunt omnium grauiſsima: ita iſtos non fero, qui corruptam ſua ſponte Italiæ iuuentutem à ſuperuacuo diſcendi ſermonis Latini labore, hoc eſt (ut ipſi quidem ſentiunt) ab aliena lingua dehortantur. Nam quod diſputent ea lingua ſcribendum, ad quam ſimus non docti, aut inſtituti, ſed nati, & parentum & nutricum domeſtica conſuetudine educti; & Latinam fuiſſe quondam ſeruis etiam, & multitudini infimæ vulgarem: ſunt hæc partim obſcura, partim falſa, partim non efficiunt, ut alio ſermone, quam Latino ſcribendum putemus. Primò enim, quando hoc ſpectandum in linguis, acuti homines arbitrantur, non uidentur mihi ſatis intelligere, cur multa millia ſapientiſsimorum hominum, toto ex orbe terrarum, Græco potius, quàm patrio ſermone ſcripſerint. Neque de Italia, Sicilia, Aſia, Ionia, Aetolia, aut alijs regionibus dico, ad quas Græci colonias miſerunt: ſed Aphrica. Aegypto, & Aſiæ ultimis terris, unde innumerabiles extitere, qui Græcam linguam, non dico pluris, quàm ſuam faciebant, ſed Græcam ſemper amplexati, de ſua uix, aut ne uix quidem literam ſcribebant ullam. Publicè autem quis ignoret in Aegypto, ac præſertim Alexandriæ proximum, atque in Græcia, uel Athenis ipſis, ne dicam par ſtudium Græci ſermonis olim fuiſſe? Taceo pulcherrimum factum Ptolemæi Philadelphi, & cætera, quæ declarant in ſermone,

mone, non ut in eo ſimus nati, ſed grauiora quædam ſequi oportere. Quid noſtra etiam lingua? nonne illis temporibus, quum deſita eſſet uſurpari à multitudine, ac deleto Romano imperio, ab externis gentibus quàm plurimis recepta eſt, & auguſtiſsimè adhuc tenetur? Quod ſi hæc facta aliquando eſſe cognoſcerent; uel, quare acciderit ut Græca totius orbis communis lingua haberetur, non ignorarent, uel noſtram, ut dixi, cur tam multæ gentes ultro acceperint, nullo coactæ imperii metu intelligerent, illam minimè clamarent eſſe alienam, quia ſolùm Romæ; & in paucisſimis ciuitatibus, non ut antea latinè uulgus promiſcuum loquatur; quùm potius in ſenatu etiam & in foro, ſciamus breui tempore paucisſimos latinè incorrupteque loquutos fuiſſe. Sed hæc ſunt à nobis alio loco, multis uerbis olim refutata; etſi nolim, quæ ſcripſi, & huiuſmodi ineptias, ne illorum quidem cauſa, in manus hominum deuenire, & mihi laudanda erant nunc altiora quædam conſilia animi tui, & rationes ſtudiorum tuorum. Scio enim in ea te eſſe ſententia, ut credas, aut hanc unam linguam nobis eſſe retinendam; aut in Italia, & cunctis nationibus, omnes omnium gentium ac populorum linguas eſſe perdiſcendas. Quamobrem te monere non audeo iam, ut ea uel complectare, uel defendas, per quæ ſciunt omnes tibi immortalitatem eſſe comparatam: ſed gratulor potius tibi eam gloriam, quam paucisſimi olim Romæ, etiam quum floret ea reſp. ſunt conſequuti. Ego quidem certè ſic delector tuis ſtudiis, doctrina, cultu orationis, & fama laudum tuarum; ut mihi uehementer ſit in optatis, aliquo tandem loco eſſe apud animum tuum, & cognitam eſſe tibi ueterem in te beneuolentiam meam. Nam, quum multos annos Romæ fuiſſem, & interim ſępe M. Antonij Flaminij ſermonibus fruerer, & doctos omnes perquirerem, quos mihi colendos omnes ſtatuiſſem mihi contigit nunquam ſcire, quùm tu non ſemel in urbem uenires. Aliquando igitur, ut tecum loquerer, uocauit me in domum Marcelli Ceruini Angelus Maſſarellus annos circiter duodecim, antequam ille Pontifex Maximus eſſet factus; ſed, quùm te in Marcelli ipſius ſermonibus occupatú, aliquot horas expectauiſſem, ita diſceſsi, nollem primo cõgreſſu meo tibi afferre moleſtiá, & ſperare prius, quâm Roma aliquò exires, fore ut cõuenire te poſſem. Qm̃ uerò mihi nõ contigit, quod tantopere cupiebam, ut tecum, uel de ſtudijs uel de meo in te animo præſens cõicarẽ; oro te ſaltem literis, quam poteſt

per

per longinquitatem crebertimis, mutuam noſtri memoriã conſeruemus. Scipionem meum optimis moribus adoleſcentem, & bonis literis deditum, ualde tibi commendo: quem ſi opera, aut conſilio tuo iuueris, facies & illi, & mihi gratiſsimum. Sed is tamen exemplo incitatus meo, gratius nihil putat colloquio, & amicitia tua. Vale.

Vriæ. pridie Calend. Septemb.

CAROLO SIGONIO, PATAVIVM.

SVMMAE uoluptati mihi fuit, quod erat poſtremũ in epiſtola tua, ſummũ tibi locum Patauij, atq; munus eſſe literas docẽdi. Itaq; gaudeo uehementer, nec ſolũ tibi, ſed omnibus rectiſsimis ſtudijs atque Italiæ, externarũq; gentium iuuentuti uideor mihi poſſe gratulari. Equidem ſic mecum ante ſtatueram, deberi mutuo ſibi, illum honorem, & literas, eloquentiam, ac uirtutes tuas, nunc uerò minime dubia ſpe ſum fore, ut bonis literis omnibus, ac latinæ linguæ, non doctor modo excellentiſsimus, aut cultor ſumma diligentia, ſed patronus etiam acerrimus deeſſe non poſsit. Vtrumque enim rectè, & puriſsimum tuum dicendi genus ex tuis libris, & contra ſtultos homines ex oratione quadam, de latina lingua ſententiam cognoui. Ac ſcito mihi illam orationem luculentiſsimã rectiſsimè habitam, & iſtis temporibus, atque indoctorum hominum inſolentia, maximè neceſſariam eſſe uiſam. Contigit mihi etiam aliquando, ut iſtorum inſania prouocatus, de re tota accuratiſsimè cogitarem; & amicis, qui id à me petiuiſſent, multis uerbis reſponderem. Credas mihi uelim, altius omnia ac ſubtiliter perſequutus, planè uidi ac perſpexi, tamquam ea quæ ipſis oculis cernuntur, nihil ab iſtis nouis doctoribus in latinam linguam, nihil in res humanas diuinasque omnes, ſtultius ac dementius dici potuiſſe, aut cogitari. Dolebam antea latinitatis cauſſam à pauciſsimis, uix uno aut altero è doctis hominibus, neq; ſatis uehementer hactenus eſſe defenſam, ut iam erubeſcere inciperem, quòd mihi penè ſolus eſſe optima in ſententia uiderer. Poſtea uerò quàm te mihi præterea & Manutium repentè animaduerti ea in re factos eſſe duces; non dico reſpiraui, ſed riſi potius me, quod iſtos mihi tantis ex delirationibus diu cognitos unquam hominum loco duxerim. Tuli enim ac laudaui etiam Speronem, quòd homo literis & ſcientia clarus ita diſſentit à nobis, ut modeſtiam ſeruet, neque ut cæteri, linguam latinam putet obeſſe ſtudijs, & auferendam prorſus cenſeat oportere. Intelligis ergo me non hunc aut ſimiles ita contemnere, quanquam ab ijs omnino diſſentiam: Sed illos tantum, qui in latinitatis nomen ſunt in ecti, quoſque animaduerti à te eſſe reprehenſos. Denique eo reuertor ut honorem tuum atque munus gratuler ſtudijs & eloquentiæ Romanæ cui ex iſta urbe ſperamus te do

DECIO ROMANO, TARENTVM.

QVae mihi ad latinam linguam tuaq; ſtudia pertinere uidebantur, longum erat, hanc ipſam in epiſtolam includere, Itaque aliis in literis collegi ea quæ utinam literati omnes, utinam ego met ſeruare queam. Facile eſt enim, & breue, ſumma omnia præcipere: ſed longiſsimi ſtudij, exercitationis, nec mediocris eſt ingenij, oratione facienda conſequi ea, quæ ipſe præceperis. Nam ut latinè, eleganter, apte, diſtinctè, ornatè, breuiter, dilucidè, ſplendidè, ſuauiter, probabiliterq; dicamus, & his difficiliora, ſingulis uerbis præcipere ſolemus, quæ paucíſsimi à primo ortu eloquẽtiæ & ſermonis, ad hodiernũ uſq; diẽ pręſtiterũt. Quamobrẽ, quùm hæc omnia exercitatione potiſsimũ conſtẽt illud maximè te monendũ putaui, ut quùm dicendi & eloquẽdi præcepta cognoueris cõtra difficultates omnes remediũ eſſe ſingulare, ſi difficultates aſsidue eſſe maximas recordere. Genus quoque perfectũ latinæ dictionis, te uelim exiſtimare paucíſsimos quidem homines, etiam ſalua Rep. Romanorum eſſe conſequutos; uerum nihil eſſe quod aſsidua opera, magno ſtudio, & accurata diligentia uinci tenerique non poſsit. Declarat hoc, quòd ætate noſtra plurimi excellenteſque uiri, quum rectiſsimè, quæ dico, intellexerint, illos etiam qui ſtatim poſt Octauiani Auguſti imperium ſcripſiſſe, hac dumtaxat latinè loquendi elegantia uicerunt. Quo circa magno errore ac ſtultitia ij tenentur, qui uſum latinæ linguæ clamitant relinquendum eſſe; quia, præter alia multa, quum in conſuetudine vulgari ac domeſtica non ſit, rectiſsimè illum diſcere non poſsimus. Vides enim, ut Italiæ ac totius Europæ innumerabiles uiri doctiſsimi, diuinitate loquendi, elegantia, & omni apparatu orationis, probant iſtos homines inſanire? Quid uero noua lingua ipſi moliuntur, qui nec latinam auferre de ſacris & profanis rebus omnibus, & toto ex orbe terrarum, nec ſuam ex tam anguſtis finibus Italiæ ad nationes exteras ullis unquam ſeculorum ætatibus poterunt mouere? Fuit hoc Athenienſium, fuit Romanorum; qui non colonijs tantum, ſed imperio, atque armis hoc facere potuerunt. Illi enim apparatus bellorum, illi duces, illi faſces, illa imperij maieſtas, illi præfecti fabri illæ machinæ, illi cuniculi, turres, uineç, arietes, illæ uictoriæ, ac triumphi latinam linguam exteris nationibus, etiam illo tempore inuitis, reliquerunt. Quod ſi no-

ſi nobis hæc adeſſent omnia, quæ triſtiſsimo fato Italię, miſerrimā in ſeruitutē ſunt cōmutata: non tamen effęminati iſti, laudatores mulierum poſſent ſpē habere ullam fore, donec erunt homines, ut uel unum in uicum ſua lingua à Tranſalpinis hominibus recipiatur. Nam Romani, illis temporibus hoc fecerunt, ut linguam Romanā dilatarent, quum alia lingua uel ipſis Romanis, uel nationibus exteris nō erat, quæ in omni ſcriptorū genere, in diuinis humaniſq; legibus, in religionū libris, ac deniq; in cœlo (propè dixerim, tam altas radices egiſſet. Quamobrē te laudo Deci, quod extricare te ab iſtorum ineptijs, & falſis opinionibus; ad latiniq; ſermonis dignitatē, atq; amplitudinē, qui tibi ab ineunte ætate, opera doctiſsimi uiri patris tui, fuerat rectiſsimè cognitus, deniq; redire uoluiſti. Errore. n. à noſtra lingua defeceras non tuo, ſed omnium, qui ſtultiſsime nobis aduerſantur. Iſti nanque molles ac delicati homines illud ſpectant maximè, quod ſe pro literatis hominibus latinè ſcribendo, neque mulieribus, aut exoletis, neque in tonſtrinis, aut lupanaribus, neque in principum ac Regulorum domibus uenditare poſſent. Verum enimuero Deci, ſic te uelim exiſtimare, non tanti eſſe non modo ignauiam illiteratorum Principum, & eorum qui in ciuitates, qui in prouincias, qui in populos, ac regna habent imperium, ſed ne ipſa quidem regna, & orbem terrarum, quanti Linguam noſtram teneri à cunctis mortalibus, qui religionem ſeruant Chriſti, & eſſe, quemadmodum eſſe neceſſe eſt, ſempiternam. Nam, quod aiunt etiam non eſſe noſtram; illam uerò ex his quæ dicta ſunt, apparet, magis noſtram nūc eſſe, quam olim Romanorum fuit. Quod ea lingua ſcribendum putant, in qua ſimus nati, reclamāt omnes omnium gentium ac populorum ex ultimis terris docti homines, qui Græcè aut latinè omnes ferè ſcripſerunt. Affirmo denique, ab iſtis, qui noſtram linguam ſunt inſectati, patronis uidelicet omnis imperitiæ, & corruptoribus Italiæ iuuentutis, ac ſtudiorum omnium, nullum denique argumentum, neq; uerbum aliquod eſſe contra nos dictum, quod diſputando magis, quàm ridendo, ſit neceſſe refutare. Eſto enim, recens hæc lingua Italiæ placeat, laudetur, & iure etiam laudetur: quorſum tamen attinet latinā lędere ac temerè omnibus humanis rebus perfunctā iactare, de naturæ humanæ, terminis uelle eijcere, tam falſa colligere, præcipiteſq; ferri, tanta in nos rerum inanitate pugnare; quum ſi illa extingueretur, ſuam ipſi tenere non poſsint? Vtrum dolere me fortaſsis putabunt, & inuidere felicitati linguæ ſuæ? Primo, nihil

nihil eſt illo quidem nomine quod doleam; ſed quod latini ſermonis (ut dixi) æternitate queam gloriari. Deinde, ſi non ipſo cum genere hominum atque mundo illum durare cogerent cauſæ, quas dixi, ſempiternæ; gratias Dijs immortalibus agendas putarem, quòd alteram denique in Italia linguam eſſe uoluerunt, quæ ſpirare ſine ope noſtræ linguæ non poſsit, ut uel cauſa illius noſtrã quoque Itali homines in tempus perpetuum ſeruare cogerentur. An illud dicere audebunt quod uideo à multis eſſe iactatum, poni ſcilicet nimis longum tempus latinis literis diſcendis, quod aliis diſciplinis dandum eſſet? Sed quid non audet arrogantiſsima indoctorum hominum impudentia? aiunt enim ſi repudiato uſu noſtri ſermonis, tantum ſua lingua ſcribatur, nobis in Italia Theophraſtos ac Platones quam plurimos non eſſe defuturos. Ego uerò, nõ ſum neſcius quoſdam ex iſto grege hominum, qui dementię quoque in ſuis ſcriptis cognomine gloriantur, hoc ſolere dicere, ac de ſe tanquam rectiſsimè in ea lingua ſcribant, magnifice ſentire. Sed profecto illi errant uehementer, & neſcio, an plus requirat ſtudij ac temporis illorum ſermonis perfecta cognitio quam latini. Non neceſſe habeo diu hic argumentari, quùm res loquatur ipſa. Quotus enim quiſque eſt ex ijs quem dicas rectiſsimè ſcribere? ne illi quidem qui fiducia nouæ eloquentiæ uarijs modis in latinitatẽ ſunt inuecti. Si quis tamen hoc in numero haberi poteſt; interroga, utrum à nutricibus (ut aiunt) eam linguam didicerit, in qua ſit natus; an penè quadraginta annorum ſtudio ſit uix omnino conſequutus? Qui uerò latine hodie ſcribunt multi, quam plurimos eorum (ut dixi) qui media in latina lingua & uſu domeſtico ſunt nati, uicerunt. Verum inſulſitas iſtorum hominum ac ſtultitia non hoc loco à me reprehendetur. Quamobrẽ tu Deci, ualebis, mihique ignoſces quod maturius, ad te ſcribere, ut à me petieras, de ſtudijs tuis non potuerim: & quo tempore cum latinitate in gratiam rediſti, quæſiſſe te meam amicitiam recordabere. Calend. Quint. Aſtunei.

MEA epiſtola, de qua per Gryphonis fratrem ſcripſiſti, manu pueri fuit, miratus ſum hoc te ex litera non cognouiſſe: ego ēt ad tuas literas quùm ſubito reſponderem, non ualde quid egiſſem recordabar. Nunc & ipſe ſcio, & puer etiam de palym pſeſto à ſe deſcriptam eſſe epiſtolam reſpondit. Eſt porrò illis hoc uitium, ut aliis literis, quam oportet, negligenterque deſcribant omnia. Epigramma petit à me tuo nomine Donatus Caſtilio meus, quod olim ego de Catullo, aut unde? grę cè uerterim, neſcio, quid hoc ſit; nec uideor ad huc mihi hoc genus attigiſſe. Illud enim, de quo ſæpius ad me ſcripſiſti βάρβαρα τω ϱαμίδων nec probaui unquam; & mi Pallia, credas mihi uelim, in ſchedis meis omnibus fruſtra ſæpius eſſe perquiſitum. De ſermonis Græci & latini copia, quæ (ut ſcribis) noſtri amici Venetijs diſputabant; ita accipio, ut quæ ſcribere, non auderent: ego neutram in partem conſtituo, quid ſentire oporteat. Quod etiam Theodorus Gaza, ipſum quoque M. Tullium non ualde putet hic eſſe audiendum, ne id quidem uidero: illud equidem exiſtimo, non græcis tantum auctoribus in latinum uertendis, uniuerſa hac de re poſſe iudicari. Quis enim Theodoro non aſſentiatur, noſtra hic non ſuppetere nobis omnia? At contra periclitandum eſſet, & rectiſsime uidendum, quid accidat, ſi non philoſophiam, aut quæ ipſis à græcis inuenta primùm, cultaque ſunt, latina faciamus: ſed aut T. Liuij hiſtoriam, aut ius ciuile, aut quæ ipſi nobis Romani quondam pepererunt, græcè transferamus. Hic errat, qui me alterutram in partem putat habere, quod ſentiam. Arbitror autem neque M. Tullium ex paucis omnino uoluiſſe, neque Theodorum, aut alios, tantum ex græcis in latinum uertendis, utra maior copia ſit poſſe iudicari. Scribis dixiſſe me in eadem epiſtola, maiore exiſtimatione latinam linguam eſſe hodie, quam ſaluis rebus Romanorum fuiſſet. Hoc ego mi Pallia neque dixi ad huc, neq; dictum uolo. Sin illud miraris, quod fieri non poteſt, ut ne dixerim, lumen eam, atque ueluti ſolem eſſe quendam nunc humanarum ac diuinarum rerum omnium, magiſque neceſſariam cunctis mortalibus quàm illo florente imperio, debet hoc rectiſsimè dictum uideri. Lingua enim omnis tum neceſſaria magis eſt, & illius cauſa grauior, quùm habere incipit maiora & grauiora, quæ

cum

cum aliis communicare debeamus. Nemo igitur ita inſaniat, ut hominum commercia, aut Romanorum imperium, aut in terris, aut ipſo etiam in cœlo putet aliquid eſſe tantũ: quantæ leges Chriſti ſunt, quæ illis temporibus in Romana lingua non fuerunt. Humanas uerò diuinaſque leges omnes, & quicquid ad humaniorem uitæ cultum pertinet, non poſſe omnino cum gentibus externis communes eſſe, niſi hæc noſtra lingua adiumento ſit, quæ uel in tota Europa intelligitur; non uideo, quis audeat negare. Siquando etiam ante mundi huius interitum felix aliquod è cœlo nobis lumen affulſerit, ut in Aſiam religio noſtra, in Africam, atq; Aegyptum, redeat; non dubium eſt toto in orbe terrarum ſermonis quoque latini conſuetudinem ſempiternam fore. Dementiæ enim eſt, hanc linguam, diuinas à principio leges complexam, putare non religione eſſe conſecratam. Stupiditas eſt inuſitata illorum omnium, qui uſum latinæ linguæ, tolli ſine religionis interitu, aut religionem dilatari ſine huius propagatione linguæ poſſe arbitrantur. Si qua ſunt illa in epiſtola huiuſmodi, ſcito à meo & grauiſſimorum hominum ſenſu non abhorrere, at maiore exiſtimatione latinitatem eſſe hodie quam olim fuit, non dixi unquam; eſſe autem debere, nihil eſt, quod uerius ego, & omnes homines queant affirmare. Quod cupis mea ſcripta quam primum in manus hominum uenire, agnoſco amorem tuum, & opinionem, quam præte tuliſti ſemper, nimis fortaſſe magnam, ingenij ac ſtudij mei. Sed acceperam his de rebus, multo ante literas: quibus literis, etiã ſi rogarer, trigeſimo tamen abhinc die reſpondi, uelle me rogata facere, ſi darent mihi fidem: ea litera meos libros fore, quam ego maxime uellem. Credo operam daturos, quo mihi ſatisfiat, & quum certi erit aliquid, ad te ſcribam. A Manutio adhuc nihil, quod tua ualde interſit ſcire. Aldo eius filio petenti, debeo inſcriptiones antiquas, aut Apuliæ, aut Salentinorum, miſi ad illum quicquid eſt hactenus inuentũ: tu etiam cogita, mi Pallia, ſiquid me potes adiuuare. Italiam Ruſcelli cupio abſolui, & noſtram illi Vriam eſſe commendatam, obſecro te, aliqua etiam ſit meo nomine ſalutatio ad illum in literis tuis. Quæras uelim deligenter, an Vriæ τοποθεσίαν is à me acceperit. Non difficile eſt ſcire & uereor iam aliquid, nec animum ſatis probo illius, ad quem ſcribis à te miſſam. Temere uelim hoc à me cogitari, fac doceamur ipſius ex Ruſcellij literis. Amo equidem te, ut magis neminem; & gaudeo meam tibi beneuolentiam non eſſe obſcuram: ſed tributo

KK 4 tamen

tamen meam opinionem, ac laudem doctrinæ tuæ, recto iudicio, non amori meo. Nam, quod ſæpe etiam genus orationis probaui tuum, idque mihi tu non aſſentiris; Hic aut laudem neceſſe eſt modeſtiam tuam, aut moneam γνῶθι σαυτὸν excellenſque bonum tuum ut agnoſcas. Illa enim, quæ mihi placet uehementer, & à doctis laudata eſt Xenophontea ſimplicitas, aut in paucisſimis præterea, aut in te uno potius uidetur eſſe pulcherrima. Tu ita hoc accipias, ut uelis; ita uelle cupio, ut oportet. Ferrarium ſaluta, & Gallum meis uerbis. Vale. Id. Iun. Vriæ.

IOAN-

IOANNI ANTONIO PALLIAE.

SCIRE cupiebam, an ad te ſint perlata, quæ ſcribere me uoluiſti de controuerſia Aſtunceníium Pontificis (ut ipſe arbitrabare) cum uirginibus: oſtenderam pluribus cuiuſmodi eſſet, & ad quos deniq; res pertineret. Ea de re nulla ſignificatio erat proximis in tuis literis; uidebis num quid aliter, ac ſperatum ſit, ad meque perſcribes. Quæ dubitas in epiſtola mea, ſunt minimè obſcura. Sola enim imperij maieſtate olim uel Romani, uel Græci fecerunt, ut ſua lingua publicè etiam ab exteris gentibus tanto in honore haberetur. Nunc tamen utranq; æternam eſſe neceſſe eſt: illam grauitate & amplitudine ſcriptorum: noſtram uerò & iiſdem rebus & ſanctiore etiam, atq; anguſtiore imperio, quam olim fuit. Romæ enim imperij ſedes Pontifici Maximo diuinitus tradita eſt, qualis ea cunque nunc uidetur, non terrarum finibus, ſed cœli regionibus terminata. Hinc ea lingua ius Pontificium, ſacra, ritus, ceremonias, & quicquid ad religionem hanc tuendam pertinet & leges dantur exteris nationibus, qua ſola perfici res tantæ poſſunt. Nam aut latinitas prætereа hic ſola tenenda eſt, quam beneficio populi Rom. in plurimas orbis terrarum partes miſſam, religio, tota ſaltem in Europa confirmauit; aut nobis barbarorum omnium linguæ omnes perdiſcendæ. Quo enim putamus hoc Pontificis Maximi imperium, & leges, & ſummam religionem eſſe euaſuram, ſi noſter ſermo communioq; linguæ auferatur? Hoc igitur dicere uolebam, ſi quo in tempore nos tam diu miſeri atq; abiecti clementiore cœlo uti cœperimus, ut religio noſtra eo reuertatur, unde eſt iam pridem à barbaris eiecta, non dubiũ eſt noſtram linguam eodem eſſe redituram. Hic tu exiſtimare te ſcribis, in Greciam poſtliminio græcam potius receptum iri. Si pateris adiuuo ſententiam tuam ut linguas antiquiſsimas omnes credam (ut nunc ſunt) magno ſemper apud nos etiam loco futuras. Iudæorum oportet eſſe ſacrã, neq; finem eius ullum uideri. Chaldæorũ plurimi fit à noſtris etiam doctis hominibus, hodieq; patet latiſsime apud ſuos. His exceptis, confirmo aliam non fore donec erunt homines, quæ digna exiſtimetur ijs rebus omnibus, quas ante nominaui. Aſſentirer futuras alias, niſi etiam tanta eſſet Romanorum; nec illius tam alta fundamenta in rebus omnibus grauiſsimis, ante duo millia annorum iacta eſſent; nec iam altitudine ſua cœlum attigiſſet. Dubitare te ſcribis, quid

putes futurum, noſtra religio, ſi in Africa renaſcatur. Hic ſignificas mihi, quod ad latinam linguam propagandam attinet magni ducere te, quod imperium hodie non ſit amplius Romanorum. At Romana lingua minus omnino, quàm Romani, carere poteſt hoc imperium Chriſti, & religionis: cuius cognoſcendæ cauſa nationes multæ, illam ſunt amplexatæ, quam antea à Romanis cum imperio allatā reſpuiſſent. Quod enim ipſi orbis terrarum principes non potuerunt, hoc religio ſola potuit efficere; ut Britanni, Celtiberi, Cantabri, Germani, Sueui, Heluetij, Dalmatæ, Pannones, tanquam cœleſte donum, receperint hanc linguam, & re uera ex uſu illius, auctoritateq; eorum, qui illam afferebant, cœleſtem eſſe cognoſcerent. Non enim, quemadmodum Italia, Hiſpania, Gallia, & nationes aliæ quædam: ſic gentes illæ, quas numeraui, quem hodie ſeruant latini ſermonis uſum, de Romani potius imperij, quàm de religionis & iuris Pontificij & ſacrorum communione, illum acceperunt. Dubitari ergo una de gente non poteſt, quum ſciamus, tot aliæ nationes maximæ, quid rectè neceſſarióque magiſtris religionum iubentibus numineq; e diuino inſtinctis, fecerint. Huiuſmodi de rebus tamen, ſi quis uere & grauiter iudicare, aut loqui uolet, eius ego libentiſsime ſententiam ſequar. Nunc illud affirmo hac de re nihil à quoquam diſputari aliquando debuiſſe, & nimiam hactenus patientiam fuiſſe latinorum hominum, & à laudatoribus mulierum (ne quid putes eſſe, quod plurimi à me diſſentiant) nihil rectè hic eſſe cogitatum. De inſcriptionibus longum eſſet dicere, quas à te acceperim: ſic tamen habeto, mihi fore nouas, quæ intra hoc biennium ad te ſunt allatæ. Ad Ruſcellium, ut uelle te cognoui, ſcribam, ſiquid ero natus ocij. De Robortello & Sigonio aliquid iam ante inaudiueram. Laudo, quod factum eſt. Ad Gallum ſi quid des literarum, illi ex me ſalutem aſcribes. Vale.

FVLVIO CONSTANTIO, PVTEOLOS.

NEQVE ad diem redis, & nou's me quæſtionibus aufers à cogitatione rerum tuarum. Minus eſſet negotij ſi adeſſes, aut ego tecum Puteolos ueniſſem. Oro te, hæc differ ad reditum tuum, niſi abeſſe reliquam æſtatem cogites. Nunc de ijs quę rogas uidero quædam alias, per otium uel reijci patiare ad congreſſum noſtrum. Coram potius hæc ridenda ſunt. Nec illud quidem puto eſſe epiſtolæ quod linguæ de latinæ cauſa, omni in ſermone ſoleo perinuitus reſpondere. Crede mihi, nulla res eſt à qua tam uehementer mea non oratio ſolum, ſed mehercule muta etiam cogitatio abhorrere ſoleat. Reſpondi equidem hac de re multis olim, & multa, ſed tum erat ætas ea, cui liceret apud inſanos ineptiſsimis de rebus diſputare. Nec mouet me ea ratio quæ ſolet multos parũ graues homines mouere, plurimos uideri eſſe doctos homines, quibus, rediculè facere uideamur nos, qui latinè ſcribimus. Ij ſunt quorũ non eſt neceſſe diſputationes, & inſaniſsima oĩa recenſere. Nimis inueteraſſe noſtra, & ipſam conſenuiſſe naturam cenſent & inutilia eſſe iam quæ nos admiramur, quoque fiant inutiliora aliud ſeſe nouum, atq; admirabilius cœlum eſſe facturos. Non is tamen ego ſum, neque eum te eſſe cupio, qui uulgi rumuſculos & ſtultitiam atque inſaniam potius multitudinis, uel flocci faciendam putemus. Nec dicam in ea re ego, iſtos homines ut Gygantes quondam in fabulis bellare cum Dijs, quod ſibi pro ingeniorum peruerſitate ac dementia honorificum putarent, ſed hanc fæcem hominum atque ſentinam ea in latinitatem ſomniare, quæ nec uniuerſum genus humanum poſsit efficere, nec ſi poſſet, minus perniciosè faceret quam ſi de mundo Solem auferret, ſcientijsque & legibus & religioni ſummæ, rebusque diuinis & humanis omnibus tenebras atque obliuionem ſempiternam induceret; Non perſequar longius, ut hæc deſtinguam apertioraque faciam, quo illuſtrius cognoſci poſsit, quibus modis infinitum ex ea re malum crearetur. Qui enim per ſe non uidet, eo ſcelere tolli commercia & conſuetudines non modò ſtudiorum, ſed rerum quoque omnium quæ literis continentur, & illarũ, & ſacrorũ omniũ, & communicationes cum uniuerſis gentibus orbis terrarum, hoc minus profectò uidebit ex oratione mea. Tu uerò quũm hęc uideas, & plurima hac ætate, excellentiſsimaque in literis omnibus ingenia, neque

Roma-

Romanis, neq; Athenienſibus inferiora & donec erit genus humanum ſemper futura ſint, laudo, quod ſcire te uelle ſcribis quid iſtis hominibus reſpondere debeas. Sic tamen habeto non difficiliuſ eſſe latinitatem, quam res diuinas humanaſq; omnes, quas iam dixi defendere. Coniunctam enim eſſe illarum & huius cauſam, ne iſtorum quidem inſulſitas hominū ac demētia negare audebit. Animaduertis igitur hic nullum eſſe finem ſi multa perſequi, & illos obruere ſi uelim. Quam latè enim pateat hæc ratio tu optimè perſpicies, nec me in hanc diſputationem ego amplius interponam. Illud unū uolo mihi equidem eſſe grauiſsimum, ut quæ ſcribam non ad rudes tantùm & ſolos Italiæ angulos atq; fœcem pertineant ſed à doctiſſimis Europę & omnium gentium populis legantur. Hoc loco enim illud mihi uenit in mentem ut rectum aliquid iſtos homines cupiā, ſi non uirtute, boniſq; moribus permotos, at uitio ſaltem, & ambitione impulſos cogitare. Nam ſi genus literarum & ſcriptionis aliquod nemo ferè ſibi (ut ſunt hominū mores) attingendum putaret, ſpe gloriolæ ſublata, utrum eſſe minus glorioſum putant à doctiſsimis Europæ hominibus, quàm intra anguſtiſsimos fines, ab ignaris hominibus & à ſcortis, in ganeis, tonſtriniſq; legi? Nos enim quod ſemper ab initio ſermonis latini, & ætate noſtra maximè gloriari poſſumus, ſi quid hominum memoria dignum ſcribimus, id ſummis uniuerſæ Italiæ ingenijs, doctiſsimis hominibus Galliæ, doctiſſimis Hiſpaniæ, Britanniæ, Germaniæ, Sarmatiæ, totius denique Europæ, ſcriptum erit. Et fieri poteſt ullo in homine ſtultitia tanta, ut hoc non uideat, inſania ut non curet, impudentia ut negare audeat? Nam ſi homines hominum cauſa generati ſunt, ut mutua ſe ope iuuare ac tueri poſsint cur in ea parte nō mutuò inter nos prodeſſe uelimus, qua in parte opem Dijs immortalibus proximam alij alijs afferre poſſumus? Cur nullo cum fructu, immò etiam peſsimo exemplo ac turpiſsimo, paucisſimorum ignorantiæ, atq; ignauię potius quam ingenijs & Induſtriæ omnium hominum cum laude & exiſtimatione antiqua & ſempiterna, non urbis tantùm Romæ, ſed Italiæ, & uniuerſæ etiam Europæ conſulimus? Me quidem certè, ſi non cauſſa hæc humanitatis & in commune conſulendi uoluntas permoueret, quæ barbaros etiam permouere ſolet, itaque eſſem ſtolidus ut nec ambitione quidem aut famæ cupiditate excitarer, at meo ſaltem commodo in latini ſermonis cauſa atque ſtudio continerer, ut ſi alijs prodeſſe nollem, aliorum tamen ope ac monumentis ingeniorum pulcherrimis toto ex orbe terrarum, ne carerem.

Non cogitant enim ſtultiſsimi homines quanta ſit res, unam à cunctis omnium gẽtium hominibus, uel à quamplurimis teneri linguã, religione, antiquitate, ſcriptiſq; rerum humanarum ac diuinarum omnium, iam ante duo millia annorum conſecratam. Vt.n.infinita & maxima non dicam, in religione ſemper diſſenſiones ortæ ſunt graues, & his annis quadraginta omnium teterrimæ; aliane lingua de his cum diuerſarum totq; gentium hominibus agi poteſt quam latina? Nec multis fœlicitatem prædicabo huius linguæ nouam, quę noſtra, aut patrum memoria, ad oras ſupra Atlantici etiam Oceani, non ante cognitas, uel auditas cum inuectione religionis ingreſſa eſt. Eodem penè tempore ad Auream Cherſoneſum, ad Indos & extremas regiones Orientis cum religione penetrauit, & ritu ſacrorum quæ ad ea loca importauere ſanctiſsimi homines ij qui dignisſimum ſuis factis, moribus, atq; uita à Ieſu nomine ſibi nomen ſumpſerunt. Hi ſunt qui, alij quidam noſtra ætate Apoſtoli quantam Alexandriæ, Byzantij, Antiochiæ, in Africa religionis iacturam fecimus, cumulatiſsimè in ijs quibus dictũ eſt locis, ad ultimos Auroræ fines reſtituunt. Porrò tu audiſti ex me ſæpius nec dubitat quiſquam ſermonis latini cauſam, diuelli à communicatione ſacrorum & religionis minimè poſſe. Qui hoc mihi non aſſentiatur huic mentem precemur ſanam & oculos. Quæ igitur latinè ſcribuntur toto in orbe terrarum legi poſſunt; molles uerò iſti & effœminati cantent ſua in doctis hominibus, uel in tabernis opificum, uel inter ſcortorum greges; uel de philoſophia ſcribant, uel mathematicis, uel hiſtorias temporum componant, quibus non ſtudia & artes ingenuæ ſed cupedinarij, fartoresq; adiuuentur. Hæc tu Fului quùm uideas, egere tibi uiſus es ad reſpondendum opera mea? Immo equidem nolo ad hanc rem ualde magna argumenta conquiras. Riſu enim potius καὶ ταῖς εἰρωνείαις quàm diſputatione, eiuſmodi cum genere hominum tibi agendum putabis. Neq; hanc epiſtolam ita accipies, quaſi te docere uoluerim quid reſpondere debeas. Si enim à doctis hominibus reprehenderetur conſilium tuum, & præclara inductio uoluntatis latine ſcribendi, non plura modo, ſed maiora attuliſſem: nunc ſtultis hominibus & qui nihil habent niſi arrogantiam, & ſimulationem doctrinæ, tantum non tribues, ut hæc poſsint, aut ſaltem irriſiones tuas intelligere. Quamobrem te hortor mi Fului ut hanc linguam non ſcientia tantum complectare, quam tenes rectiſsimè, à primaq; infantia cognoſcere cępiſti, ſed pro uirili parte etiam tueri & in hac urbe pulcherrima honeſtiore loco collocare. Poteris.n.aliquando,

adiunctis

adiunctis ad cauſam tibi, principibus uiris qui te ad rem præclariſſimam,& honeſtiſſimum facinus adiuuabunt. Illud ego uideo maximum,unde mihi non deſperandum eſſe uideatur,quod hic ſemper antea bonæ literæ floruerunt & patrum noſtrorum memoria, doctiſſimi poetæ ſcriptis luculentiſſimis, huius urbis nomen clariſſimum,apud omnes exteras nationes illuſtrius reddiderunt. Nunc paulum refrixerunt hæc ſtudia, quoniam ſolo ex iure ciuili aiunt, gradum ad opes fieri,atq; ad honoris locum. Itaque non magno ſolum ingenio uiri & quos recte iuriſconſultos queas nominare, ſed ſtupidi etiã,& ex plebe infima homines id arripiunt, clamitantq; in literas omnes, & ijs rebus uincere ſe putant, quas docti homines & conſultiſſimi iuris, in mercatore ac mancipe turpiſſimum eſſe iudicarent. Quare mihi quùm ſanctiſſima ſit illorum auctoritas qui ius ciuile cum doctrinis boniſq; literis coniunxere, ſtultis hominibus & ijs qui nihil præter iuris ciuilis umbram cognouerunt,ita referre ſoleo: ueſtræ ſunt opes,ueſtræ adminiſtrationes etiam,& gubernacula rerum publicarum eſt ſtupiditas ingenij,ignoratioque rerum & literarum omnium. Sed non deſunt hodie, extareq; incipiunt in hac urbe iam ingenia multa & præclara non ad ſenſum uulgi,ac multitudinis,uel ad quæſtum nata. Mitto enim eos qui philoſophię & ſcientiarum cauſa multos annos hic uixerunt atque in ijs plurimis Caſtorium Soranum, mihi coniunctiſſimum iuuenem, literiſq; omnibus ornatiſſimum; nec Petrum Roſinum dico, aut Franciſcum Gentilium, aut cæteros qui genus perfectiſſimum tenent literarum atque in doctrinis omnibus non quæſtus ſed doctrinarum cauſa laborandum putant: ſed mihi ijs de hominibus dicendum potius eſt ad quos pertineant ſtudia, & uſus gloria ampliſſimæ ciuitatis. Mihi cariſſimus inter multos fuit ſemper Marius Galeota iunior, nobiliſſimus adoleſcens,atq; doctiſſimus,quem certiſſima ſpes eſt,magnum adiumentum Romanis literis, & eloquentię,ex philoſophorum doctrina allaturum. Huic, par ætate & ſumma neceſſitudine coniunctus eſt Iulius Cæſar Carafa qui ius ciuile, ita complexus eſt, ut nullo modo tamen ſe à literis diſiungat. Marius Curtius nullam eſſe philoſophiam nullas omnino ſcientias arbitratur, niſi quas à Græcis aut latinis, linguarum doctiſſimis & perfectæ eloquentiæ auctoribus accepit. Illuſtris in hac urbe Federici Viualdi, Fabijq; Iordani fama eſt,nobiliſſimorum iuuenũ,qui ambitionem aſpernati, & quęſtum, ex literis omnibus, & iure ciuili in quo mirabiliter excellunt unam ſibi ſciẽtiam,Romanorum doctiſſimis parem,gloriam,decus,

&

& immortale nomen expetendum putant. Tranſeo Hieronymum Columnam qui ſua rectiſsima ſtudia præfert imaginibus & gloriæ maiorum. Tranſeo plurimos, nec defuturi ſunt unquam ſtudioſi uiri qui ad rem,ſibi & patriæ,& generi humano magis quam lumen ſo lis neceſſariam,ardentiſsimis animis,uel te,uel quemlibet auctorem ſequentur. Deniq; tamen ſic habeto ne ſperandum eſſe quidem, ut honeſtiſsima quæ ſunt, plures amplecti uelint. Paulo ſuperiore ætà te duo fuerunt lumina huius urbis,latiniq; ſermonis,& eloquentię, Actius Sincerus,& Iouianus Pontanus.Quid hos fuiſſe putas quùm uiuerent,in tanta hominum,& ciuium reliquorum,ſplendore,nobilitate, potentia? Crede mihi,à bonis paucisq; hominibus aliquo nu mero habiti, à cæteris, uel non cogniti erant omnino, uel fortaſſe etiam ridebantur.Nunc uerò duos tantum hæc urbs uidetur illa ętà te ciues habuiſſe,quos infinita etiam poſteritas hominum, externarum quoq; gentium ſit admiratura. Vbi ſunt.n. qui tum principes ci uitatis putabantur? Vbi Reges etiam illi,quorum fama, amplitudo, & gloria, duobus priuatis hominibus par eſſe non potuit? De ſitu autem & τοποθεσία Neapolitanæ urbis, deq; ijs quæ ſunt à natura, uel induſtria hominum admirabilia,ſiquis extet aliquando, illo mo re doctus,atq; inſtructus ad ſcribendum,quo tibi dicere ſum ſolitus, mihi quidem uidetur materia omnium digniſsima quæ ſcribatur. Sed omnino qui tẽtare hoc uelit,eum perambitioſum eſſe huius gloriæ oporteret, latinitatis autem & eloquentiæ ita ſtudioſum, ut ſibi Liuios Thucydidasq; omnes,artificio,ſplendoreq; orationis uincendos putaret. Illud affirmo, ſi hæc pro rerum admirabili natura ſcribantur, & ijs ingenium ſcriptoris & facultas non deſit illa, quã ego animo comprehenſam, in alijs probare magis quam ipſe præſtare poſsim, nulla fore ſcripta, quæ ſæpius & maiore cum uoluptate ab exteris nationibus legantur, & omni ex Europa doctos quam plurimos ad uiſendam hanc urbem & res Campanas cupidiſsimè eſſe uenturos. Tu ruſticatione iſta Puteolana iam deſine uti, & nos aliquando reuiſe: tum plura & magis per otium uidebimus. Vale Neapoli; Prid. Idus Maias LXIX.

AVCTORES QVI SAEPIVS HIS IN LIBRIS CITANTVR.

A. Cæcina
A. Gellius
Aquila Romanus
Balbus
C. Cæſar
C. Saluſtius
Cornelius Tacitus
Lex Romuli
Leges xii. tab.
M. Cælius
M. Cato
M. Tullius
M. Varro
M. Fab. Quintilianus
Ser. Sulpitius
Pomponius Iuriſcõ.
Q. Cornificius.
T. Liuius
T. Põponius Atticus
Catullus
Lucretius
Horatius
Ouidius
Plautus
Tibullus
Terentius
Virgilius
Atilius Fortunatian.
Aldus Manut. Senior
Aldus Manut. Iunior
Aelius Donatus
Cæſius Baſſus
Cornelius Fronto
Diomedes
Fabius Victorinus
Flauius Caper
Flau. Soſipater Cariſ.
Fuluius Rufinianus
Gregorius Corteſius
Nonius Marcellus
P. Rutilius Luppus
Priſcianus
Q. Terentius Scaurus
Q. Rhẽnius Palęmon
Q. Papirius
Martianus Capella
Sergius
Seruius Honoratus
Sext. Põpeius Feſtus
Suetonius Trãquillus
Terentianus Maurus
Verrius Flaccus
Valla
Valerius Probus
Vellius Longus
Anacreon
Antipater
Alexander rhetor
Ammonius
Ariſtoteles
Ariſtophanes
Baſilius Magnus
Callimachus
Demoſthenes
Demetrius Phalereus
Diony. Alicarnaſſeus
Herodotus
Heſiodus
Euripides
Iſocrates
Ioannes Euangeliſta
Ioan. Chryſoſtomus
Apollonius Alexan.
Herodianus Alexan.
Lucianus
Lucas Euangeliſta
Marcus Euangeliſta
Polybius
Homerus
Pindarus
Sophocles
Theophraſtus
Thucydides
Theocritus
Theodorus Gaza
Vlpianus rhetor
Xenophon.

A

A Litera vocalis. Pag. 19
A, Ab, Abs, præpoſitiones. 346.
AE, diphthongus, & AI. 35
Au, diphthongus. 36
Audacia, temeritaſq; eorum qui ſe Latinis numeris poeticis pares eſſe putant reprehenditur. 446.
Accentus tractat à 61. vſq; ad 76. vbi dictionem tractare aggreditur.
Auctoris modeſtia & labor latinitatis adiuuandæ. 65
Accentu differunt uerba interrogandi, referendi, infinitatis, 73
Accentum grauem quibus ſyllabis Aelius Donatus dederit. 63.
Aelij Donati in Terentium locus 70
Accuſando gerundium, etiam paſſiue dicitur. 270
Ades ad imperandum, quod loquendi genus ſit. 269
Accentuum ratio etiam in græcis quam plurimis Latina magis quã græca ſequenda eſt. 75
Ad, præpoſitionis exempla. 333
Aduerſum. 336
Ad urbem eſſe et ad urbem uenire 333.
Accentus præpoſitionum. 355
Aſpiratio per uerſus plurimos. 32
Aſpirationum cauſæ. 34
Agonales. 83
Analogia. 89
Aliquis, 315
Alterum tantum, & altera tanta. 329
Audiendum eſt philoſophos quod loquendi genus ſit. 299
Ante, præpoſitio. 335
Apud, præpoſitio. 335
Aduerbium. 358
Aduerbia numerorum. 363
Aduerbia ordinis. 364
Aduerbia iurandi. 364
Aduerbia affirmandi. 364
Aduerbia negandi. 366
Aduerbia euentus. 370
Aduerbia dubitandi. 370
Aduerbia interrogandi. 371
Aduerbia hortandi. 373
Aduerbia eligendi. 373
Aduerbia prohibendi. 373
Aduerbia intendendi. 375
Aduerbia remittendi. 376
Aduerbia ſimilitudinis. 378
Aduerbia comparationis. 383
Aduerbia ſuperlationis. 383
Aduerbia demonſtrandi. 384
Aduerbia optandi. 384
Aduerbia uocandi. 384
Aduerbia extenuandi. 385
Aduerbia congregandi. 385
Aduerbia ſeparandi. 385
Aduerbia qualitatis. 386
Aduerbia quantitatis. 387
Aduerbia temporis. 387
Aduerbia locorum. 391
Ακυρολογία. 195
Abſque et ſine præpoſitione?. 437

Accidentium ſubinania nomina apud grammaticos. 176
Ariſtotelis dictum de epiſtola à Demetrio Phalereo citatū. 476

B

B, litera. 28
Barbaries iſta noſtri temporis anguſtiſsimis finibus incluſa. 58

C

C, litera. 28
Ciui Romano licet eſſe gaditanum. 262.
Ciues tuos permiſſurum an permiſſuros dici conueniat. 262
Confeſſus veſtrorum, pro confeſſus veſter. 295
Compoſita à qui. 314
Communio poſſeſsionum. 322
Cis & citra idem ſignificant. 337
Circa & circum. 337
Contra. 337
Calendis & intra calendas, viginti diebus & intra viginti dies. 339.
Circiter. 344
Clam. 348
Coram. 348
Cum. 347
Coniunctio. 398
Coniunctiones copulandi. 398
Coniunctiones continuandi. 406
Coniunctiones ſubcontinuandi. 408.
Coniunctiones ſubdiſiungēdi. 409
Coniunctiones cauſarum. 412
Coniunctiones approbandi. 414
Coniunctiones aduerſandi. 414
Coniunctiones diſtribuendi. 415
Coniunctiones eligendi. 416
Coniunctiones dubitandi. 416
Coniunctiones deminuendi. 416
Coniunctiones abnegandi. 416
Coniunctiones colligendi. 417
Coniunctiones complendi. 418
Coniunctionum difficilis tractatio. 393.
Coniunctionibus quibuſdam non ſolum latinè loquendi ratio, ſed pars nonnulla interdum exquiſitionis doctrinæ & connexionum dialecticarum continetur. 418
Calendæ. 84
Coniugationes verborum. 176 ad multas paginas.
Curiones. 79
Caſuum ſingulorū proprietas. 143
Copia de verborum ſe ſcripſiſſe auctor profitetur. 17
κατάχρησις. 435

D

D, litera. 28
Diſcentium ingenia diuerſa & varia. 292
D, litera muta aliter alijs in partibus Italiæ pronunciatur N, liquida antecedente. 28
Dictio tertia par grāmaticæ. 105
Dictioni etymologia, analogia, orthographia moderatur. 105
Deminutiua nomina in ellus, ſeu illus non à ſola R. vt culter, cultellus, vmbra vmbella, ſed à liquidis

quidis omnibus L. M. N. R. 132
Dici, pro eo quod eſt κατηγορεῖν apud Dialecticos. 174
Demetrij Phalerei de componenda epiſtola, ſententia. 475. ad multos verſus ducta.
Digamma æolicum. 22
Deponentia verba ſeptem in genera diſtributa. 235
De, præpoſitio. 347
Demoſthenes aliquando in verſum cadit, aliquando verſus heroicos integros abſoluit. 470
Diuiſio partium orationis. 105

E

E, ſecunda vocalis. 19
Ei, dipthongus. 36 & 61.
Diphthongus oi. 36
Diphthongus Yi græca. 37
Diphthongos rectè pronunciandi. aut literas, aut ſyllabas, aut cætera, rationem eſſe amiſſam falſo cauillantur aduerſarij latinitatis. 37
Etymologia. 77
Ad verſus quamplurimos.
Etymologia numeratur inter genera definitionum. 77
E, & Ex, præpoſitiones. 347
Eſſe in amicitiam populi Rom. & portus in poteſtatem hoſtium. 361.
Eſſe ad vrbem. 333
Erga, præpoſitio. 337
Extra, præpoſitio. 338
Ego videro: vos videritis. 253

F

F, litera vtrum ſemiuocalis an muta. 29
F, literã reprehendi nõ debere. 30
Feſtorum dierum vocabula, & faſtos, & ſacrorum ordinum nomina, & miniſteriorum & omnia quæ iu iure Pontificio ſunt fieri latina poſſunt. 88
Faſti Romanorum Salerni etiam reperti. 100
Falſa comparationum tractatio, acute reprehenſa. 122
Formæ declinandi nomina. 146. in longiſſimum ſermonum ductæ.
Formæ quatuor, verborum. 213
Fateor eſſe ſuperbus, & fateor me eſſe ſuperbum. 219
Figura, 423

G

G, litera, muta. 30
Gerundia. 266
Gerundia in prima genera diſtribu buta ibidem.
Gerundia paſsiua duorum generum ibidem. 267
Gerundia ſpontis & neceſsitatis vocat, nouo quidem nomine ſed neceſſario. 167. & 278
Gerundium Voluenda dies apud Vergilium genus diuerſum eſt, et ratio diuerſa omnino ab alijs gerundijs quæ ſunt in communi vſu loquendi. 267
Gerundium quod eſt apud M. Tullium in tribuendo ſuũ cuiq;. 270

Gerundium tale; Quum ſoluendo ciuitates non eſſent, ibidem. 271

Gerundium inter duas perſonas an poni liceat. 272

Gerundij cuiuſdã vſus tractatioq; apud Terentium rariſsimum exẽplum. 272

Gerundij alterius apud eundem poetam vſus ac tractatio nõ quotidiani exempli. 276

Gerundium patiendi qua ratione agendi ſoleat fieri. 273

Gerundia quibus præpoſitionibus iungantur. 273

Gerundia patiendi tractare facile eſt nullumque omnino negotium. 276.

Gerundium tale quale illud eſt puto mihi eſſe gloriandum, gaudendum, philoſophandum. 278

Gerundio illius generis, audiendũ eſt philoſophos, diſcendum eſt literas, an vti conueniat. 279

Gerundij loco modus infinitus poſitus. 265

Grammaticæ definitio. 17

Grammatica quot in partes diſtributa eſt, ibidem. 17

Grammatici binas literas infames reddiderunt. 111 & 112

Grammaticam profiteri qui velit, ei neceſſaria eſt multarum artium & rerum ſcientia. 140

Græcorum ratio verba declinandi non deeſt ſermoni latino. 194

Genus in verbo quid. 274

H

H aſpiratio. 31

H, literam conſonantem aliquando poetæ faciunt. 31

Hic, Iſte, Is, Ille. 296

Hic pronomen refertur ad propinquiora, Ille ad remotiora antecedentia & cur ſæpius contra fiat à doctis. 297

I

I, litera vocalis. 19

I, conſonans. 21

I, dupliciter ſonat. 20

I, conſonans duplex. 20

Iſte. 296. & 301

Is, ibidem. 296

Ipſe. 303

Infra, præpoſitio. 340

Inter, præpoſitio. 338

Intra, præpoſitio. 338

In, præpoſitio. 355

Iuxta, præpoſitio. 340

Imitationis præcepta. 325

Inchoatiua defendit auctor à veteribus rectè ſic eſſe nominata. 205.

Inchoatiua, vnde id nomen acceperint. 206

K

K ne inter literas quidem numeranda fuit. 31

L

L, litera liquida. 23

L, litera iudicio etiam Platonis

nis iuc undiſsima. 23
Latina lingua, ſeu grammatica nō à grammaticis ſed à doctiſsimis tractari debet & ſolita quondam fuit. 16
Latinæ linguæ laus, præſtantia, & æternitas. 60
&. 303
ac deinde per totum.
Latina lingua quam latè pateat & quas ad vltimas terrarum oras noſtra etiam ætate penetrauit. 59
Latina lingua ab ingenuis diſcipli nis, legibus & religione ſumma diuelli non poteſt. 59
Latinam linguam qui defenderunt à calumnijs indoctorum, ſtultorumq; hominum. 62
Latinæ linguæ ſcientia qui hodie excellunt. 103
Latina lingua diſcenda, non verū eſt alias retardari ſcientias, exēplò probatur doctiſsimorum hominum qui præter latinā & græcam linguas etiam tenent aliarū gentium. 102
Latina lingua quibus ex auctoribus diſcenda ſit. 179. per multos verſus.
Latinitas quibus ſeculis perfectiſſima extiterit. 180. & 211
Latinæ literæ ſine græcis teneri perfectè non poſſunt, nemoque vlla in ætate ſine illis excelluit in noſtris. 141
Linguam introducere & alijs populis communicare, quorum hominū eſſe aliquando potuit. 57
Latinas literas ſine ratione poetarum nemo perfectè vnquam tenuit. 141
Latina lingua magis noſtra nunc eſt quam olim Romanorum fuit. 39. & 59.
Literarum diuiſionis. 17
Literæ quædam ſemiuocales, mutæ. 17
Literæ definitio. 17
Litera vnde nomen accepit. 18
Literis cur datum ſit elementi nomen. 18
Loqui. 85
Latinitatis noua hoc ſeculo fœlicitas. 60

M

M, litera liquida. 23
M. Varronis de analogia locus longiuſculè repetitus. 90
Modi verborum. 243
Modi verborum cum ſuis temporibus, ac de ijs longa & exquiſita diſputatio. 245
Metaplaſmus & illius ſpecies. 424.
Metaphora. 435
Modi verborū alij pro alijs. 247
Modus infinitus. 254
Modis infinitis quæ verborum genera præponenda ſint ibidem.
Miri in Cicerone & in Terentio notantur loci. 260
Mille hominum, & mille homines. 215.
Metrorum genera quibus vſus eſt Catullus. 461

Metrorum genera quibus vſus eſt Horatius. 458. & 452
Μείουροι verſus. 452

N

N tertia aliquid. 108
Nomen quid. 24. ad quamplurimos verſus.
Nomina Romanorum. 110
Nomina patronymica. 102
Nominum variæ formæ, notioneſq́;. 114
Nominum comparationes. 118
Nominum genera. 136
Nomina quæ in grammatica falſo putantur eſſe parum latina. 142
Nomen idem ſex modis ſcriptum ridiculè in monumētis veterum. 99
Nunquis. 316
Numerus in oratione ſoluta. 466
Numeri nominū et aliarū partiū orationis alij pro alijs accepti.
Numeri in oratione ſoluta. 467

O

O, quarta vocalis. 20
O, alia figura longæ, alia breuis, deq; ea in Cratylo ſermo Platonis. 21
Orthographia. 94. & 97
Obpræpoſitio. 340

P

P, litera muta. 27
Principijs librorum cur longioribus vtatur. 240
Poetę qui ætate noſtra vel paulo ante nos clariſsimi fuerūt. 445
Poetas qui ignorauerit, nemo vllis in ſeculis inter doctos eſſe potuit. 444
Partes orationis quædam finitæ ſunt quædam infinitæ. 332
Participium. 281
Participium ENS quale videri debeat. 281
Prrticipij loco eius apud eſt ENS quæ dicantur. 282
Participij ratio. 283
Participium vel gerundium quoties non ad eandem refertur perſonam, ad quam verba. 285
Parcicipium patiendi futurum in ſermone latino probat nullum eſſe. 286
Participij paſsiui futuri loco quid vſurpare auctores ſoleant. 288
Pronomen. 293
Pronominum genitiui, Mei, Tui, Sui. 294
Pronomina primigenia pro deriuatis & hæc pro illis palam antiqui vſurpabant. 294
Pronomen, quale eſt ſtudiū tui in Cicerone, et labori mei, & labori tui in Plauto ex vſurpatione antiquitatis, non ex librariorum errore dictum eſſe. 295
Præteritorum formatio. 192
Præpoſitio. 332
Præpoſitio propter. 343
Præpoſitio pone. 340
Prepoſitio per. 340
Præpoſitio prope. 342

Præ-

Præpoſitio poſt. 342
Præpoſitio præter. 343
Præpoſitio penes. 345
Præpoſitio pro. 351
Præpoſitio præ. 351
Præpoſitio palàm. 351
Præpoſitiones quæ auferẽdi caſum poſtulant. 346.
Præpoſitiones quæ locis ſeruiunt. 352.
Pes, et metrici pedes. 446. ad multos verſus.
Phalereus Demetrius de epiſtola ſcribenda Ariſtotelis dictum citat. 475
Poetæ Romani & Græci ne legerentur, neq; diuinis neq; humanis vnquam legibus aut oraculis actum eſt. 420
Participium pro infinito. 265
Panis vocabulum. 81

Q

Q, litera muta. 27
Quintiliani locus prior de accentibus in primo libro à quibusdam non intellectus. 68
Quintiliani locus alter ex libro duodecimo in quo de eadem re multo fœdius erratum eſt. 72
Quædam in bonis etiam auctoribus vitanda eſſe, tum ſæpe auctor admonet, tum. 212. & 213.
Quinqu trus. 83
Quæſo idem fuit olim quod quæro ex affinitate literarum. 190
Quid afferat momenti ad modos infinitos perſonale verbum aut imperſonale. 260
Quidam ſcriptores iniqui in reciprocationem. 304
Qui, Quæ, Quod, refertur etiam ad qualitates. 309
Quilibet. 316
Quidam. 315
Quoteni. 315
Quotus ibidem. 315
Quomodo verba ad analogiã conferenda ſint. 89

R

R, liquida. 25
R, & S. affinitas. 25
Relatiuorum relatiua. 302
Relatio & antecedens, vel ſunt iis caſibus quibus eſſe debent ex natura verborum vel contra rationem antecedens ad relationẽ vel relatio ad antecedens accommodatur. 310
Relatio vbi duo ſunt motus ad locum & de loco. 312
Reciprocatio. 304
Relata ad vnam perſonam quatuor diuerſa pronomina. 302
Reciprocationis certiſsima ratio. 305.
Rhithmus. 449

S

S, litera quinta ſemiuocalis πνευματῶδης γράμμα *nominata à Platone.* 25
S, ſoni eſt iniucundi ſæpius repetita ibidem. 25
S, male ſuperſtitioſeq; à quibusdam uitata. 25

S, inter duas vocales poſita alium ſonum reddit. 25
S, cum R. germanitas quædam ibidem. 25
S, litera olim à verbis quibuſdam detrahebatur. 26
S, geminata in T, geminatam aut etiam ſimplex in ſimplicem antiqui vertebant. 26
Scientijs nemo vnquam apud nos præſtitit niſi qui latinè etiam doctiſsimus fuit. 103
Sonos vocalium eſſe ſexaginta. 18
Syllabarum tempora, à 37. vſq; ad finem primi libri.
Syllabas & accentus cur tractare eo loco auctor debuerit. 37
Syllaba quanta ſit ex ratione & natura vocalium potius quam ex binis conſonantibus cognoſcenda eſt. 37
Syllaba in verbo fio. 39
Syllabæ prima origo ſpectanda eſt. 41
Syllabarum inter ipſas cognatio notanda eſt. 41
Syllaba quanta ſit explicatione etymologiæ & analogiæ cognoſcitur. 41
Syllabæ à longis breues. 41
Syllabæ à breuibus longæ. ibidem. 41.
Syllabæ longæ breuium loco poſitæ. 42
Syllabæ breues pro longis vſurpatæ. ibidem. 42
Syllabæ regula quid à grammaticis dicatur. 43
Syllabæ exẽplũ qr id dicatur. 44
Syllaba poſtrema & ante poſtremam in futuro ſubiunctiui. 45. & 48.
Syllabæ vltima. 32
Syllabæ communes, à 43. ad finẽ libri.
Significatio vera ſuperlationum. 112.
Significare ſuperlatio tribus modis poteſt. 123
Supina. 197. & 280
Secundùm præpoſitio. 342
Supra præpoſitio. 344
Secus præpoſitio. 345
Sub præpoſitio. 355
Super præpoſitio. 355
Supter præpoſitio. 356
Sine, & abſq; præpoſitio. 352
Solœciſmus. 425
Συλλήψεως ſemptem ſpecies. 428.
Scribito, vel ſcribitote ad futurũ tempus pertinet. 244
Seruum meum miror vbi ſit. 259

T

T, litera muta poſtrema. 31
T, litera, vtrum ſequente, I, & altera vocali ſic pronuncianda ſit vt eſt hodie in communi Europæ vſu. 32
T, litera inſuauiſsima à M. Tullio dicta. ibidem.
Tempora verborum. 204
Trans præpoſitio. 348
Terni & trini. 317
Tenus præpoſitio. 352

V

V

V, vocalis. 21
V, nec vocalis nec conſonãs. 21.
V, vocalis quomodo pronuncianda ſit. 21
V, conſonans, ibidem. 21
V, digamma æolicum, ibidem. 22
Vocales literæ cur ſic dicãtur. 19
Vocabula quibus ex locis ſumantur. 77
Vocabula quæ ſunt à tempore. 81
Varro etiam eadem de re diuerſa loquitur. 90
Verbum. 109
Verborum ſola quatuor genera conſtituit exploſa opinione eorũ qui verba communia defendunt. 213.
Verba actiua ſeptem in genera diſtributa. 214
Verba neutra quibus proprijs notis ab actiuis atq; ab alijs ſeparemus 221. & 224. pulchra diſputatio.
Verbum videor & ſimilia quomodo tractari conueniat. 223
Verba hæc ſoleo, conſueſco, debeo, cœpi, deſino, poſſum, cum verbis patiendi. 223
Verba eadem cum verbis ſecundi generis neutrorum. 226
Verbi huius quod eſt videor noua ratio & attica apud Romanos. 224.
Verba neutra octo in genera diſtributa. 224. in longum.
Verba deponentia ſeptem in genera diſtributa. 235
Verba imperſonalia quinq; in genera. 236
Verba imperſonalia patiendi. 238
Vtimini, pro vtiminor, ideſt indicandi pro imperandi. 244
Vltra, præpoſitio. 343
Vls, & Vltis, præpoſitiones. 343
Vſque, præpoſitio. 345
Verſus præpoſitio. 346
Vterque. 318
Verſus heroicus. 449
Verſus elegi. 452
Verſus iambici. 453
Verſus amæbei. 452

X

X, litera duplex. 27

Z

Z, litera duplex. 27

¶ Pagina 16. Linea 21. directeq; verſatis, diu recteq; verſatis. 86. 7. caſtrenſe verborum, caſtrenſe verbum. 87. 1. volulare, vlulare. 97. 21. poſtulant, poſtulent. 110. 36. data eſſe, datum eſſe. 128. 33. vſum ſint, vtrum ſint. 129. 25. male, malle. 35. 7. ſordiſsime, ſordidiſsime. eadem. 18. affluxerunt, effluxerunt. 140. 32. ſoles eſſe viuos, ſoles eſſe viſos. 146. 31. Poterunt, Poterant. 148. 14. ſi id genera, ſi ad genera. 159. 23. neutris generis, neutrius generis. 190. 32. æſtimato, æſtimatum. 207. 27. oportet, oporteret. 245. 37. vt, aut. 249. 23. ὁ ἀθηναίων, ὁ δῆμος ἀθηναίων. 277. 22. arbitramur, arbitrabamur. 284. 27. coniunctione, coniunctione. 285. 4. vllo modo, nullo modo. 290. 15. non diſcendi ſolum, non diſcedendi ſolum. 324. 29. ſed χιλιᾶς πολλαὶ, ſed χιλιάς, vt πολλαὶ. 334. 16. producere, procedere. 339. 9. ſcriptum eſt in verbis, ſcriptum eſt bis verbis. eadem. 38. Non enim, Nos enim. 355. 33. ſtatuit, ſtatui. 364. 8. demonſtram, demonſtrem. 369. 6. Vide tamen, Videro tamen. 374. 2. vtendum, vetandum. 381. 19. procunctatus, percunctatus. 388. 38. vox, nox. 391. 38. non vſitata, aut non vſitata. 392. 13. abſq;, vſq;. eadem. 6. Illud poſtremum ſit, vt eſſe locus pro tempore, conſueuit, ſic aduerbia, quæ ad locum pertinent, & pro loco tempus. Illud poſtremum ſit, vt eſſe locus pro tempore; & pro loco tempus conſueuit, ſic aduerbia, quæ ad locum pertinent. 407. 30. es animo, ex animo. 441. 11. nota rei ſimilitudinem, notæ rei per ſimilitudinem. eadem. 27. explicamus, explicauimus. 474. 14. egreditur, ingreditur. 490. 19. nullum ſin in eo ſermone lumen eſt velint, nullum eſt in eo ſermone lumen ſin velint. 501. 37. centeſimum quoq; verbum, centeſimum quodq; verbum. 513. 24. etiam cum floret ea reſpublica, etiam cum floreret ea reſpublica. 524. 36. natus otij, nactus otij.



SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL.

Omnes ſunt quaterniones, prǫter LL, qui eſt ternio.

822,364

Digitized by Google

Google

Digitized by Google